THE LIBRARIES

COLUMBIA UNIVERSITY

Digitized by Google

R. P. BERNARDI PEZII,
BENEDICTINI ET BIBLIOTHECARII MELLICENSIS

BIBLIOTHECA ASCETICA ANTIQUO-NOVA,

HOC EST:

COLLECTIO VETERUM QUORUNDAM ET RECENTIORUM OPUSCULORUM ASCETICORUM, QUÆ HUCUSQUE IN VARIIS MSS. CODICIBUS ET BIBLIOTHECIS DELITUERUNT.

TOMUS VIII.

Cujus contenta Lectorem ſequens pagina docebit.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

RATISBONÆ,
Sumptibus JOANNIS CONRADI PEEZII,
ANNO MDCCXXV.

153.2
B47
v.8

Contenta Octavi Tomi.

I. Ven. Catharinæ de Geweswiler, Prioriſſæ Subtilienſis, ſeu Unterlindenſis Ord. S. P. Dominici Colmariæ in Alſatia *de Vitis primarum Sororum Monaſterii ſui Liber.* pag. 3

II. Matthiæ Thanneri Cartuſiani Friburgenſis Appendix *de Vitis aliquot aliarum pietate præſtantium ejusdem Ordinis Virginum e diverſis MSS. Codd. collecta.* 400

III. Ven. Irimberti, ſeculo XII. Abbatis Admontenſis, *de Incendio Monaſterii ſui, ac de vita & moribus Virginum Sanctimonialium Parthenonis Admontenſis Ord. S. Bened. Narratio.* 453

IV. Ven. Joannis de Ellenbogen Abbatis Waldſaſſenſis Ord. Ciſt. *de vita venerabilium Monachorum Monaſterii ſui Liber.* 465

353190

V. Anonymi Benedictini an. MCCCC. *Epiſtola de conſuetudine & modo vivendi Cœnobitarum Monaſterii Sublacenſis.* 491

VI. Ven. Martini de Senging, ſeculo XV. Prioris Mellicenſis *Tuitiones pro obſervantia Regulæ S. P. Benedicti in Concilio Baſileenſi.* 503

VII. Ejusdem *Epiſtola de Statu Monaſterii Burſfeldenſis Ord. S. Bened.* 550

VIII. G. A. Archiepiſcopi Thebarum *Epiſtola de recentiori ſtatu Monaſteriorum Congregationis Burſfeldenſis & Benedictino-Bavaricæ ſub titulo SS. Angelorum Cuſtodum.* 556

VIIII. S. Joannis Capiſtrani Ord. FF. Min. *Epiſtolæ duæ:* Prima *de Catholicæ fidei progreſſu in Moravia*, altera *de publicis & promiſcuis balneis Religioſorum*, cum *animadverſione Thomæ de Paden, Prioris Mellicenſis in eandem.* 562

X. Udalrici de Weilhaim, qui anno MCCCCLVIII. in Monaſterio Dieſſenſi Canonicus Regularis O. S. Aug. vixit,

Epi-

Epiſtola de tribulationibus & procellis Monaſterii ſui. 574

XI. Cœnobitarum Mellicenſium *Epiſtola Encyclica de obitu Ven. Nicolai de Mazen Abbatis & Reformatoris ſui*, vita functi anno MCCCCXXVI. 578

XII. Ven. Joannis de Welming, anno MCCCCLIX. Abbatis Mellicenſis *Epiſtolæ de reſtituenda univerſim in Ordine S. Benedicti Monaſtica diſciplina, & procuranda rituum ac obſervantiarum conformitate.* 581

XIII. Ven. Caſpari Aindorffer, anno MCCCCLX. Abbatis Tegernſeenſis *Epiſtola ejusdem argumenti.* 588

XIIII. Cœnobitarum Tegernſeenſium *Epiſtola Encyclica de obitu prædicti Abbatis ſui Caſpari.* 589

XV. Bernardi de Waging, año MCCCCLXI. Prioris Tegernſeenſis *Epiſtola de ejusdem Abbatis obitu & electione Conradi V. ejusdem loci Abbatis.*

XVI. Ejusdem Conradi Abbatis Tegernſ. Johannis Abbatis Mellicenſis, Mel-

 chioris

chioris Ab. S. Udalriciani Auguſt. Vind. &c. *Epiſtolæ de unione Monaſteriorum Ord. S. Bened. in Germania.* 601 usque ad 628

XVII. Ven. Johannis de Weilhaim Prioris Mellicenſis, qui anno MCCCCLXXXII. mortuus eſt, *Vita & Scripta* cum *Appendice.* 629

XVIII. Johannis III. Epiſcopi Eyſtetenſis *Hiſtoria Reformationis Monaſterii S. Walpurgæ Ord. S. Bened.* 650

XIX. Anonymi *Carmen Rhythmicum vetus de miſeriis Ordinis Monaſtici.* 671

PRÆ-

PRÆFATIO.

IN TOMUM VIII. BIBLIOTHECÆ ASCETICÆ ANTIQUO - NOVÆ.

CUm plures hactenus in iſta Collectione Tractatus & libellos ediderim, quibus ſalubres admodum & neceſſariæ de rectè formandis Aſcetarum moribus doctrinæ continentur, nihil ingratum Lectoribus me facturum exiſtimavi, ſi eos in tanta præceptorum veluti ſylva longius oberrantes ad planiora jucundioraque, id eſt, ad Hiſtoriarum campos dedu-

cerem, in quibus & animum ſubtiliorum rerum conſideratione feſſum piè recrearent, & modum rationemque ea, quæ hucusque ab Aſceticæ diſciplinæ Doctoribus tradita ſunt, ad opus redigendi propoſitis Heroicæ pietatis exemplis condiſcerent. Utrumque hoc volumine aſſecuturum me ſpero, in quod ejusmodi vetera maximam partem monumenta congeſſi, quæ nullius non, niſi a pietatis ſenſu penitùs remoti animum ſuaviter poſſunt afficere, ac ad pulcherrimorum facinorum exſecutionem provocare. Quod ſi qua & hic nihilominus occurrerint, quæ non nihil pungant & urant (ùt nullibi roſæ ſine ſpinis proveniunt) ne me propterea æquus & prudens Lector illico condemnet, quaſi qui conſultiùs ea æterno ſilentio preſſiſſem, quàm

quàm in omnium oculos ingeſſiſſem. Præterquam enim, quòd boni ex omnibus proficiant, iſta non alio a me animo atque conſilio evulgantur, quàm quo a ſuis Auctoribus, hominibus ſanè quàm ſanctis ac rerum ſuarum gnaris, in litteras relata & poſteris ſervata ſunt, ſcilicet ut mala, quæ memorant, ſeriò caveantur, bona verò & egregia, quorum pars longè major eſt, exemplo ſint ac imitationi. De potioribus nunc hujus Tomi monumentis eorumque auctoribus non nulla pro more obſervemus. Nam quò minùs idem in ſingulis faciamus, ipſa Opuſculorum brevitas in cauſa eſt, præterquam quòd ſuis locis ea omnia vel in ipſis eorundem titulis, vel ad paginarum oram adnotaverimus, quæ Lectori ſcitu vel commoda vel neceſſaria videbantur.

I. *Ven. Catharinæ de Gevveſvviler Prioriſſæ Subtilienſis Ord. S. Dominici de Vitis primarum Sororum Monaſterii ſui Liber pag. 1.* De aureo hoc Opere ejusque Auctore Catharina Matthias Tannerus, qui illud primus e MS. Cod. erutum prelo paravit, in ſuo ad id propylæo ita egit, ut nihil ferè nobis dicendum amplius reliquerit. Id unum hìc animadvertere juvat, eruditiſſimos e Dominicana familia viros Quetifium & Echardum, qui illuſtre *de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum* Opus nuper publicârunt, Tomo II. pag. 831. a Codice Baluziano deceptos, has Sororum Subtilienſium vitas cuidam Eliſabethæ Staglin perperam tribuere, utpote quas genuinum & indubitatum Catharinæ fœtum eſſe ex noſtra editione luculentiſſimum ſit. Catharinæ etiam meminit, ſed paucis,

cis, Fridericus Steillius in *Ephemeridibus Dominicano-Sacris*, Germanicè Dillingæ editis anno 1692. ad diem 10. Junii. Quo in Opere ſparſim etiam memoriæ quorundam ex his noſtris Virginum extant, quæ tamen cum Catharinæ narratione non ſemper neque ſatis cohærent. Nimirum Steillius nunquam vidiſſe videtur Opus Catharinæ, citare duntaxat ſolitus Eppium Ordinis S. Dominici Scriptorem ſeculi XV. & Conradum Zittardum, qui *Chronicon Generalium Magiſtrorum* ſui Ordinis non niſi Germanico idiomate ſcripſit.

II. *Matthiæ Tanneri, Cartuſiani Friburgenſis Appendix de Vitis aliquot aliorum pietate præſtantium ejusdem Ordinis Virginum è diverſis MSS. Codd. collecta. pag. 400.* Longè amplior prolixiorque hæc Appendix in avtographo Carthuſiæ Axpacenſis,

cenſis, unde noſtram editionem adornavimus, habetur. Verùm cùm in ea Vitas Sanctarum piarumque ex ordine Prædicatorum Virginum tam typis excuſas quàm hactenus ineditas referri viderem, illis relictis has duntaxat, & ſi quæ aliæ vulgò minùs notæ eſſent, ſelegi, additis ex Tannero locis, unde ſingulas prompſiſſet: id quod facere in promptu fuit. Erat enim Tannerus vir doctus & usque ad ſcrupulum accuratus, omnia diligentiſſimè obſervare ſolitus, quæ ad fidem rebus conciliandam neceſſaria erant. Cujus labores ſi citiùs nonnihil e tenebris in lucem emerſiſſent, non uno numero & loco ſupra laudatam Ordinis Dominicani Bibliothecam locupletare potuiſſent. Porro cùm hic vir tam ſtrenuam conſervandis piorum hominum vitis operam

nava-

navaverit, æquum ſane eſt, ut & ejus perenni memoriæ hìc quoquo modo conſulamus. Itaque Matthias Tannerus ſeu Thannerus, antequam Ordinem Cartuſienſem ingrederetur, Juri utrique operam dedit. Deinde cùm ſe ad matrimonium conferre decreviſſet, re prope confecta Evangelicæ perfectionis magiſtram præter opinionem in ſponſa reperit, quæ deſerto terreſtri ſponſo cœleſtem adamare cœpit, facta, ùt ferunt, Sanctimonialis Capucina. Tam illuſtris virtutis exemplo vehementer commotus Tannerus mox & ipſe Mundi commoda contempſit, Ordinem Cartuſianum Friburgi, labente ad finem ſæculo XVI. amplexus, ubi diu vitam ſanctis moribus & litteris excultam vixit. Inde cùm belli Svecici procella Rhenum adſitasque urbes in vade-

vaderet, in Auſtriam ad Cartuſiam Gemnicenſem profugere coactus eſt, in qua ob ſpectatæ virtutis & doctrinæ opinionem Vicarii munere decoratus fuit. Eidem poſtea loco cum laude jam grandævus præfuit in Cartuſia Axpacenſi usque ad annum 1648. quo, vel mox præcedente, diem ſupremum feliciter clauſit. Eum ad annum 1648. Charta Capituli Generalis Ord. Cartuſ. his verbis celebrat: *Obiit D. Matthias Tannerus, profeſſus Domus Friburgi, Vicarius Domus in Agsbach, qui laudabiliter vixit in Ordine ultra LII. annos.* Ejusdem, ſed parcè admodum, meminit Carolus Marotius in Theatro Ordinis Cartuſienſis. Amplius ejus elogium extat apud Ven. P. Ambroſium Maëſs Cartuſianum Axpacenſem in vita P. Martini Windtleutner, Sodalis ſui, anno 1685.

1685. demortui. Sic autem ſcribit: *Aſſignatus ei* (Martino) *fuit, ùt moris eſt, in vitæ moderatorem & Magiſtrum Ven. P. Matthias Tannerus, profeſſus Friburgenſis, vir grandævus, quem in Auſtriam furor fugârat Svecicus. Hujus Venerabilis Patris memoria propter ſpectabilem vitæ ſanctimoniam ſemper in benedictione erit. Fuit quippe, ut pauca de plurimis referam, quæ narrante diſcipulo Martino aliisque ejus convictoribus didici, in ſeculo Juris utriusque Doctor. Sed ſacrum Ordinem ingreſſus, per ſanctarum aſſiduationem virtutum eò usque profecerat, ut ad primævos columbinæ ſimplicitatis annos rediiſſe viſus ſit. Hanc tamen aſtutiâ adeò ſerpentinâ temperare noverat, quòd & ſimplicitas eſſet intuentibus exemplo, & ſapientia ejus Ordini foret & Eccleſiæ emolumento. Plures enim in hoc edidit jam Ordini aſſociatus libros, & reſtant adhuc edendi plures,*

qui

qui hic in Cartuſia noſtra aſſervantur: & plerique a Reverendiſſimo Patre Generali, & a Cenſoribus ordinariis jam approbati ſunt, nondum tamen ob expenſarum difficultates evulgati. Hæc de Tannero Ambroſius. Jam verò ad ejus ingenii monumenta quod attinet, ex iis præter *Vitas Sororum Subtilienſium*, ad easque *Appendicem* tantùm tria ſequentia typis commendata novit Venerabilis ac Eruditus P. Leopoldus Widemannus, Vicarius Gemnicenſis, cui hæc omnia accepta refero.

I. *Vallis humilitatis, ſeu vera & profunda humilitas in Humanitate, nova methodo explicata, & Sanctorum exemplis illuſtrata.* Friburgi Brisg. 1631. 8.

II. *Ven. Virginis Baptiſtæ Vernaciæ Genuenſis Ord. Can. Reg. S. Aug.*

S. Aug. Tractatus de Vita Spirituali ex Italico Latinè verſus.

III. *Ejusdem Virginis Tractatus de Cognitione Dei*, itidem a Tannero Latinitate donatus, & Molshemii cum præcedente excuſus, ùt ipſe in præfatione ad mox ſequentes ejusdem Vernaciæ Tractatus teſtatur, etſi annum editionis haud exprimat.

IV. *De Gaudiis & fletibus ſpiritualibus.* Incipit verſio Tanneri: *Gaudete cum gaudentibus &c.*

V. *De mirabili vita Mundo mortuorum. Mortui enim eſtis &c.*

VI. *De Gaudiis cœleſtibus. Intra in gaudium Domini tui &c.*

VII. *Appendix de modo obtinendi illa gaudia. O Deus ſempiternum &c.*

VIII. *De perpetua cum Deo unione. Manete in me &c.*

IX. *De Oſculo Divino. Oſculetur me oſculo &c.* Tractatus hi VI. proximè relati, ac a Tannero Latini ex Italico facti, extant manu deſcripti in Cartuſia Axpacenſi, nec mihi conſtat, typisne evulgati alicubi fuerint, necne. Idem dubium eſt de omnibus ſequentibus Tanneri Opuſculis, quæ in eadem, ni fallor, Cartuſia hodieque adſervantur.

X. *Vita B. Catharinæ de Riccis, vulgò Pratenſis, Monialis Ord. S. Dominici, Cœnobii S. Vincentii Prati, Italicè primùm*

mùm A. R. P. Philippo Guido Dominicano ſcripta, nunc Latinè reddita.

XI. *Vita B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Carmelitanæ ex Italico Vincentii Puccini in Latinum translata.* Harum ambarum Beatarum vitæ editæ ſunt a PP. Bollandianis, ſed eos translatio Tanneri latuit.

XII. *Ejusdem S. Mariæ Magd. de Pazzis Vita in Germanicum verſa.*

XIII. *Vita B. Oſannæ de Mantua Ord S. Dom. ex Italico Latinè reddita.*

XIV. *Ejusdem Beatæ Vita Germanicè verſa.*

XV. *Vita & Doctrina Divinitus accepta Eliſabethæ ab Eicken, Monialis Cœnobii Ottenbacenſis Ord. S. Dom. in Helvetia,*

tia, ex Germanico in Latinum translata.

XVI. *Vita & Revelationes B. Gertrudis Saxonicæ, e Latino in Germanicum converſæ.*

XVII. *Viridarium animæ,* ſive Geiſtlicher Luſt-Garten (alias Sophronii *Pratum Spirituale &c.*)

XVIII. *Devotæ Meditationes Germanicæ in Paſſionem Domini, olim ab egregio Contemplatore ſtilo valde obſcuro ſcriptæ, nunc a F. Matthia paſſim correctæ, ac phraſi lucidiori donatæ.*

XIX. *Vita B. Dorotheæ Dantiſcanæ* (alias *de Pruſſia*) *Viduæ, e ſeptem libris ejusdem Confeſſarii in compendium redacta.*

XX. *Vita ejusdem Dorotheæ in Germanicam translata.*

XXI. *Tractatus de perenni ſeparatione animæ a Deo*, ſive Troſt- und Liebloſes Scheiden / durch F. Matthiam Thanner erklärt.

XXII. *Tractatus de Amore Dei erga homines.* *Germanicè.*

XXIII. *Tractatus de cæcitate humana in præcipuis vitæ ſpiritualis punctis.* Itidem Germanicè.

XXIV. His omnibus addenda *verſio Germanica Catharinæ de Gevvesvviler de vitis primarum Sororum Monaſterii Subtilienſis & adjectæ Appendicis*, ab ipſo Thannero adornata, quam fortè aliàs ac ſeparatim in uſum Virginum Deo conſecratarum, quæ Latinæ Linguæ ignaræ ſunt, in lucem proferemus. Cæ-

terum Latinam ejusdem Operis editionem ideo extantioribus formulis hìc excuſam exhibeo quòd ejus exemplum Sanctiſſimo & Beatiſſimo Domino ac Patri noſtro Benedicto XIII. Pontifici Maximo, Dominicani Ordinis longè ſtudioſiſſimo, demiſſiſſimè offerre auſus fuerim. Id quod propterea commemoro, ne quis ſine cauſa libellorum meorum molem augere me arguat.

III. *Ven. Irimberti Abbatis Admontenſis de Incendio Monaſterii ſui ac de vita & moribus Virginum Sanctimonialium Parthenonis Admontenſis Narratio.* pag. 453. De auctore hujus narrationis plus ſimplici vice in hactenus a me editis Commentariis

riis tractavi. Ejus integram etiam vitam ex veteribus monumentis contextam dedi in Diſſertatione Iſagogica ad Tom. II. *Theſauri Anecdotorum Noviſſimi* a pag. XI. usque ad XVI. ubi præter ea omnium Irimberti Operum recenſionem inſtitui. Inde habes, doctiſſimum hunc virum ex Cænobita Admontenſi Abbatem Monaſterii S. Michaëlis Bambergenſis anno Domini MCLX. factum, anno verò MCLXXII. Cœnobii Admontenſis Archimandritam creatum fuiſſe, in eaque illuſtri præfectura duràſſe usque ad añum MCLXXVII. quo, antiquo Chronographo Admontenſi teſte, *quievit in Domino*. Porro Narrationem iſtam profectò lugubrem in citata Diſſertatione delibavi duntaxat, reliqua, quæ Irimbertus attexuerat de *Vita*

Virginum Admontenſium, integri *in Libros Regum Commentarii*, unde excerpta eſt, editioni reſervans. Verùm cùm poſtea viderem, licèt perinvitus, eam editionem longius produci, elegantem hunc ex laudato Irimberti Commentario locum Hiſtoriæ Virginum Subtilienſium illico propter argumenti ſimilitudinem adnectere ſtatui. Nec eum, ùt ſpero, pius Lector ſine pio animi motu percurret, præſertim ſi poſteriorum temporum mores cum illis priſcis contulerit.

IV. *Ven. Joannis de Ellenbogen Abbatis Waldſaſſenſis de Vita Venerabilium Monachorum Monaſterii ſui Liber. pag. 465.* Opuſculum hoc ad me ſingulari benevolentia miſit vir humaniſſimus juxtà ac doctiſſimus Jo. Chriſtophorus Iſelius, Bibliothecæ Academiæ Baſileenſis Præfectus, erutum ex veteri Codi-

ce,

ce, qui neſcio quo fato ad eum locum delatus eſt. Porro etſi mihi probè cognitum ſit, plures hoc nomine Abbates Celeberrimo Monaſterio Waldſaſſenſi ſeu Waldſachſenſi in Diœceſi Ratisbonenſi præfuiſſe, nec Codex Baſileenſis cognomentum *de Ellenbogen* ſeu *de Cubito* diſſerté præferat, vel ſolum tamen nomen *Petri Abbatis Aulæ Regiæ*, cui Auctor libellum ſuum inſcripſit, hujusque promicans undique pietas ſatis argumento ſunt, hunc *Johannem Abbatem Waldſaſſenſem* diverſum non eſſe a *Johanne* cognomento *de Ellenbogen*. Ejus laudes his verbis celebrat Gaſpar Jongelinus in Notitia Abbatiarum Ord. Ciſt. *Joannes de Cubito, vulgò Ellenbogen, oppido Bohemico ad Egram fluvium ſito, ex Priore Waldſaſſenſi, ejusque loci Abbas conſtituitur anno Domini 1313. vir Deo & hominibus*

 dile-

dilectus. In conſpectu enim Regum ac Principum auctoritate ſumma præditus erat, quòd eſſet prudentia & conſiliis maximus, erga omnium ordinum homines placidus ac mitis, in obſervatione verò inſtituti Ciſtercienſis & regulæ ſuæ cum zelo quodam ſtrenuus & vigil, in prædicatione verbi Dei gratioſus, in operibus virtuoſus. Is utiliſſimè & ſumma cum prudentia præfuit annis duodecim &c. Qui characteres Johannis ſatis perſpicuè ex præſenti Libro elucent. De Petro Abbate Aulæ Regiæ, Johannis amico vide Carolum Viſchium in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis* edit. Secundæ pag. 276. ubi ait eum quoque ſcripſiſſe *Librum Miraculorum B. Virginis Aulæ Regiæ, aliorumque ſanctorum Monachorum & Converſorum, quem librum inſcripſit Volumen Secretorum Aulæ Regiæ*, nondum, quod ſciam, in lucem elatum.

V. *Ano-*

V. *Anonymi Benedictini Epiſtola de conſuetudine ac modo vivendi Cœnobitarum Monaſterii Sublacenſis. a. pag. 491.* Vix ullum totâ Italiâ Monaſterium a regularis vitæ obſervantia ſub initium ſeculi XV. commendatius fuit, quàm Sublacenſe ac Sacri Specus. Eo velut ad communem quandam exactioris Monaſticæ diſciplinæ ſcholam convolabat, quisquis in perfectionis ſtudio longiùs progredi volebat, rebanturque omnes, meliores Monaſtices Magiſtros ſibi contingere non poſſe, quàm exercitatos in iisdem Monaſteriis Cœnobitas. Inde in Auſtriam petiti Viri celeberrimi Nicolaus de Mazen, Petrus de Roſenhaim, aliique plures Monaſterii Mellicenſis reformatores ſanctiſſimi, qui deinde per omnem Germaniam Monaſticæ vitæ reſtitutionem ſuſceperunt. Quocirca

circa nemo non vehementer nôſſe cupierit, quænam vivendi conſuetudo qualisve obſervantia Sublacenſibus fuerit. Eam velut in tabella depictam habes hic in Anonymi cujusdam epiſtola, qui ipſis Sublacenſium rebus quotidie interfuit. Prodit verò hoc inſigne Monaſticæ hiſtoriæ monumentum ex duplici Codice, Monaſterii ſcilicet S. Udalrici & Afræ, ac Mellicenſis, qui poſterior nunc Lit. O. Num. 20. inſignitus eſt.

VI. *Ven. Martini de Senging Prioris Mellic. Tuitiones pro obſervantia Regulæ S. P. Benedicti in Concilio Baſileenſi. pag. 503.* Nemo ignorat, quantùm Patres duorum Generalium Conciliorum, Conſtantienſis & Baſileenſis formandis in melius Monachorum moribus intenderint, cùm ſibi perſuaſiſſimum haberent, Univerſalis Eccleſiæ inſtaura-

ſtaurationem non admodum diu perſtaturam, niſi hoc ſanctius ex inſtituto ſuo hominum genus, lapſu temporum vehementer defœdatum corrigeretur, arctioribusque legibus coërceretur. Ea de re dum deliberaretur in Concilio Baſileenſi, non una omnium Patrum opinio fuit, cenſentibus quibusdam, quorum caput Legatus Apoſtolicus erat, Ordinem S. P. Benedicti ſat reformatum fore, modò ad obſervantiam trium votorum ſubſtantialium reduceretur, cæteris, quæ in Regula Benedictina præcipiuntur ſuadenturve, Prælatorum arbitrio relictis. Ab hac opinione ut Martinus noſter, qui tum Concilio Notarii munere aderat, Patres abduceret, præſens commentariolum edidit, in quo probare adnititur, *non ſufficere Monaſteria ejusdem Ordinis, in Regulari obſer-*

obſervantia collapſa, reducere ad ſola tria ſubſtantialia, prout Reverendiſſimus Pater Dominus Legatus intendebat. Neque enim, inquit, *eſt poſſibile reformationem hujusmodi fieri, videlicet reducendo ad tria ſubſtantialia omiſſis accidentalibus.* Quod argumentum dum prolixè pertractat, diverſa notatu digna ſuorum temporum facta immiſcet, quo nomine Opuſculo, aliàs merè doctrinali, inter monumenta Aſcetico-Hiſtorica locum dedi. Ei ſtatim ejusdem Martini epiſtolam ſubjunxi *de ſtatu Monaſterii Bursfeldenſis ſub initium ſuæ reformationis*, unde tandem celeberrima illa *Congregatio Bursfeldenſis*, quæ tot ſanctis & doctis Monachis Germaniam implevit enata eſt. Porrò non videtur Martinus alio fine atque conſilio Bursfeldam profectus, quàm ut exploratis ejus lociritibus ac obſervan-

vantià videret, num ſperari poſſet univerſalis quædam unio & conformatio plurium in Germania tum florentium Obſervantiarum, Caſtellenſis ſcilicet, Mellicenſis & Bursfeldenſis, cujus unionis cupidiſſimum & ſtudioſiſſimum fuiſſe Martini Abbatem Mellicenſem, *Joannem* cognomento *de Welming* luculenter hujus aliorumque coævorum Abbatum, maximè *Tegernſeenſium* epiſtolæ, hic ex Tegernſeenſibus & Mellicenſibus Codicibus publicatæ, demonſtrant. Quid verò eo acceſſu apud Patres Bursfeldenſes effecerit Martinus, ex domeſticis monumentis non liquet, licèt rerum ab eo aliàs actarum non raro meminerint. Ex his enim habemus Martinum natione *Auſtriacum*, domo *Sengingenſem*, ſacroque Presbyteratus Ordine decoratum fuiſſe, antequam Mona-

na-

nachum in Monaſterio Mellicenſi indueret ac ſolemniter profiteretur, id quod contigit anno 1427. Leonardo Abbate. Prius ipſe affirmat in Codice Mellicenſi B. 21. his verbis: *Explicit Tractatus de perfectione ſpiritualis vitæ editus per S. Thomam de Aquino, ſcriptus per fratrem Martinum profeſſum Monaſterii Mellicenſis in Ducatu Auſtriæ, ubi & ortus eſt, at regeneratus in Chriſto gubernatore conſenſu & licentia Patrum utriusque Monaſterii Sublacenſis & Specus S. Benedicti loci de Morrabuttis ſupra ſpecum. 1565.* Ubi *regenerationem* Martini alteram ejus profeſſionem in Monaſterio Morabuttenſi, ad Sublacenſe ſpectanti, interpretor. De prima enim ejus in Monaſterio Mellicenſi profeſſione hæc diſſertè habet antiquus Cœnobitarum Mellicenſium Catalogus ad añum 1427. *Martinus ex Presbytero de Senging*

ging ſeculari probatione prævia profeſſus eſt. Additur ibidem, eum *reformatæ hujus Congregationis tertium Cellerarium & tertium Priorem quatuor annis rexiſſe, abſolutumque anno Domini 1433. miſſum fuiſſe ad Concilium Baſilienſe ut Syndicum,* ubi *expedivit & impetravit unam Karolinam & unam conſervatoriam.* Catalogo conſonat Wolfgangus de Stira noſter in Itinerario ſuo apud R. Fratrem Tom. II. Scriptorum Rerum Auſtriac. ita ſcribens : *anno 1433. in Vigilia S. Bartholomæi, quæ tunc fuit Dominica, Abbas Leonardus moritur, & Chriſtannus dictus Eybenſteiner ſibi in Abbatem ſuccedit : qui etiam eligitur per Priorem Leonardum de Maurbaco, Priorem in Achspach, per Magiſtros Ruedolfum, Narciſſum & Conradum de Halſtat ſeptimo die Septembris, quæ fuit feria ſecunda, videlicet in profeſto Nativitatis Mariæ. Et poſt circa Adventum Domini*

mini Pater Martinus a Prioratu deponitur, & Pater Johannis de Spira in Priorem ſubſtituitur. Quæ poſtrema Wolfgangi verba in ſenſu Auctoris Catalogi accipienda eſſe facilè perſuadent pietas, zelus ſanctioris diſciplinæ, varia in Divinis Litteris, SS. Patribus ſacrisque Canonibus eruditio, quæ dotes in Martino extabant, ùt ejus ingenii ac induſtriæ monumenta ſanè quàm plurima, quæ hodieque in noſtra Bibliotheca ſervantur, teſtari poſſunt. Nihil enim antiquius Martino fuerat, quàm optimos quosque, in quos incideret, libellos exſcribere, iisque Mellicenſium penum litterarium augere. Cumque magnam Europæ partem tum univerſi Ordinis, tum Monaſterii ſui causâ peragraverit, a pulcherrima tamen hac exſcribendi & excerpendi conſuetudine nullibi ſe abduci paſſus eſt.

Cir-

Circa annum 1456. Romam adiit. Itineris ejus cauſam occaſione terræ motus in Sicilia facti Johannes de Weilhaim Prior Mellicenſis narrat in Codice K. 78. *Nota*, inquit, *quòd die Cathedræ S. Petri* (anno 1457.) *rediit de Curia Romana Frater Martinus, dicti Monaſterii Mellicenſis profeſſus, ad quam miſſus fuerat per Prælatos Auſtriæ in cauſa ſubſidii & paſſagii contra Turcos, qui affirmavit veram famam eſſe de terræ motu facto in regno Siciliæ &c.* Si conjectura noſtra de *regeneratione* Martini, quam paulo ante attulimus, vera eſt, ſtabilitas ejus in loco Morrabuttenſi perpetua non fuit, ſiquidem anno 1474. jam iterum Mellicii egit, quo a Mellicenſibus ad Marcum Cardinalem tit. S. Marci, Patriarcham Aquilejenſem & Sedis Apoſtolicæ Legatum a Latere Auguſtam Vindel. miſſus fuit, ut conſtat ex qua-

dam charta memoriali noſtri Joannis de Megies, aliàs de Septem Caſtris, quam his verbis ad calcem Chronici Mellicenſis manu exarati concludit: *Horum omnium teſtis eſt venerabilis Pater Martinus de Sängin, Senior nunc noſtri Conventus, qui & miſſus fuit ad præfatum Reverendiſſimum Patrem pro confirmatione nunc Domini noſtri Abbatis Ludovici Schänczel de Chrembs.* Quamdiu deinceps ſuperſtes Martinus fuerit, mihi nondum compertum eſt. Adhuc in vivis egit anno 1480. quo electioni Auguſtini de Obernalib in Abbatem Mellicenſem Senior interfuit, quod ex ipſis electionis actis liquet apud P. Anſelmum Schrambium Chronic. Mellic. part. VI. pag. 503. Præter *Tuitiones Regulæ S. Benedicti*, quæ ex Codicibus Mellicenſibus R. 26. & N. 16. hic erutæ proſtant, reliquit etiam Martinus amplum

Formu-

Formularium ſcribendarum epiſtolarum , condendorum decretorum & edictorum in Codice Mellic. P. 50. in cujus primo folio hæc notantur: *Formularius bonus, ſcriptus & collectus in Baſilea tempore Concilii per Domnum Martinum Monachum profeſſum in Monaſterio Mellicenſi.* Scripſit præterea *Analyſin Conſtitutionum Benedicti XII. & Gregorii IX. de nigris Monachis*, in Codice Mellic. N. 16. & fortè alia plura, de quibus alibi commodius agetur. Opuſcula verò, quæ ad aliorum Codicum fidem ſua manu exaravit, propè innumera ſunt. Quibus accenſendus & ille Codex Helmſtadienſis, ex quo V. Cl. Hermannus v. der Hardt Tom. VI. Rerum Concilii Conſtantienſis, Andreæ Epiſcopi Magorenſis Hiſpani O. S. Ben. *Gubernaculum Conciliorum* edidit, ad cujus calcem ſequentia adſcripta ſunt:

 Scri-

Scriptum Baſileæ, tempore Concilii Generalis ibidem celebrati, anno Verbi incarnati MCCCCXXXVI. a nativitate verò Chriſti anno &c. XXXVII. d. 19. Martii, manu fratris N. profeſſi Monaſt. Mellicenſis, Patavienſis Diœceſis, Ord. S. Benedicti. Quibus verbis Martinum deſignari tum ex hucusque dictis, tum ex aliis manu ejus deſcriptis Codicibus certiſſimum eſt.

XVIII. *Johannis III. Epiſcopi Eyſtettenſis Hiſtoria reformationis Monaſterii S. Walpurgæ Ord. S. Bened. p. 650.* Illuſtris hic doctrinâ & vitæ ſanctimoniâ Epiſcopus Sedi Eyſtettenſi ab anno 1445. usque ad an. 1464. præfuit, cujus *audita morte Pius II. Pontifex Maximus dixiſſe fertur in cœtu Cardinalium, Eccleſiam meritò lugere debere, quandoquidem columnam auream & Eccleſiæ præcipuam, & Alamannia notabilem Prælatum perdidiſſet,* ùt tradit apud Jacob. Gretſerum in

Cata-

Catalogo Epiſc. Eyſtettenſium Auctor Appendicis ad *Gundackarum* pag. 511. qui paulo ante de reformatione Monaſteriorum Diœceſis Eyſtettenſis, Johannis ductu patrata, hæc commemorat: *Monaſterium S. Walpurgis in civitate Eyſtettenſi ſitum, ubi regularis obſervantia jam exulaverat, labore maximo, obſiſtentibus ſibi nobilibus multis, reformat, funditusq́ dirutum (nam vetuſtate & incuria ferme corruerat) ædificiis renovari fecit. In dies Præſulis vigilantiâ nedum in ſpiritualibus, ſed temporalibus quoq; Monaſterium augetur. Nam ubi olim vivebant decem tantùm, nunc triginta aut quadraginta Chriſti Virginibus pro alimentis reditus Monaſterii ſufficiunt. Ejusdem profeſſionis Monaſterium, nomine Bergen, ædificiis & obſervantia regulari optimè inſtauratum reliquit. Canonicos Regulares in Rebdorff vita ſeveriori inſtituit, Windesheimenſis obſervantiæ ritus*

ac ſtatuta illuc transferens. Fratres Prædicatores in civitate Eyſtettenſi, D. Dominici præcepta negligentes, regularem vitam amplecti compulit, rebellibus procul pulſis. Multa denique ſolicitudine Clero ſuo invigilavit, adeò, ut pœne omnium Presbyterorum ſuorum, maximè curatorum nomina, vel perſonas & mores probè cognoſceret. Tum poſt aliqua ſubdit de Johannis Opuſculis: *Inter alia reformationem Statutorum ac judicii Eyſtettenſis, ſummo conſilio editam, perpetuò obſervari voluit. Ordinem etiam Judiciarium compilaverat, juris ſcientiam præcipuam redolentem, ſed nondum emanaverat, dum mortem obiret. Edidit & alios Tractatulos, ac Monaſteriis chartas, quæ rectè vivendi normam darent, de comparatione vitæ activæ & contemplativæ. Item de Conſtantia ad Virgines S. Walpurgis, ac alia quædam reipublicæ ac Religioni proficua.* Ubi obſerves, Lector, Johannis

nis libellum *de conſtantia ad Virgines S. Walpurgis* hoc ipſum Opuſculum eſſe, quod nos *Hiſtoriam reformationis Monaſterii S. Walpurgis*, præcipuum illius argumentum ſpectantes inſcripſimus. Extat id in Codice Mellicenſi ſignato Litt. O. num. 52. Johannis ævò exarato. Reliquorum ejusdem Opuſculorum, a Gundackarii Continuatore memoratorum, nihil vidi, niſi fortè ex iis quædam eadem ſint, atque ſequentia, quæ habentur in Bibliotheca Tegernſeenſi.

1. *Epiſtola ad Bernardum de Waging Priorem Tegernſ. de eo, num tutius & utilius ſit uni Deo & ſibi in Monaſterio vacare, quàm in cura animarum & prælatione exiſtere.* Incip. *Johannes Dei gratia &c. Allatæ ſunt pridem &c.* In Cod. num. 596. notato.

2. *Aliæ quinque ad eundem Bernardum Epiſtolæ* in Cod. 548.

3. *Epiſtola ad Jacobum Anachoretam Domus Cartuſienſis Cellæ Salutis in Ducklhauſen, de gravi onere præſulatûs.* Incip. *Johannes Dei gratia &c. Quoniam juxta Prophetam &c.* In eod. Codice, ubi & additur reſponſio Jacobi duabus epiſtolis. Ibidem vidi *Erhardi ejusdem loci Prioris amplam ad Johannem Epiſtolam, qua eum in ſuis tribulationibus & oneribus conſolatur.*

Ex his poſterioribus epiſtolis puto me aliquid typis in 4. excuſum conſpexiſſe in Bibliotheca Tegernſeenſi. Quocirca ſi fallor, omnes profectò luce publica dignæ forent, qua eas, mox ut accepero, tanto promptiùs & libentiùs donabo, quantò præclariùs earum auctor de ſacro noſtro Ordine commeritus fuit.

Ven.

Ven. CATHARINÆ de GEWESWILER,

Prioriſſæ Subtilienſis, ſeu Unterlindenſis Ord. S. P. Dominici, Colmariæ in Alſatia,

DE VITIS PRIMARVM SORORVM MONASTERII SVI LIBER,

Ex MS. Cod. Tilienſi.

Acceſſit Appendix de Vitis aliquot aliarum pietate præſtantium ejusdem Ordinis Virginum e diverſis MSS. Codd. collecta.

APPROBATIO.

EX commiſſione Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis, Epiſcopi Conſtantienſis, Vitam primarum Sororum ſub Tilia & aliarum noſtri Sacri Ordinis Prædicatorum, *ſumma diligentia conſpexi, & nihil ſanè animadvertere potui, quod ſpiritum non excitet, affectum inflammet, devotionem foveat ac nutriat. Quare noſtro judicio, pro Religioſæ ac Chriſtianæ vitæ amatoribus, præcipuè verò ad ſacrarum ſororum animos ad virtutem inflammandos meritò evulgari, atque ad manus omnium devenire poſſunt ac debent. In quorum fidem propria manu ſubſcripſimus. Friburgi Briſgoiæ 24. Maij 1625.*

F. Ludovicus Venegas
Ord. Præd. SS. Theologiæ Mag. & Studiorum Regens ac primarius Profeſſor.

ELOGIUM
DOMINÆ
CATHARINÆ
EX GEBESWILER *, PRIORISSÆ COENOBII SUB TILIA,
HUJUS LIBRI AUCTORIS.

Habetur in MS. Codice ejuſdem Cœnobii.

CLaruit in Monaſterio ſub Tilia, reverentiâ & laude digna Soror Catharina ex Gebeswiler, Sapientiſſima Virgo, magna Dei

* Gebeswiler *ſeu, quod idem videtur,* Gebwiler, *eſt oppidulum ſuperioris Alſatiæ Abbatiæ, Murbacenſi ſubjectum.*

gratia, multíſque virtutibus excellens, â pueritia in eodem Sancto Monaſterio educata, ubi rigor Sacræ Religionis tum temporis maximus erat, canonéſque Monaſtici optimè ac perfectiſſimè â ſororibus ſervabantur. Inter quas ipſa tanquam ſplendidiſſima columna ſanctitatis, gratiæ, religionis & ſapientiæ clariſſimè refulſit. Ibidem uſque ad ſupremum vitæ ſuæ diem laudabiliter, ſanctéque vixit ſine omni querela, & Deo devotiſſimè ſervivit.

In ſcripturis admodum verſata & erudita erat (quo dono cæteris præſtabat) ùt evidenter apparet ex inſigni *libro*, quem conſcripſit *de perfecta converſione, ferventique erga Deum devotione prima-*

marum ſanctarum ſororum ſui Monaſterii ſub Tilia, quæ â principio uſque ad ipſius tempora in florido & virenti horto Ordinis Prædicatorum in omni ſanctitate, exacta monaſticæ diſciplinæ obſervatione, ac perfectâ virtutum exercitatione vixerant: quem librum ſancti, doctíque illius ordinis Patres approbârunt & commendârunt.

Hæc veneranda, & excellenti gratiâ illuſtris ſoror Catharina ſpeciali devotione & dilectione ferebatur erga Patres Ordinis, quos ſciebat ſapientiâ, doctrinâ, virtutibus, & vitæ laudabilis famâ inſignes, etiam in longè diſſitis regionibus exiſtentes: quódque non minùs præclarum eſt, ipſam iidem ſancti Patres maximo proſequebantur ho-

honore, favore & amore ob ſancti-tatis tum ipſius, tum ſororum ejus fragrantiam longè latéque diffu-ſam, ùt ſatis teſtantur *Epiſtolæ Patris Venturini ad eandem ſo-rorem Catharinam*, dum Prioriſ-ſam ageret, ejúſque ſorores ſcri-ptæ.

Deſcriptio Civitatis Colma-rienſis.

C*Olmaria*, olim *Columbaria* dicta, eſt Imperialis * & ele-gans Civitas in medio ferme Alſa-tiæ (quæ ſuperioris Germaniæ re-gio eſt) & fœcundo ſolo, vini fru-mentíque feraci ſita. Variis quon-dam exagitata eſt tum civium ſedi-tionibus, tum bellis ab externis, præcipuê Rudolpho Habsburgenſi, &

* Ab Anno 1673. juris Francici.

& Adolpho Naſſovienſi Regibus Romanorum, illatis, quò aliquot hujus libri hiſtoriæ alludunt. Multis alluitur amnibus, præſertim Loucho, Turo, Fächto, Ello &c. quorum pars in ipſam civitatem influunt, pars ſecus eam per prædia decurrunt, ipſúmque terræ fundum fertiliorem reddunt.

VENERABILIS

P. MATTH. THANNERI,

CARTUSIANI FRIBURGENSIS,

PRÆFATIO AD LECTOREM,

Nomine

JOANNIS HARTMANNI,

Typographi Molshemenſis, cui hoc Opus typis excudendum ille deſtinaverat, conſcripta.

CUm in *Librum de Vitis primarum ſanctarum ſororum Monaſterii ſub Tilia,* vulgò *Underlinden,* Ordinis S. Dominici, Colmariæ in Alſatia ſiti, incidiſſem, eùmque ſpiritalibus opibus & deliciis refertum offen-

offendiſſem, nolui omittere, piè lector, quin è latebris illum eruerem, & tibi quòque easdem opes *deliciáſque* communicarem. Nam deſcribitur in eo harum beatarum ſororum *primò* auſteritas vitæ tanta, ut mirum, homines, præſertim imbecillioris ſexûs, tam ardua perfeciſſe, tam moleſta & acerba pertuliſſe. Deinde Monaſticæ diſciplinæ zelus & obſervantia perfecta. Adeo enim exactè juxta Ordinis ſui conſtitutiones vixerunt, ut vel apicem earum prætergredi nefas duxerint. Præterea eximia ſanctitas. Virtutibus enim, quæ verè ſanctum efficiunt, excellenter ornatæ fuerunt. Ad hæc præclara & ſtupenda Dei dona, quorum nonnulla intimis ſolummodo Dei

amicis, & perfectioribus Sanctis conceſſa leguntur. Et hæ ſunt ſpeciales opes, quas liber iſte continet.

Deliciæ verò ſunt ſuaviſſimi Dei in has amabiles ſponſas ſuas influxus, divinæ conſolationes, dulcedines, & animæ gaudia, quibus cumulatiſſimè perfuſæ ac repletæ fuerunt. Sunt & mellitiſſimæ æternæ beatitudinis ſorbitiunculæ, tum eis ſublimiùs & abundantiùs collatæ, cùm ſopitis ſenſibus mente in Deum exceſſerunt.

Quamvis autem ab iis, quæ hoc libro traduntur, omnis falſitatis ſuſpicio abeſſe debeat, eò quòd olim, ùt paulò ante in elogio Dominæ Catharinæ ex Gebeswiler, auctoris ejusdem dictum, â ſanctis & doctis Patribus Ordinis Prædicato-

torum liber viſus, approbatus & commendatus ſit, & quidam de illuſtribus ejusdem Ordinis perſonis agentes non pauca ex eo deſumpſerint: pro majori tamen fide illis concilianda nonnulla hîc in medium adducere libet.

P. Reinerus, Prior Fratrum Prædicatorum Baſileæ, juſſus â Domino Alberto Magno, tum temporis Epiſcopo Ratisponenſi de Sanctis Patribus Ordinis S. Dominici, qui ab initio ad id uſque temporis in Germania claruerant, hiſtoriam texere, in libelli ſui præfatione ad eundem Epiſcopum ſic ſcribit: *Fidenter dico, quòd ſi accuratè quoque ſtupenda, quæ Deus â principio Ordinis uſque in præſens in noſtris ſororibus ad ſpirita-*

talem ipſarum conſolationem operatus eſt, inveſtigarentur, & literarum monumentis traderentur, eadem vel ſaxea corda ad compunctionem ac devotionem permoverent & ad plurimorum ædificationem cederent. Quod ut de multis Germaniæ Cœnobiis verum eſt, ita de Underlindenſi veriſſimum: ad quod etiam potiſſimùm id ſcribens reſpexiſſe videtur, cùm ea tempeſtate illi præfuerit & ſecreta ſororum probè perſpecta habuerit. Nam poſt P. Waltherum, Argentinæ fratrum Prædicatorum Priorem, cujus conſilio id extructum fuit, ipſe ſecundus illud ſanctè prudentérque quadraginta tribus annis rexit. *

Cæ-

* Ita MS. Codex Cœnobii Underlindenſis teſtatur.

Cæterùm quod ad libri hujus Auctorem attinet, nempe Catharinam ex Gebeswiler, non tantùm ea ſcribit, quæ aliæ ſorores ex illis ipſis, quarum vitas edit, acceperunt, eidémque integra fide retulerunt, ùt ipſa paſſim teſtatur, ſed etiam non pauca, quæ propriis oculis conſpexit, ſicut hinc inde liquidò apparet. Et quid mirùm, cùm multas ſanctarum illarum ſororum noverit? Ut enim è diverſis locis conjicere licet, Monaſterium ingreſſa eſt circa annum Domini 1260. nimirum â prima ejus fundatione fermè triceſimum, quando paucæ adhuc prædictarum ſororum obierant, & in eo ſanctè exegit annos plus minùs ſeptuaginta, vitâ circa annum Domini 1330. functa. Cùm enim â pueritia in eodem Mona-

naſterio educata ſit, necdum decennem fuiſſe, quando ad Cœnobium venit, vero ſimile eſt. Et quia affectâ ætate *oculiſque caligantibus* ſe hunc librum ſcripſiſſe in prologo ſuo affirmat, annis plùs minus ſeptuaginta in eo vixiſſe & octogenariam, vel circiter deceſſiſſe colligitur. Quare multorum quæ ſcripſit teſtem oculatam fuiſſe oportet.

Sed & ipſemet Deus veritatem eorum, quæ hoc libro continentur, non ſemel apertiſſimo ſigno comprobare viſus eſt. Nam cùm Domina Catharina primùm ea tabulis cereis mandaret, tanta ex illis tabulis ubicunque locorum poſitis, odoris fragrantia prodibat, ut ſorores plurimùm mirarentur. Quo uno ſigno Dominus & ſcribentis, &

& ſororum, quarum vitas ſcribebat, ſanctitatem & ſcriptorum veritatem aſtruxiſſe dubium non eſt.

Fructum verò multiplicem pio lectori hæc hiſtoria afferet. Etenim quàm excellens bonum ſit Religio Monaſtica rite ſervata quantámque utilitatem, dignitatem, & jucunditatem ſuis alumnis conferat, intelliget: tum bonorum operum & laborum pro Chriſto exantlatorum virtutem ac præſtantiam perſpiciet, nempe quid eadem homini à Deo impetrent, & quàm charum gratúmque Domino Deo efficiant. Denique largiſſimam divinæ Pietatis & Charitatis in homines, præſertim ſanctè in Monaſtica Religione viventes, effuſionem cognoſcet dicetque: *Domine*

quid

quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronâſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuũ tuarum. Pſ. 8. *Domine quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid opponis erga eum cor tuum?* Job. 7. Itémque: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Pſ. 30. Si tam bonus & dulcis es hìc timentibus & quærentibus te, quid in Regno cœlorum fruentibus te?

Suaveolentibus roſis, quas hortus Underlindenſis tulit, adjuncta

junctæ ſunt aliæ * in Viridario Ord. S. Dominici enatæ, quas ut cæleſtis ſponſus ſuavi earum odore allectus jam legit & in Regiam ſuam tranſtulit, ubi ſimul omnes perpetuò vernant & fragrant, ita hîc ad ejusdem Ordinis decus conjunctim in publicum proferre ac VV. VV. PP. ** dedicare volui, non tantùm, ut ſanctæ & ad Canonis Monaſtici normam perfectè inſtitutæ vitæ illuſtria in ipſis exempla cernerent, ſed earum etiam nomine, ceu Nobilium Patriarchæ ſui filiarum, inſignium ordinis ſui membrorum, & ſuarum in CHRISTO ſororum, meritò ſibi gratularentur.

Dominus DEUS, qui tam mirabilia & amabilia in his beatis ſo-

* *Ex his in Appendice non niſi aliquas ſelegi, quarum ſcilicet vitas aut omnino incognitas, aut certè perpaucis notas exiſtimavi.*

** *Alloquitur RR. PP. Dominicanos Seleſtadienſes.*

roribus, aliisque Sanctis ſuis operatus eſt, nobis omnibus interceſſione illorum gratiam & gloriam largiri dignetur, qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

E Typographia Molshemenſi Anno Domini MDCXXV. die ...

VV. VV. PP.

Obſervantiſſimus
JOANNES HARTMANN,
Typographus Molshemenſis.

INDEX.

Capitum hujus Operis.

CAP. I. De perfecta converſione & cordis fervore ad DEUM ſororum, primò clauſtrum ingreſſarum.

CAP. II. De ſtricta ſilentii obſervatione.

CAP. III. De diligenti inſtructione Novitiarum.

CAP. IV. De frequentatione divini officii & aſſiduitate orationum.

CAP. V. De rigore abſtinentiæ.

CAP. VI. De obſequiis mutuæ charitatis.

CAP. VII. De Prioriſſis hujus congregationis ab inchoatione monaſterii, earumque ſtatu perlucido & perfecto.

CAP. VIII. De ſpeciali devotione & veneratione primarum ſororum ad B. V. MARIAM.

CAP. IX. De Sororibus, quibus in vita vel in morte Dominus ſpecialem gratiam conſolationis oſtendere dignatus eſt: Et primò de quadam ſorore nomine *Benedicta de Mülhauſen.*

CAP. X. De ſorore nomine *Benedicta*, dicta *de Egensheim*, ſupra modum DEO devota.

CAP. XI. De ſorore *Agnete de Ochſenſtein* felicis memoriæ.

CAP. XII. De ſorore *Gertrude de Columbaria* dignæ memoriæ.

CAP. XIII. De religioſa converſatione ſanctæ memoriæ ſororis *Tudæ de Egensheim.*

CAP. XIV. De vita laudabili beatæ ſororis *Hedvvigis de Steinbach.*

CAP. XV. De ferventiſſima converſatione bonæ memoriæ ſororis *Mechtildis de Wincenheim.*

CAP. XVI. De odoris mira fragrantia in obitu bonæ memoriæ ſororis *Stephaniæ de Phirreto.*

CAP. XVII. De feliciſſima ſorore Helwige de Wigenheim.

CAP. XVIII. De laudabili vita & obitu ſororis *Hedvvigis de Gudelsheim*, Monaſterii ſub Tilia Prioriſſæ.

CAP. XIX. De quadam noſtri Monaſterii ſorore, nomine *Hedvvige*, cognomento *de Logelnheim*, cui mirabilem conſolationis gratiam Dominus indulſit revelando ſibi ſecreta cæleſtia, in cujus quoque exitu lætificare Dominus dignatus eſt ſorores tunc præſentes per odoris inſueti fragrantiam.

CAP. XX. De veneranda & ſancta ſorore bonæ memoriæ, *Bertha* nomine, *de Rubeaco*, Monaſterii de ſub Tilia, quæ audire promeruit, dum adhuc vixit, Angelicam harmoniam, quam etiam Dominus JESUS

CHRI

CHRISTUS circa obitum ſuum inviſere dignatus eſt cum MARIA matre ſua.

CAP. XXI. De beata ſorore venerabilis memoriæ, nomine *Agnete*, dicta *de Herckenheim*, hujus monaſterii fundatrice.

CAP. XXII. De beata ſorore *Herburge de Herckenheim*, bonæ memoriæ, quam Dominus in præſenti multis ſupernis conſolationibus frequentavit.

CAP. XXIII. De felice ſorore *Adelheide de Rheinfelda* divæ memoriæ hujus quondam monaſterii Prioriſſa.

CAP. XXIV. De beata ſorore *Gertrude* dicta *de Herckenheim*, dulcis memoriæ.

CAP. XXV. De ſorore ſanctæ memoriæ *Agnete de Wallaria* cognomento.

CAP. XXVI. De ſorore *Adelheide de Apiaco* bonæ memoriæ.

CAP. XXVII. De ſorore divæ memoriæ *Gertrude de Bruck*.

CAP. XXVIII. De ſorore felicis memoriæ *Adelheide de Torolzheim*.

CAP. XXIX. De duabus aliis ſororibus, videlicet *Eliſabeth de Junckholz*, pariterque *Gertrude de Girſperg*, devotis valde & cum omni reverentia nominandis.

CAP. XXX. De felici ſorore bonæ memoriæ nomine *Giſelhilde*.

CAP. XXXI. De felici ſorore *Annâ de Wineck* prædulcis memoriæ.

CAP. XXXII. De ſorore *Tuda de Columbaria* beatæ memoriæ.

CAP. XXXIII. De beatâ ſorore *Gertrude de Rheinfelda.*

CAP. XXXIV. De felici ſorore *Sophia de Rheinfelda.*

CAP. XXXV. De duabus ſororibus felicibus uterinis, ſcilicet *Mechtilde* & *Agnete*, pariter *de Apiaco.*

CAP. XXXVI. De beatâ ſorore *Hedvvige de Laufenberg*, felicis memoriæ.

CAP. XXXVII. De venerabili ac bonorum memoriâ digna ſorore *Eliſabeth de Senheim.*

CAP. XXXVIII. De felici ſorore *Eligenta* nomine *de Sulzmat.*

CAP. XXXIX. De ſorore bonæ memoriæ *Heilrade de Horburg.*

CAP. XL. De religioſa ſorore *Rinlinde de Biſeck*, piæ memoriæ.

CAP. XLI. De beatâ ſorore *Adelheide de Muntzenheim* dulcis memoriæ.

CAP. XLII. De felici ſorore *Eliſabeth de Rubeaco*, ſanctæ memoriæ.

CAP. XLIII. De quadam ſorore Laica, *Mechtilde* nomine, *de Columbaria*, piæ memoriæ.

CAP. XLIV. De quadam ſorore Converſa devota, nomine *Agnete de Blotzenheim*, felicis recordationis.

CAP. XLV. De devota CHRISTI famula *Adelheide de Sigolzheim.*

CAP. XLVI. De devota ſorore nomine *Gertrude* orta de Civitate quadam *Weſtphaliæ* Provinciæ *Saxoniæ.*

CAP. XLVII. De ſorore *Gertrude de Hattſtat*, bonæ memoriæ.

CAP. XLVIII. De ſorore *Hedvvige de Gevviler* felicis memoriæ.

CAP. XLIX. De beata quondam hujus Monaſterii ſorore *Margareta de Briſaco*, felicis recordationis.

APPENDIX.

CAP. I. De ſorore *Margareta de Kentzinga*, Laica Tilienſi.

CAP. II. Vita ſororis *Elizabeth Kempſin de Colmaria*, virginis Tilienſis.

CAP. III. De *Elizabeth de Neüſtat*, virgine Adelhuſana Ord. S. P. Dominici.

CAP. IV. De *Adelheide de Briſaco*, ejusdem Monaſterii ſorore.

CAP. V. De ſtatu, gratiis, & virtutibus ſororum ejusdem loci.

CAP. VI. De *Elizabeth de Eycken*, ſorore Monaſterii Ottenbacenſis Ord. S. P. Dominici.

CAP. VII. De *Mechtilde de Stans* ſorore Cœnobii Töſenſis ejusdem Ordinis.

PRIMORDIA MONASTERII SVB TILIA.

Ex MSS. ejusdem Monaſterii codicibus.

Sicut malus inter ligna ſylvarum: ſic Dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem diſiderabam, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Cantic. 2.

DEſideratiſſimus & ſuaviſſimus *Dilectus* eſt filius Dei Omnipotentis, æterna ſapientia Patris, Benedictus fructus Virginei ventris Mariæ, Christus Jesus, *candidus & rubicundus*, *electus ex millibus*. Cantic. 5. Hic dilectiſſimus Dilectus deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum, ut paſcatur, & Lilia colli-

colligat. Cant. 6. In horto ſanctæ Eccleſiæ multæ ſunt areolæ aromatum, id eſt, multa diverſorum Ordinum Cœnobia, variis virtutibus ſuaviter redolentia. Ex iis quoddam præ multis aliis judicio ſapientûm meritò celebratur ceu rigore vitæ monaſticæ præcellentius, & virtutum copiâ redundantius. Hoc ſitum in oppido Colmarienſi ſub Tiliis ad S. Joannem Baptiſtam, cui quondam Sacellum ibi ſacrum fuerat. Diciturque *Tilia*, quoniam ſpecioſæ *Tiliæ* circa illud viſuntur: potiſſimum verò, quia ſorores ibi ſub nobiliſſimis & floridiſſimis arboribus, hoc eſt, ſub umbra Dilectiſſimi, de quo propoſitum thema loquitur, & ſub protectione Genitricis Dei, atque regimine maximi inter natos mulierum, S. Joannis Baptiſtæ, Patroni ſui ſedent & quieſcunt, dulciſſimosque fructus S. Spiritûs carpunt. Ad hanc floridam & fertilem areolam aromatum Dilectus deſcendit, non tantùm ut lilia colligat, ſed etiam mirâ & multiplici fragrantiâ, ex omnigenis ipſarum virtutibus exhalante, paſcatur & recreetur.

Prima hujus nobilis areolæ aromatum benedicti Monaſterii ſub Tilia inſtitutio

ſeu fundatio hæc eſt. Duæ Viduæ, pietate, morum honeſtate ac generis nobilitate conſpicuæ, Colmariæ habitârunt Agnes de Wittelnheim & Agnes de Herckenheim. Iis â DEO inſpiratum eſt, ut juxta conſilium F. Walteri, Lectoris in Conventu FF. Prædicatorum Argentinæ (cujus beata memoria habetur in Vitis Patrum Ord. S. Dominici) monaſterium conderent. Hoc ſuum propoſitum aliis vicinis viduis aperuerunt, audituræ illarum quoque hac in re ſententiam. Inde multo gaudio affectæ eas conſilio & auxilio ſtrenuè juverunt. Prædictæ duæ viduæ ædes ſuas, quas Colmariæ habebant, ſub annua penſione aliis locantes, ſeſe unà cum filiis & filiabus ſuis in ſuburbium contulerunt, ubi altera earum domum & fundum poſſidebat in loco, qui dicitur *ſub Tilia* ubi tamen non diu moratæ ſunt. Nam duarum nobilium matronarum, quæ illis ſe adjunxerant, conſilio ſuburbium relinquentes, ad locum, qui *Auffmülen* vocatur, ad ſacellum S. Joannis Baptiſtæ pariter ſe receperunt in ejusdem ſancti Pervigilio Anno Domini 1222. erantque illarum octo.

Eodem

Eodem anno in ſolennitate S. Andreæ Apoſtoli præfatæ ſorores habitum Monaſticum à prædicto F. Waltero, Lectore Argentinenſi, ſub Generali Magiſtro Jordano ſuſceperunt. Mox eodem loco aliquot domos & longum, latum, altumque dormitorium conſtruxêre ex lapidibus, ubi ſe incluſerunt, vitam ducentes religioſiſſimam. Per conductitios ſervos & ancillas more priſcorum Cœnobiorum ſuos colebant agros & vineas, atque integræ famæ ſacerdotem, quotidie illic ſacris operantem, ſuis ſumptibus alebant. Verùm primæ duæ nobiles ac devotæ viduæ, hujus Monaſterii fundatrices, multo labore animoque infracto Romam profectæ ſunt, & Cœnobium ſororum, quod ipſe S. Pater Dominicus inſtituit, contemplatæ, cùm ſtructuræ, tum habitûs & diſciplinæ Monaſticæ ſpecimen inde ſumpſerunt. Sed & magno fervore atque conſtantiâ Ordinem & habitum FF. Prædicatorum à SS. Patre noſtro Innocentio Papa quarto poſtulârunt, & ut curæ ac regimini ipſorum commendarentur, ejuſdemque Ordinis Privilegiis gaudere poſſent, ſupplicârunt. Devotis illarum precibus Summus Pontifex libenter annuens

Bul-

Bullam miſit Magiſtro Ordinis, & Provinciali Priori per Germaniam in hæc Verba.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Priori Provinciali Theutoniæ Ordinis Prædicatorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ Sedis benignitas prudentes Virgines, quæ ſe parant accenſis lampadibus obviam Sponſo ire, tantò propenſiori debet ſtudio proſequi charitatis, quantò majori propter fragilitatem ſexûs indigere ſuffragio dignoſcuntur. Cùm igitur, ſicut ex parte dilectarum in Chriſto filiarum, Prioriſſæ & ſororum Monaſterii S. Joannis Baptiſtæ in Columbaria Ord. S. Auguſtini, Diœceſis Baſileenſis fuit propoſitum coram nobis, eædem incluſæ corpore in caſtris Clauſtralibus, mente tamen libera, devotè Domino famulantes, de Conſtitutionibus Fratrum Ordinis veſtri; illas quæ ſibi competunt, hactenus laudabiliter obſervârint, ac committi vobis affectent, nos pium earum propoſitum in Domino commendantes, ipſarum ſupplicationibus inclinati, eas & idem Monaſterium auctoritate Apoſtolica vobis duximus committendum, eâdem auctoritate nihilominus ſtatuentes, ut eædem ſub Magiſterio & doctrina Magiſtri & Prioris Provincialis Theutoniæ dicti Ordinis, qui pro tempore fuerint, de cætero

debe-

debeant permanere, illis gaudentes privilegiis, quæ Ordini prædicto conceſſa ſunt, vel in poſterum concedentur. Dat. Lugduni Non. Sept. Pontificatûs noſtri Anno tertio. *

Poſt aliquot annos eadem Bulla denuo confirmata eſt, & D. Hugo ** Cardinalis miſit illis tranſumptum cum dependenti ſigillo, cujus hoc eſt initium.

F. Hugo miſeratione divinâ Tit. S. Sabinæ Cardinalis almificis Agni Sponſis, omnibus Prioriſſis & ſororibus per Alemanniam conſtitutis Ordini Prædicatorum, à Sede Apoſtolica commendatis, ſalutem, & ſponſum apprehendere, quem ſequuntur. De florido horto Eccleſiæ roſæ quædam in Alemannia prodierunt, quæ ſicut ſpecie & pulchritudine ſua alliciunt propè poſitos, ita etiam odore ſuo attrahunt in remotis partibus conſtitutos. Sanè roſas iſtas, vos eſſe dixerimus, quas olim in præclaro roſario, roſeo videlicet Prædicatorum Ordine felix ille plantârat Hortulanus, piæ recordationis D. Innocentius Papa quartus, cùm vos venerabilibus FF. Magiſtro & Priori Provinciali Theutoniæ memo-

* *Domini 1246.*

** *Hic Hugo aliàs de S. Charo dictus, fuit doctus & ſanctus vir, in Cardinalem aſcitus Anno Domini 1244.* Conrad. Zillard. in Germ. Chron. Ord. Prædicatorum. *fol. 22.*

morati Ordinis commendârat. Nos auctoritate ſpecialiter nobis in hac parte commiſſa vos eidem roſario reinſerimus ſicut priùs. Dat. Romæ apud S. Sabinam 3. Id. Feb. Pontificatûs D. Alexandri Papæ quarti Anno tertio. *

Sed anno à Redemptore nato 1252. ſorores de loco *Auffmülen* Colmariam reverſæ ſunt: cujus emigrationis cauſa hæc erat. Milites ſeu Nobiles civitati Colmarienſi vicini quotidie armati veniebant ad Civitatem, eamque incurſionibus vexabant; unde Cives coacti ſunt ſuburbium mœnibus & foſſâ cingere. Quo factum, ut prædictum Monaſterium *Auffmülen* â civibus deſereretur, proſúſque immunitum maneret: ſorores autem partim extraneos milites, partim etiam incolas civitatis timentes, loco *Auffmülen* relicto, iterum in ſuburbium ad primum locum ſub Tilia commigrârunt.

A noſtris majoribus tam ſpectatæ fidei perſonis, ut verbis eorum non credere nefas putemus, nec non ſæcularibus, quorum nihilominus parentes locum *Auffmülen* incoluerunt, accepimus, S. Joannem Baptiſtam

* *Fuit Annus Domini 1257.*

ſtam nocte, hanc loci mutationem præcedente, quibusdam Sororibus in ſomnis apparuiſſe ac dixiſſe, ſe pariter cum ipſis locum ſub Tilia petiturum, ibi ſemper apud eas manſurum, & adjutorem atque protectorem illarum ſeſe futurum, nec unquam eas deſerturum. Scirent etiam, incommoda quidem & afflictiones ipſas paſſuras, ſemper tamen â ſe fore liberandas. Quædam etiam vocem audierunt altè ſub terra clamantem: Ne ſine me hinc diſceſſeritis, ſed me vobiſcum tollite. Quam vocem inſecutæ, humum effoderunt, & venerandam S. Joannis Baptiſtæ imaginem cum duabus ardentibus lampadibus invenerunt. Duo quoque Angeli ibidem viſi ſunt, qui tamen mox earum conſpectibus ſeſe ſubduxerunt. Unde ingenti lætitiâ perfuſæ magna cum reverentia & devotione ſacram imaginem è terra levârunt, ſecumque in benedictum locum ſub Tilia aſportârunt, ubi in ſuperiori templi parte juxta Altare B. MARIÆ Virginis unà cum duobus Angelis, candelabra tenentibus, collocata eſt, in monimentum, quod ſub terra inter duos Angelos duasque ardentes lampades reperta eſſet.

Et quoniam S. Joannes Baptiſta tam clementer apud Sorores eſſe ac manere voluit, idcirco eum in Patronum & protectorem ſui Cœnobii ſub Tilia delegerunt, quanquam prius S. Andream Apoſtolum adſciſcere decreviſſent, eò quòd in ſolennitate ejusdem Apoſtoli primò habitum monaſticum induiſſent. Poſtmodum Eccleſia & Monaſterium in honorem B. Joannis Baptiſtæ conſecrata ſunt. Eccleſiâ extructâ, ingens Crux plumbo cooperta in faſtigio tecti verſus Orientem poſita eſt: Super Crucem elegans S. Joannis Bapt. imago (ni fallor ærea) ſtatuta. Et ſi quandoque incendium monaſterio damnum minitans oriebatur, apertè S. Joannes pallio ſuo viſus eſt ignium globos diſcutere, longiusque â ſuo habitaculo propulſare. Quodam verò tempore ſævus turbo prædictam æream imaginem, è grandi ferreo clavo, cui immiſſa erat, abripuit, & in Religioſam domum Joannitarum, ùt nobis relatum eſt, demiſit, quam tamen ultrà recuperare non valuimus. Hæc à majoribus noſtris commemorata in ſcriptis non reperimus, ſed hîc annotavimus, ne progreſſu temporis penitus in oblivionem venirent, & ut poſteritas

ritas noſtra eò majorem devotionem atque fiduciam erga ſanctiſſimum Chriſti Baptiſtam, glorioſiſſimum Patronum noſtrum conciperet.

Narratum etiam nobis eſt, quòd prædicta ejusdem honoranda imago ob ferocem gentilem populum, aliquando per partes illas profectum, ſubter terram occultata fuerit, qui ſacellum S. Joan. Baptiſtæ, quod *Auffmülen* tunc temporis fuerat, deſtruxit, in quo fortè imago illa aſſervabatur: ſed ita terræ mandata cùm à truculentis hominibus ſalvata, tum SS. Angelorum cuſtodiâ beatarum ſororum ſub Tilia devotioni reſervata eſt.

Anno verò Domini M. CCCC. memorata plumbea Crux cum clavo ferreo, qui priùs imaginem S. Joannis Baptiſtæ ſuſtentaverat, vehementi turbine avulſa, & recta per aërem delata, ac ſine ullius hominis & ædificii detrimento, non procul â foribus Eccleſiæ depoſita eſt. Crux hæc tam longa, grandis & gravis fuit, ut eam vix duodecim ſorores loco movere poſſent; & niſi B. Joannes Baptiſta tam mirabiliter & opportunè eam ſuſtuliſſet, tectum ac teſtu-

teſtudinem chori caſu ſuo contriviſſet, qui profectò caſus ob interiorem trabem ligneam, vetuſtate temporis omni ex parte putrefactam, jam jam imminebat. Hoc S. Joannes Baptiſta conſpicatus, nos id ignorantes, ſed nec cernere quidem valentes, hac ratione protexit, propter quod miraculum & beneficium DEUS ſolemni cantico *Te Deum Laudamus*, magnificè â nobis collaudatus eſt.

Sequitur Liber, *quem Deo dilecta* Soror Catharina ex Gebeswiler *Latinè de auſtera primarum hujus cœnobii ſororum, converſatione ingentique ſanctitate ac devotione conſcripſit. Quocunque tabulas cereas, in quibus primùm ſcribenda conſignabat, repoſuit, tanta odoris ibi fragrantia ſpirabat, ut omnibus ſororibus id ſtupori eſſet, intelligerentque, hoc pacto declarari, quàm gratæ Deo eſſent ſanctæ ſorores illæ, & quantopere is hanc ſanctitatis earum conſcriptionem approbaret.*

PRO-

PROLOGUS AUCTORIS
IN VITAS PRIMARUM SANCTARUM SORORUM DE SUB TILIA IN COLUMBARIA.

Libellum , ſi tamen dignus tali nomine æſtimetur, quem diligentiâ multâ edidi & labore, de primis divinis Sororibus ſanctæ Congregationis noſtri Monaſterii, earumque perfectiſſimo ac feliciſſimo ſtatu in omni ſanctimonia ſummaque vigilantia circa obſervantias regulares, rudi quidem ſtylo & imperito compoſitum, ſed veritate firmiſſima com-

pletum, univerſis Deo dilectis Sororibus iſtius Monaſterii gratis offero plurimo cum affectu.

Cupiens itaque eximiarum Sororum, quæ cœli civibus in ſupernis ſedibus jam conjunctæ, præfulgentem & prælucidam vitam aliquatenus plenaria certitudine, quantùm ingenii mei parvitas ſufficit, exprimere, poſteriſque nobilitatem aviti generis intimare, primævæ ſanctitatis ingenuitatem, prout potui, verbis ſimpliciſſimis & minùs congruentibus deſignavi, ne in oblivionem aliquando veniant tam excellentes ſorores, earumque geſta glorioſa & mirabilia opera eximiæ ſanctitatis, & ut cum quanta gloria & religione iſtud ſanctum Monaſterium ſit fundatum, tam modernis, quàm poſteris

ris innoteſcat. Non autem ùt voluì, nec ùt debui, feci tamen, quod potui. Textum hujus operis primùm in cera jam ſeneſcens conſcripſi propriis manibus oculíſque caligantibus & compegi, expaveſcens quidem & multùm erubeſcens, quòd imperitia mea ad aures veſtras unquam pertingere debet.

Accedunt ad hæc revelationes & multiplices conſolationes, divinitus factæ ſororibus Deo plenis, quæ ſpernendæ omnino non ſunt, revelationes veterum ſororum fideliſſimæ, & omnium credulitate digniſſimæ, per quas earum inclyta merita declarantur, quas ego indigna didici & percepi â perſonis fide dignis, quarum teſtimonia credibilia nimis, quæ firmiter aſſe-

 verant,

verant, ſe auditu proprio percipere meruiſſe ab eisdem ſanctis & Deo placitis ſororibus, ad quas hæ revelationes factæ ſpecialiter dignoſcuntur. Ex his omnibus præſentis opuſculi materia ſumpta, & in unum libellum conſcripta fideliter & compacta eſt, cui auctoritatem præſtat geſtorum veritas, ſine qua nec valet auctoritas: Cæterùm ſcientes, quòd hæc ſub brevitate perſtrinxi, & ſuperficietenus depingendo quaſi quosdam pro delectamento floſculos decerpſi, dans occaſionem legentibus, ut & ipſæ proceſſu temporis peritam manum apponant huic informi materiæ, & opus perficiant glorioſum.

CAP.

CAPUT I.

De perfecta converſione & cordis fervore ad DEUM Sororum primò clauſtrum ingreſſarum.

FUerunt ſupra modum DEO devotæ ſanctæ Sorores hujus Congregationis, quæ per DEI gratiam divinitus inſpiratæ, ſanctæ Religionis habitum &Ordinem eximii Patris S. Dominici in principio aſſumpſerunt ſub Beatiſſimo Patre Jordano, Magiſtro Ordinis ſecundo, ſucceſſore primi inclyti Patris noſtri ſanctiſſimi Dominici Anno Domini 1232. plures ex illis nobiles extiterunt, divitiis, poſſeſſionibus & dignitatibus ſæculi præeminentes. Hæc omnia propter Chriſtum reſpuerunt, paupertatémque voluntariam, ùt verè pauperes ſpiritû, ſecutæ Chriſto viti veræ vo-

tis omnibus adhæſerunt. Odor itaque ſanctitatis earum cœpit latiùs ubique diffundi, tanquam vernantium & redolentium liliorum, quæ in florigero Prædicatorum Ordinis horto plantatæ, cœleſtis Hortulani manibus & excultæ, germinârunt vitam virtutibus plenam in ſalutem plurimorum, quam & ſolicitè ſuis poſteris indiderunt.

Quapropter in veneratione habebantur tunc maxima & favore, non modò apud Magiſtros Ordinis, earúmque Priores, Provinciales, aliáſque excellentes Ordinis perſonas, verùm etiam apud ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, quæ eas tot Privilegiis, tot gratiis ſpecialiter inſignivit. In rebus quoque, & in grangiis ſuis tunc ab incurſibus iniquorum hominum, & quorumlibet potentûm illæſæ optimè cuſtodiebantur divinâ eas gratiâ protegente. Creverunt tunc filiæ Dei, & quaſi germinantes multiplicatæ ſunt: impleverunt locum Sanctum Monaſterii optimarum multitu-

tudine perſonarum, & pulcherrimam meſſem & copioſiſſimam pullulantes, quæ nunc ab Angelicis meſſoribus in cœlorum horrea congregatæ pro laboribus ſuis, quibus fideliter in Vinea Domini Sabaoth deſudârunt, ineffabilibus bonis Domini perpetuò perfruuntur in requie opulenta.

Nempe compendio multa ſatago præterire, ne propoſita brevitate priver, videlicet quantâ inſtantiâ & labore Prædicatorum Ordinem â Domno Apoſtolico impetrârunt Curiam Romanam in perſona propria adeundo, & qualiter de loco, quem primitus inhabitare cœperant, ad hunc locum, in quo nunc degimus, ſe tranſtulerunt, pleniùs de talibus dicere ſuperſedeo in præſenti. Verùm de ſanctitatis & perfectionis earum operibus aliqua pauca de innumeris dicam ad ædificationem modernorum.

Erat verè tunc tempus acceptabile diéſque ſalutis, cum tot ſanctæ ſorores odoriferum ſacrificium

in conſpectu Domini, & holocauſtum contriti ſpiritûs obtulerunt. Erant verè tunc dies immaculatarum, quas novit Dominus, ſpiritu ferventes, Domino ſervientes in veritate & corde perfecto, facientes, quod bonum & placitum eſt in oculis ipſius. Miſerat namque tunc Deus ignem de excelſo in oſſibus earum, & facta ſunt corda ardore charitatis æſtuantia vehementer. Diffundebatur autem flamma exteriùs lucentium operum, & efficacium exemplorum, quibus plures ad ſui imitationem attrahebant. Quotquot autem tunc per gratiam Dei â tumultibus ſæculi ad ſecreta clauſtri ſilentia convertebantur, toto mentis conamine ſe ipſas puras & immaculatas, hoſtiam ſanctam & Deo placentem offerebant. Rimabantur ſolicitè veſpere & mane ſecreta conſcientiarum ſuarum. Si quid autem obviabat, quod vel modicum cor pungeret, vel ejus munditiam obfuſcaret, ſtrictiſſimè punierunt puris confeſſionibus diluentes.

entes. Delicata enim conſcientia non ſolùm criminalibus, verùm etiam peccatis minimis pungitur & torquetur. Tunc contra omnes carnis dæmoníſque tentationes viriliter armatæ, ſcutum fidei prætendebant vanarum cogitationum ſpinas ſolicitè eradicantes. Omnium ſæcularium negotiorum, commodorum, delitiarúmque nulla eis erat recordatio, ſed ſolùm divinis intendere, ſe intra ſe continere, corpus ſuum ſervituti ſubjicere & deſpicere, Deo omnia committere, eíque ſoli jugiter inhærere ſolicitudo & intentio tota fuit, & hoc tantùm conquerebantur, quòd Deo ſervire tanto tempore diſtuliſſent.

CAP. II.

De ſtricta ſilentii obſervatione.

IN obſervatione ſilentii, quod fundamentum Religionis Sacræ eſt, ſtricta tunc fuit cenſura, devo-

ta

ta cura, & obſervantia ſtudioſa & pura, maximè locis & temporibus interdictis. Niſi enim grandis urgeret neceſſitas, vel periculum immineret, diſciplinam ſilentii infringere inter eas nefas tunc erat. Verbi gratiâ: cùm aliquam ex eis contingeret ſubitò & improvisè ex aliqua debilitate cadere, defectúmque mentis pati, omnes tacitæ accurrentes eam piis obſequiis relevabant. Aut ſi domus vicina clauſtro ab igne eſſet ſuccenſa, & incendium exinde monaſterio timeretur, illico univerſæ accurrentes Deum pro defenſione loci devotis precibus & lachrymis invocabant. Siqua verò pro extinguendo igne erant neceſſaria, abſque ſtrepitu & clamore citiùs deferebant. Porro in his caſibus & ſimilibus, raro aliqua legem ſilentii transgredi præſumpſit.

Fuit ergo inter eas pax magna, concordia & *charitas*, *quæ eſt vinculum perfectionis*, quia refrenabatur lingua loquax. Nam ſicut obſtru- *Coloſſ. 3.*

cto

cto ore clibani calor intus fovetur: ſic ſervato ſilentio gratia S. Spiritûs in corde retinetur. Hoc cognoſcentes ponebant cuſtodiam ori ſuo, ut non delinquerent in lingua ſua: ideoque concaluit cor earum intra eas, & *in meditatione earum exarſit ignis* ille, Dominus Deus noſter, conſumens omnem rubiginem vitiorum. *Pſ. 38.*

CAP. III.

De diligenti inſtructione Novitiarum.

MAgna valde tunc fuit ad Novitiarum & juvenum ſororum inſtructionem diligentia, ut primùm ſcirent quælibet Ordinis & Religionis inſtituta, & hæc diſtrictiſſimè conſervarent. Informabantur quoque tunc cura pervigili ad omnem morum honeſtatem, & ut decentiam & compoſitionem geſtuum omniúmque membrorũ ſuorum motum diligentiùs obſerva-

varent, ne quid incompoſitum appareret aut indecens in eisdem, quod oculos intuentium offenderet aut gravaret. Siquidem in loquendo valde parcæ & modeſtæ juvenes ſorores exiſtebant, dicenda proferentes abſque ſtrepitu & clamore, detractiones & jurgia ſolicitè vitantes: â nocivis, vanis & litigioſis linguam refrenabant, continentes ſe â diſſolutionibus, riſibus & cachinnis, maximè in conventu: nec aliqua, quamvis in ætate puellari & tenera conſtituta, talia excitare aut facere tunc præſumpſit. Honorem & reverentiam maximam conventui tanquam Domino
Mat. 18 exhibentes, qui ſe medium promiſit congregatis in ſuo nomine affuturum. Greſſus quoque ſuos â vanis diſcurſibus cohibere, ſecumque habitare intrinſecus edoctæ Sancti Spiritûs unctione, voluntatem ſuam frangere, Prælatis ſuis abſque murmure obedire.

Divino verò officio omnimoda reverentia, ſolicitudine & timore

re aſſiſtebant, ad Pſalmodiam intentum habentes animum & devotum, ſcientes omnium, quæ ibi dicuntur, uſque ad unam literam ſe pro certo debitrices, vel dicendi in ſuo choro, vel in alio audiendi. Porro tanti fervoris juniores ſorores ad DEUM tunc erant, quòd oportuit frenum diſcretionis eis adhibere, ne indiſcreto labore vigiliarum & abſtinentiarum debilitatæ, inutiles poſtea ad alia redderentur, ſicut neceſſe eſt tepidos & remiſſos ad operandum ſtimulis perurgere.

CAP. IV.

De frequentatione Divini Officii & aſſiduitate Orationum.

MAtutinæ & Miſſæ, omnéſque horæ Canonicæ certis temporibus quotidie cantabantur valde ſolenniter & diſtinctè quibus quælibet Prioriſſa & Supprioriſſa tunc temporis intereſſe conſueverunt,

runt, dantes operam diligentem, ut omnes pariter & tempeſtivè convenirent, & pſallerent alacriter & devotè.

Surgentes ad Matutinas, officium glorioſæ Virginis Mariæ reverenter, ùt moris eſt, binæ & binæ ſtando complentes ſtatim ad chorum properârunt, ne tantillo tempore ab oratione vacarent. Finitis autem Matutinis & Completorio, communiter in Choro perſiſtebant ſorores in oratione uſque ad ſignum, ardentiſſimæ devotionis exercitiis illud tempus expendentes. Aliæ multis genuflexionibus laborantes ſemetipſas affligebant Majeſtatem Domini adorantes. Aliæ verò igne divini amoris liquefactæ non poterant ſe â lachrymis continere. Quin & devotiſſima vox plangentium expreſſiùs audiebatur, nec inde recedebant, donec ad novam gratiam incaleſcerent & invenirent, quem diligebat anima ſua. Aliæ virgarum verberibus, aliæ corrigiis nodoſis, habenti-

tibus ramos duos vel tres, aliæ catenis ferreis, aliæ autem flagellis ſpineis, ſingulis diebus carnem ſuam affligentes acerrimè lacerabant.

In Adventu Domini, & per omne tempus Quadrageſimæ univerſæ ſorores poſt Matutinas in Capitulum divertentes, ſive ad loca alia opportuna, diverſis flagellorum generibus corpus ſuum uſque ad ſanguinis effuſionem lacerantes, crudeliſſimè & hoſtiliter cæciderunt, ita quòd ſonitus verberantium ubique per omne monaſterium reſonaret, aſcendens in aures Domini Sabaoth ſuavior omni melodiâ, cui talia humilitatis & devotionis opera multùm placent, nec deſpicit gemitus contritorum.

Porro quædam ex eis deſiderio divini amoris ſuccenſæ vehementer, in oratione ante Matutinas ſæpius pernoctabant, aſſiſtentes tamen Matutinarum ſolenniis alacriter & devotè. Quædam verò ex eis in omni vita ſua, quamvis debiles & infirmæ, finitis matutinis ad le-

ctum ſuum nunquam redierunt, perſiſtentes immobiles in oratione. Nec fraudatæ ſunt â deſiderio ſuo. Perfundebantur enim deſuper gratiarum ſtillicidiis abundanter.

His itaque multis & diverſis modis appropinquantes Domino, illuminabantur corda illarum, mundabantur cogitationes, incaluit affectio, ſerenabantur conſcientiæ, elevabantur mentes in Deum. Unde aliquæ earum in oratione elevatæ inter cœlum & terram aliquamdiu manere cernebantur, corpus terrenum & grave devotionis & gratiæ ſpiritu ſurſum agente. Solemnes & Dominicos quoque dies continuis orationibus & devotis expendentes, quodlibet feſtum novis devotionis exercitiis perornabant. Propterea raró vacabat Chorus obſecrantibus, raróque ſine ſororibus illis diebus videbatur. Unde inveniebantur tunc frequentiùs ibi, cùm fuiſſent ab aliqua requiſitæ.

CAP.

CAP. V.

De rigore abſtinentiæ.

Cùm menſa Conventualis parca & ſobria tunc temporis ſatis eſſet, ipſam tamen quarundam ſororum ſobrietas & ſuperaddita abſtinentia adornabat. Quædam namque per plures dies ab omni potu abſtinentes penitus non bibebant: aliæ verò â vino multo tempore abſtinebant, ſola aqua frigida utentes. Quædam autem ex eis ſaporem cibi cum ſuperfuſo aliquo inſipido diluebant. Multæ quoque, ne notam ſingularitatis incurrerent, nunc ab uno cibo, poſtmodum ab alio abſtinebant, de oblatis ſibi quotidie aliqua ſubtrahentes. Aliæ per totam Quadrageſimam potum permodicum tantùm ſemel in die ſumebant, nec loquebantur niſi de aliquo requiſitæ. Aliæ ſimiliter per multos annos ab omni potu, excepto tempore refectionis

propter Dominum abſtinebant. Præterea fuerunt quædam, quæ non ſolùm ab omni cibo delectabili, ſibi oblato, qui poſſet appetitum allicere, abſtinebant, verùm quoque de cibis inſipidis ſibi neceſſaria ſubtrahebant, quòd vix natura tantillo modo potuit ſuſtentari. Hæ igitur ſanctæ & Deo dilectæ ſorores habitabant in adjutorio Altiſſimi, propterea rigidam & auſteram vitam pro nomine ipſius cum deſiderio tolerabant, & protectione Dei cœli communitæ non deficiebant in arduis mirificíſque operibus ſublimium meritorum.

Aliquæ inſuper ex ſororibus beatis aſperitate regularis habitûs non contentæ, indutæ occultè Ciliciis carnem propriam afflixerunt, lumbóſque ſuos ſuper nudam carnem cingulis ſpineis, artificiosè factis, accinxerunt. Aliæ quoque ex eis per multos annos valde ſtrictè ſuper nudo ſe cingentes funibus recentibus & nodoſis: Quædam verò carnem ſuam cingulis ferreis & con-

concatenatis, uſque ad ſanguinis effuſionem vulnerantes crudeliter cruciabant. Aliæ ſimiliter flagellum ſibi facientes de cingulis ferreis, præacutos habentibus clavos, inſtar acuum crudeliter pungentes, cum talibus flagellis innocens corpus ſuum quotidie verberantes, diriſſimis punctionibus hoſtiliter lacerabant, adeò ut ſanguis ubertim ex creberrimis inflictis vulneribus emanaret, ita quòd tunica interior intincta ſanguine plurimô perfunderetur.

Itaque hæ ſanctæ ſorores portantes ſtigmata Chriſti in corpore ſuo non ſunt fraudatæ gloria Martyrum. Ipſæ quoque Chriſti pro amore ſanguinem ſuum fuderunt, in hoc paſſionem ejus pro ſuo modulo imitantes.

CAP. VI.

De obſequiis mutuæ Charitatis.

CHaritatem magnam valde tunc ad invicem conſervabant, ca-

ventes modis omnibus, ne cauſam turbationis aut offenſionis alicui exhiberent, invicem prævenientes obſequiis & honore. Idcirco in conventu lecturis ſive ſervituris tunc certatim aliæ pro adjutorio occurrebant, præbentes ſe ſpontaneas & paratas ad quælibet pro ipſis ſervitia facienda. In laboribus ſive quibuslibet operibus ad utilitatem com̃unem pertinentibus affectuoſa admodum fuit tunc & charitativa jucunditas, quibus paſſim ſorores non vocatæ aut coactæ, ſed ultrò ſe ingerebant.

In ſublevandis quoque infirmarum ſororum neceſſitatibus miſericors erat valde omnium compaſſio, & indefeſſa, & efficax ſermonis & operis conſolatio. Proinde ſi quæ in compaſſione infirmarum & debilium ſororum, in conventualibus ſervitiis ſedulior eſſe poterat, feliciorem ſe coram Domino reputabat.

Erat tunc in ſororibus fervor Charitatis magnus ad omne opus

vir-

virtutis, ſuavitas eximiæ devotionis, vigilantia continuæ orationis, obſervantia ſtrictiſſima religionis, pulchritudo converſationis in exemplis & moribus ſanctis, rigor ſtrenuiſſimus in vitiis coërcendis. Tunc enim levem transgreſſionem nequaquam levis ultio ſequebatur.

Gratiam admirandam contulerat eis DEUS conſolandi triſtes & puſillanimes ſermonibus efficacibus atque blandis. Acceperant enim â Domino linguam eruditam, & valde medicinalem, quæ ægris mentibus medelam potenter conferre potuit ſanitatis. Ardebat namque in ſe ipſa igne divini amoris mens ipſarum: ideóque verba exinde procedentia mirabiliter alias conſolabantur, & frigida pectora inflammabant.

CAP. VII.

De Prioriſſis hujus Congregationis ab inchoatione Monaſterii earúmque ſtatu perlucido & perfecto.

LIbet hìc aliquantulum diutiùs immorari, & memorando contemplari diviniſſimas ſorores quæ in officio regiminis ſuper Congregatione Conventûs noſtri ordinatione divinâ â fundatione Monaſterii extiterunt. Erant denique ſtellæ radiantes in vita ſua optimorum exhibitione & efficacium exemplorum floribúſque virtutum & famæ mirificè redolentes, talibus odoramentis omne Monaſterium reſperſerunt. Hæ ſanè ſunt candelabra, præclarè lucentia ante Dominum, ex quarum conſortio Sanctorum nunc gaudia augmentantur. Verùm de his ignaviæ ſoboles negligentia nihil hactenus in ſcriptis poſteris dereliquit memoriâ dignum

dignum, cùm tamen propter incomparabilium earum virtutum inſignia meritò commendari excellentiſſimè potuiſſent. Cùm ergo dignis laudibus perfectam earum vitam & lucentem nequeam deſcribere, perpaucis verbis & ſimplicibus attentabo.

Ordinem ſuum integrè & perfectè ſervaverunt in nullo ſibi parcentes. Rigorem quoque conventûs tenentes continuè in omnibus ſequebantur. In Choro, in Refectorio, cibo & potu, in jejuniis & aliis Regulam & Ordinem in ſe ſtrictiſſimè tenuerunt, pro poſſe laborantes, quòd ſorores hæc omnia pro viribus obſervarent. Si quæ autem ſororum his ſe forte ſubtrahere notabiliter nitebatur abſque evidente neceſſitate, reproba & inutilis habebatur, & ad hæc quoque invita, pœnis afflicta gravibus, cogebatur. Sanè ſuper cuſtodiam gregis ſibi crediti aſſiduâ ſolicitudine vigilabant, ſalutem ſibi creditarum quærentes in omnibus & pro-

fectum, quem & promovere tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus ſtudioſiſſimè laborabant, quæ ſua ſunt, in hujusmodi adminiſtratione non quærentes in aliquo vel ſuorum.

Habebant tunc rigorem ſtrenuiſſimum in vitiis coërcendis, culpas delinquentium nullatenus diſſimulantes. Transgreſſiones enim ſororum, quantumvis leves, tranſire minimè patiebantur impunitas. Porrò modeſtæ & maturæ in omnibus actibus ſuis erant, multúmque providæ & diſcretæ in agendis, curantes quoque opere perficere, quod alias nitebantur poſtmodum edocere. Nomen officii ſui decorabant bonis moribus & exemplis, Chriſti bonus odor factæ in omni loco hujus Congregationis. Has igitur verè beatas magni fore meriti apud Dominum Salvatorem veriſſimè prædicamus, quas tantis gratiarum copiis perfundere, crebris ſupernis viſitationibus, diviníſq; revelationibus conſolari voluit in præ-

præſenti, & felici tranſitu conſummare, ſecum eas collocando intra paſcua æternæ viriditatis, ubi gloriâ vultûs ſui perpetuò ſatiantur.

CAP. VIII.

De ſpeciali devotione & veneratione primarum ſororum ad B. V. MARIAM.

GRandis admodum & continua ad glorioſam Virginem MARIAM, Matrem miſericordiæ, omnium ſororum in principio fundationis fuit devotio, mira reverentia, pia in ejus laudibus & cultu diligentia, ſedula ac fervens ad eam oratio, ſancti amoris affectio, magna fidelíſque de ipſius patrocinio confidentia, inſatiabilis in ejus contemplatione ſuſpenſio. Denique in ſolennitatibus ejuſdem Virginis Glorioſæ crebrioribus & ferventioribus orationibus inſiſtebant, bonorum operum ſtudiis, arctioriſque vitæ diſciplinis majorem ſolitò operam

ram impendentes, ut gratiam Domini & miſericordiam efficaciùs aſſequi valerent per ipſius preces potentiſſimas, quæ eſſe meruit cœleſte promptuarium, divinarum gratiarum eructans abundantiam inceſſanter. Nocturnum quoque officium & diurnum in ipſius feſtivitatibus cantu altiſſimo & devoto valde ſolenniter celebrabant, diverſarum vocum melodiis, tanquam vocibus Angelicis ſuaviſſimè reſonantes.

In Sabbatis ſingulis, quando de ipſa divinum officium fieri debuit, charitate affectuoſiſſima totum officium tam de nocte, quàm de die nimis celebri cantu perſolvere conſueverant. Porro divinam & ſanctam Antiphonam: *Salve Regina*, voce cordis atque oris devotiſſimè decantabant ad laudem ejusdem Virginis & honorem uſque ad cœlum vociferantes. Ad cujus quoque venerationem illâ horâ, quando prædicta Antiphona in choro â conventu cantabatur, omnes ſorores, quæ Completorio intereſſe non

po-

poterant, decumbentes quoque le-
cto & febricitantes, quaſi ad ſolen-
nitatem venire ſolicitè propera-
bant, ſemetipſas in fine diei eidem
Virgini attentiùs commendantes,
ejuſque patrocinium devotis preci-
bus & lachrymis invocantes, ut in
hora mortis ſuæ benignum reſpe-
ctum miſerationis ipſius aſſequi me-
rerentur.

Quapropter glorioſa Mater Re-
gis gloriæ pluribus ſororibus hujus
Monaſterii in extremis vitæ conſti-
tutis viſibiliter apparens, in lucta
mortis eas mirabiliter conſolans,
anguſtiam & timorem abſtulit, in-
fundens eis gaudium & conſolatio-
nem ſuâ præſentiâ gratiosâ ſicut
ipſæ in mortis tranſitu retulerũt. De
quibus aliiſque nonnullis ſororibus,
quædam eidẽ Dei Genitrici digniſ-
ſimæ ſingulis diebus vitæ ſuæ mil-
le *Ave MARIA*, interdum verò duo
millia devotiſſimè offerebant. Quas
etiam ipſa Adjutrix benigniſſima in
opportunitatibus ſpirituali gaudio
lætificare mirabiliter ac confortare
non

non deſiit in vita & in morte, conſolationis eis gratiam largiter conferendo, ùt ſuo loco & tempore pleniùs enarrabo. Unde & nos piè credimus, confidimus & ſperamus, quòd Theotócos, ſancta polorum terræque potentiſſima imperatrix, inter alia loca dominationis ſuæ, hortum ſibi deliciarum præviderit, elegerit & conſtituerit iſtud Sanctum Monaſterium ex antiquo, in quod libenter perambulavit & frequenter, clauſum Dei cuſtodiâ circumdedit, & protexit diligenter, ex quo orationum ferventium & virtutum omnium ſpiravit odor ſuaviſſimus abundanter.

In hunc ergo hortum, virtutum floribus decoratum, pia Dei Genitrix ad deliciandum libenter progreſſa, extirpavit vitiorum germina, plantans virtutum ſemina, rigando fœcundavit interiora cordium, perfundendo ea profuſiori imbre gratiarum, ſtillante indeſinenter Dei munere ſuper terram.

De quo horto tam florido & amœ-

amœno numeroſam multitudinem ſanctarum ſororum, devotiſſimè ſibi ſervientium, tanquàm albeſcentia & ſuaveolentia lilia ſancta Dei Genitrix manu Virginea jam collegit, & in cœlicum pomarium ſui dilecti Filii transplantavit. Cujus meritis glorioſis, dum viverent, protectæ jugiter & adjutæ, longiùs â ſe abjicere prævaluerunt pondus omnium carnalium deſideriorum & terrenarum concupiſcentiarũ graviſſimam ſarcinam, quæ impugnant & impediunt miſeras animas mortalium, tranſeuntes per tot & tanta diſcrimina hujus maris magni & formidoloſi liberè & ſecurè pervenerunt ad regna cœleſtia, ejusdem Virginis ſuffultæ præſidiis & ducatu.

Nos igitur aſſidua diſcuſſione conſcientiæ nos ipſas dijudicemus, ne quid in nobis culpabile reperiatur, ut cùm Dominus noſter Jesus Christus ad particulare venerit judicium cum unaquaque noſtrum, & pulſaverit nos per mortem vocans de præſenti exilio, patriæ cœleſtis

leſtis hæreditatem capiamus meritis ſanctiſſimis & precibus ejusdem Virginis glorioſæ.

CAP. IX.

De ſororibus, quibus in vita vel in morte Dominus ſpecialem gratiam conſolationis oſtendere dignatus eſt. Et primò de quadam ſorore nomine Benedicta de Mülhauſen.

MAtrona quædam nobilis & juvencula, nomine Benedicta, de Mülhauſen oppido oriunda, viro quoque nobili atque militi in matrimonium copulata, Columbarienſi erant oppido reſidentes. Verùm miſerante Domino non multo tempore, poſtquam in ſimul convenerunt, divinitùs inſpirati ſæculum ambo reliquerunt, ad Religionem illico convolantes. Ipſe verò ad Ciſtercienſem Ordinem ſanctum ſe tranſtulit, in quo curſum vitæ ſuæ in Domini ſervitio fine laudabili

bili conſummarit. Prædicta autem matrona, uxor ejusdem militis cum ſorore ſua adhuc parvula, nomine Otilia, ſe conjunxit ſanctis, honeſtis & nobilibus viduis, quæ fundatrices ſanctæ religionis Congregationis noſtræ & Monaſterii extiterunt.

Illa autem prima Sororum omniũ hujus Monaſterii ſancto habitu Ordinis induta Anno Domini 1243 * â Fratre Walthero Ordinis Fratrum

* *Hoc anno nempe 1243. Rector Cœnobii ſub Tilia fuit B. Rainerus Prior F. F. Prædicatorum Baſileæ (id enim regendum ſuſceperat anno Domini 1238. cui 43. annis præfuit) non B. Waltherus, ut hîc dicitur, nec B. Jordanus amplius erat in vivis, ſed generalem Magiſtrum tùm agebat B. Joannes Teutonicus, quartus Magiſter electus anno 1241. defunctus autem anno 1253. Vide Germanicum Chronic. Conradi Zillardi fol. 19. 23. & 24. Ergo in numero annorum hic erratum, & pro anno 1243. ponendus eſt annus 1232. quo primæ octo Sorores habitum Relig. ſumpſerunt, ùt ſupra in primordiis Cœnobii &c. dictum.*

Prædicatorum, viro eximiæ ſancti-tatis, quondam Lectore Argenti-nenſi, ſub Beatiſſimo P. Jordano, Magiſtro Ordinis ſecundo, Succeſſo-re primi Inclyti Patris noſtri ſanctiſ-ſimi Dominici, cujus Dei gratiâ in hac Congregatione extitit filia ge-neroſa. Siquidem in florida juven-tutis ſuæ ætate Domino devotiſſimè incipiens deſervire, corpusque ſuum in ſervitutem ſpiritûs redigens, vi-giliis, jejuniis, orationibus con-tinuis, cæterisque pœnitentiæ operi-bus ſemetipſam aſſiduè caſtigavit, vitam ducens religioſam, laudabilem valde, arduam & ſtrictam. Quod eò magis mirum fuit, & magnificè laudum præconiis inter cætera mi-ra opera, & ſtupenda pii condito-ris extollendum (*qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*) quan-tò eadem Soror Benedicta volupta-tibus & deliciis hujus ſæculi abunda-vit. Grave onus Monaſticæ Reli-gionis, & durum jugum tunc tem-poris paupertatis, quod vix his die-bus credibile nimisque importabile vide-

videretur, valde leniter ſuſtinebat, utpote unctione perfuſa S. Spiritûs copioſe. Erat denique circa Ordinis obſervantias, & cuſtodiam cordis ſui ſolicita & timorata nimis.

Sanctæ quoque paupertatis præcipua extitit amatrix. Induta ſemper habitu valde vili, pretioſitatem aut curioſitatem in magnis & in parvis, ſcilicet in cultellis & in cingulis non quæſivit. Quapropter ob cuſtodiam humilitatis, qua plurimum excellebat, nova vela, lotaque pepla & candida imponere per diem ſuo capiti diligentiùs evitabat, potius utens eis tempore Matutinarum, quousque effecta ſordida & abjecta. Amorem namque ſuum ſic in Deum fixum tenebat, quòd non ſolum à magnis abſtinere, verùm quoque à minimis affectus ſuos ſtuduit cohibere.

Sanè ad obedientiæ virtutem ſum̃am omnibus diebus vitæ ſuæ adhibere diligentiam contendebat, ſolicitè præcavens, ne quid faceret aut poſſideret, etiam in minimis,

 abſque

absque licentia ſpeciali. Porrò temporis ſui ſolicita & diligens extitit conſervatrix, aut operibus communibus vigilanti inſiſtens diligentiâ & devotà curâ, aut in orationibus divinisque ſuſpenſa contemplationibus, in quibus delectabatur, ſicut in omnibus divitiis. Sciebat namque, quoniam volat irrevocabile tempus, quo nihil eſt pretioſius, quo nil vilius à nobis æſtimatur, & dum pœnam, quæ in præſenti pro Domino ſuſcipitur, declinamus, centuplicatam incurrimus in futuro. Cæterùm in officiis Supprioratus & Procurationis aliisque noſtri Monaſterii quampluribus & diverſis multùm ſtrenuè, devotè & utiliter ad ultimum vitæ ſuæ ſenium laboravit, maturam valde, diſcretam, providam & circumſpectam ſe exhibens in eisdem.

Verùm quoniam ſcriptum eſt: *Quem diligit Dominus, corripit & caſtigat* Hebr. 12. Per aliquot annos uſque ad exitum ſuum gravibus & diuturnis incommodis flagel-

lata

lata eſt, quibus tanquam aurum mundum à camino tribulationis excocta diutius & probata, mox gravi mole carnis depoſita, Spiritus ad Creatorem ſuum ob merita ſanctitatis, haud dubium, ſine moleſtia evolavit. In hora autem mortis ſuæ, quanti meriti & ſanctitatis apud Dominum foret, cuidam antiquæ Sorori, valde devotæ, pius Dominus oſtendere dignatus eſt. Percepit enim odorem mirificum & ſuaviſſimum, quantùm in vita nunquam experta fuerat, illâ horâ, quando beata illa anima de ergaſtulo corporis ſolvebatur.

CAP. X.

*De Sorore nomine Benedicta, de Egensheim * ſupra modum Deo devota.*

HOneſta quædam, nobilis & multùm devota vidua, nomine Benedicta, dicta de Egensheim, habens tres liberos, videlicet duas ** filias virgines, & unum filium, quem ad ſerviendum in Ordine Prædicatorum Domino obtulit Creatori, cum duabus verò filiabus ſuis in principio inchoationis Monaſterii noſtri coadunare ſe ſtuduit conſortio ſanctarum Sororum, devotiſſimè Deo ibidem ſervientium in patientia, humilitate & paupertate ſpiritûs ſub diſciplina regulari. Porro hæc Soror Benedicta, de qua loquimur, germana fuit Sororis Agnetis

* Egensheim *ſeu* Egisheim *oppidulum Alſatiæ, ſupra quod tres arces in monte ſunt poſitæ.*

** *De harum altera vid. Cap. 13.*

Agnetis de Herckenheim * bonæ & verè beatæ memoriæ, quæ ejusdem noſtri Monaſterii fundatrix extitit, non diſpares moribus & ſanctitate. Ambæ enim exemplis eximiæ ſanctitatis & perfectionis in vita ſua ſingulariter effulsêre, pro ſuæ ſanctitatis reverentia affectum in ſe ſororum omnium provocantes.

Nunc verò de venerandæ Sororis Benedictæ puriſſima & religioſiſſima converſatione ad utilitatem legentium pauca commemorabo. Siquidem de tenebris hujus ſæculi in admirabile lumen Dei translata, atque in ſanctuario Domini ſanctæ hujus Congregationis locata, dignè ac ſtrenuè uſque ad exitum ſuum ſtuduit Domino militare, ubi tantis virtutum charismatibus effulſit, tantaque manſuetudine & charitatis gratiâ extitit decorata, ut univerſam ſororum multitudinem ferventiſſimâ converſatione ſua in amorem Dei accenderet vehementer.

* De qua infra Cap. 21.

Ipſa quoque ſanctæ hujus & à Deo benedictæ Congregationis ſpeciali prærogativâ, nomine & re Benedicta, Supprioriſſa exſtitit multis annis, in virtutum ſtans culmine, neque ab homine religionis incrementa mendicare neceſſe habens, cùm eſſet tantùm unctione Spiritûs S. edocta. Malens tamen in tuto humilitatis conſiſtere, perfectiores quaſque Sorores ſibi præpoſuit in exemplum, virtutes earum admirari ſatagens, merita earum magna & ſublimia æſtimare, de ſe potiùs humilia ſentiens, reſpectu aliarum Sororum converſationem ſuam nullius momenti reputavit. Utinam nos deſides & inertes haberemus illam humilitatem in noſtris negligentiis & peccatis, quam ſanctæ Sorores habuêre tunc in virtutibus operibusque valde miris!

Cùm igitur in omnibus Sancti Ordinis inſtitutis & regula exercitata, devota & fervens exiſteret, placuit Domino JESU CHRISTO famulam ſuam magnificare miris divinis

vinis viſitationibus ſuper terram. Quadam die tempore Communionis cum ſolita devotione & reverentia acceſſit ad altare ad percipiendum Sacramentum Corporis Domini Noſtri JESU CHRISTI. Quo percepto audivit de interioribus animæ ſuæ Dominum Noſtrum JESUM CHRISTUM dicentem ſibi: *Accipe me dilecta mea. Ego enim ipſe verè ſum DEus tuus. Eſto deinceps ſubdita mihi ob amorem, & humilia te ſub omni creatura.* Hæc verba ſuaviſſima nimiſque jucunda Domini loquentis in corde illius ita aperta & ſonora exſtiterunt, quòd etiam corporeis ejus auribus inſonuerint. Poſt hæc à ſervitrice ſua ſtatim ad lectum ſuum reducta eſt. Erat enim tunc temporis valde debilis & infirma.

Cœpit interea ardentiſſimo devotionis affectu ruminando indeſinenter in corde ſuo revolvere verba Domini ſui plena cœleſti conſolatione & dulciora animæ ſuæ ſuper mel & favum. Porrò ſuper

verbo Domini pretioſiſſimo ſibique tam diligenter ab ipſo commiſſo, ſcilicet: *Humilia te ſub omni creatura*, plurimùm [erat] admirans, atque diu intra ſe anxiè quærens illius ſignificationem, donec reſponſum accepit à ſpirituali quadem Sorore dicente, quòd in *homine*, omnis creatura intelligitur, eò quòd homo commune habeat aliquid cum omni creatura.

Mirabilis & excelſus Dominus, cui pervium eſt omne ſolidum, & apertum, pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritûs, adjecit ſecundò hanc Sororem beatam ſuis mirabilibus conſolari. Quadam itaque die ſecundùm conſuetudinem Ordinis, cùm participâſſet corpus Domini Noſtri JESU CHRISTI, valde dulciter cogitare de ineffabili cœpit dignitate & gratia hujus Sacramenti, & tota liquefacta in amorem dilecti ſui, ſubitò mirabili modo, & ſenſibili perſenſit, quòd ſanguis Domini Noſtri JESU CHRISTI, quem perceperat, tanquam fluvius

cum

cum impetu erumpens, per omnia membra corporis ſui defluxit, pertingens ad intima animæ ſuæ, excoxit in ea omnem ſcoriam vitiorum, efficiens vas puriſſimum ſanctitatis. Sicque veridicum factum eſt Prophetæ verbum, immò Domini per eum dicentis: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* *Ezech. 36*

Denique hæc Dei famula excellentiori valde adhuc charismatum gratia ditari promeruit à Domino Salvatore. Quodam namque tempore, cùm in oratione poſita eſſet, ſubitò aperti ſunt intellectuales oculi ejus, totáque extra ſe rapta, atque in illam pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, duce Domino introducta, quæ in præmium ſempiternum omnibus Sanctis, & gaudium ſinè interpolatione & decurſione temporis conſervatur. In tali ſiquidem raptu radioſo intuitu videre & intelligere ad horam promeruit ſupereſſentialem luminoſæ Deitatis Trini-

Trinitatem, quam nôſſe, ſcire & intelligere vita eſt procul dubio ſempiterna. Verè beata anima, cui mira dignatione divinæ gratiæ parvâ morâ prægustare atque frui conceſſum eſt illis ineffabilibus bonis, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis deſcenderunt, quantum quidem homini mortali, adhuc carne circumdato, poſſibile erat! Quis autem dignè explicare valeat, quomodo cunctis affectibus animæ ſuæ recreatis & renovatis, tota in amorem illius, quem viderat incanduerit? Solius dantis & accipientis nôſſe eſt, quantis tunc divinis delectationibus tenebatur. Unde meritò cum Patriarcha Jacob exclamare potuit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* *Geneſ. 32.*

Hanc viſionem glorioſam niſi annis quatuordecim elapſis nulli voluit revelare. Poſtmodum cuidam Sorori magnæ ſanctitatis, tunc temporis Prioriſſæ, eam ſecretius patefecit, aſſerens, quòd in illa ſupercœleſti

cœleſti viſione tam mira & ineffabilia viderit & audierit, quæ non licet, neque fas eſt homini loqui. Verumtamen eundem mentis exceſſum pari viſione ac fruitione in vita ſua ter ei Dominus iteravit, tamen ſucceſſivè & multo temporis intervallo. Expletis autem in Prædicatorum Ordine, Monaſterio ſub Tilia, multis annis, ſicut ſincerâ devotione vixerat, ſic etiam felici defunctione carne exempta eſt, complevitque dies ſuos in bonis, & annos ſuos in gloria.

CAP. XI.

De Sorore Agnete de Ochſenſtein felicis memoriæ.

SOror Agnes de Ochſenſtein,* una de primis Sororibus hujus ſanctæ Congregationis, puræ ac innocentis vitæ à pueritia extitit, decus Virginitatis conſervavit perpetuò illibatum. Denique in Monaſterio ſub Tilia

* Ochſenſtein *Arx in Wasgoja.*

Tilia noſtri Conventûs à juventute ſua uſque ad obitum ſuum religioſiſſimè converſata, velut ſingulare jubar ſanctitatis emicuit. Erat enim ſanctitatis exemplum, religionis forma, Clauſtralis puritatis ſpeculum, regularis obſervantiæ præcipua obſervatrix. Siquidem tanta morum honeſtate pollebat, tantóque divini fervoris impetu ferebatur, ut ipſam vas honoris & gratiæ fiducialiter prædicemus.

Præterea dulcis admodum & efficax ſororum omnium extitit conſolatrix, adeò ut omnes turbatæ qualibet de cauſa, ad ſe venientes diſcederent conſolatæ, quibus etiam orationis ſuæ præſidio ſæpius ſuccurrebat. Plenum namque erat ſanctiſſimis affectibus pectus ipſius, & ad omne commodum incommodumvè proximi piiſſimè movebatur, dulcibus, conſolativisque ſermonibus ſemper abundans. Equidem deſiderabat æſtu cordis incredibili omnes homines Chriſto lucrifacere. Idcirco à ſanctis ſedulisque admonitio-

tionibus non ceſſavit, affectuoſiſſimè de Deo loquens cum Sororibus, pariterque cum extraneis ad feneſtram. Tenuit enim multis annis officium audiendi ad feneſtram tam ſanctè, tam religiosè, ut omnes illuc venientes religioſi pariterque ſæculares inde diſcederent non modicùm ædificati. Inſuper in officiis Supprioratus, aliisque hujus Monaſterii pluribus & diverſis, humiliter, devotè ac ſtrenuè laboravit; & pro ſuæ ſanctitatis reverentia totus Conventus Sororum amplectebatur eam unico charitatis affectu.

Porro in virtute abſtinentiæ incomparabiliter eminebat. Erat enim in cibo & potu temperantiſſima: ab omni cibo delectabili tam in magnis, quàm in minimis, quod appetitum poſſet allicere, penè in omni vita ſua abſtinens, ſemetipſa propter nomen Domini rigidiſſimè caſtigavit. Ad hæc in menſa aliis ſororibus duo pulmenta edentibus, unum ſibi ſemper ſubtraxit. Panem quoque hordeaceum peraridum comedens, triticeum

ticeum candidumque ſibi oblatum non edebat. De pomis, nucibus aliisque fructibus his ſimilibus vel modicum quid nunquam guſtare voluit.

Profecto ſtrictam valde & arctam vitam geſſit, corpus ſuum innocens vigiliis, jejuniis, orationibus aſſiduis, aliisque bonis operibus ſupra modum hoſtiliter conterens & caſtigans. Sanè in æſtate & hyeme ante Matutinas ſurgere ad orationem tanto temporis ſpatio ſolita erat, quo integrum Pſalterium dici potuiſſet. Et hæc conſuetudo erat ei in omni vita ſua continua, cùm eſſet ſana vel infirma. Ad hæc Matutinarum tamen ſolenniis adſtare ſemper devotà animi vigilantiâ conſuevit, poſtmodum ad ſtratum ſuum nunquam vel rariſſimè revertens. Perpendat itaque quælibet devota Soror, quæ hæc fortè legerit, quam parvum & tantillum noctis ſpatium inter hæc corpuſculo ſuo conceſſerit ad pauſandum.

Verum-

Verumtamen hæc ſufficere minimè potuerunt æſtuanti animo, ignémque divini amoris jugiter vaporanti. Aliud namque genus afflictionis his ſuperaddidit valde grave. Præcinxit ſanè carnem ſuam multis annis valde ſtrictè ſuper nudo tribus cingulis, ſed diverſis. Unum illorum erat ferreum totum, habens laminas ferreas valde latas, ab invicem parumper disjunctas, inter quas erant circuli ferrei inſerti, habentes clavos præacutos acerrimè pungentes. Tali fuit præcincta cingulo circa pectus. Secundum autem ſimile catenæ, qua latera præcinxit, ferreum quoque & ipſum ſimiliter exiſtebat. Tertium verò funis erat valde magnus, quo renes ſemper præcingere conſuevit: ſub quibus cutis & caro poſt obitum ſuum denigrata, tanquam carbo extinctus ac tabida nobis intuentibus apparebat. Verùm ad augmentum tantarum pœnarum nocte ac die caligas portabat, pro eo, ùt reor, quia Sorores in conſtitutionibus jubentur etiam cum caligis dormire in regio-

 nibus,

nibus, in quibus mulieres portare caligas conſueverunt: nimirum ſatagens in hac cauſa, ſicut & in aliis, Ordinis inſtituta perfectè & integrè obſervare.

Cúmque Virtutum profectibus ſic ſuccreſceret in immenſum, permiſit tamen Dominus quadam denſa caligine eam diutiùs involvi circa Sacramentum Dominici Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU Chriſti, ita quòd ejusdem Sacramenti veritas minùs animæ ſuæ ſapuit & illuxit, fidem tamen ſecundùm Eccleſiaſticæ traditionis formam retinere ſatagens repugnanti ſenſualitati ſuæ jugiter reluctando. Colloquium habere de eodem divino Sacramento, aut ab aliis audire, ſtudioſiùs evitabat, verens, ne fortè de certitudine fidei in opinionis ambiguum periculoſiùs laberetur. Verùm poſtquam advenit tempus miſerendi ejus, affuit ei pius Dominus, humilium Conſolator, illuminans mentis ipſius tenebras tali modo.

Quadam die dum Miſſarum Solemnia

lemnia celebrarentur, aſpicerétque devota nimis animi attentione in hora ſacrificii Altare, ſubitò lux de cœlo ſplendidiſſima circumfulſit ſacratiſſimam Euchariſtiam in manibus ſacerdotis. Qua viſa ex tunc ab omni priori nubilo caliginis fuit protinus liberata. Mirabili profectò deinceps dulcedine paſcebatur in contemplatione hujus cœleſtis Mannæ Dominici Sacramenti, meditari de eo jugiter, aut loqui aut audire loquentes nimis duxit delectabile ac jucundum.

Denique huic Sorori beatæ incidit quidam hæſitationis ſcrupulus valde gravis, non ſine, ùt opinor, benigna Dei ordinatione, à quo etiam *omnia diligentibus eum cooperantur in bonum* ipſius provida bonitate. Hæſitavit enim aliquanto tempore ſatis pertinaciter, utrum Prophetarum verba myſtica inſtinctu S. Spiritûs, an potiùs ab humano ſpiritu fuiſſent prolata. Nam & hoc magìs ei ſapiebat, eò quòd ſibi videbantur nimis obſcura pariter & abſurda. Porro miſericors & miſerator Dominus, *Rom. 8.*

qui non derelinquit ſperantes in ſe, miſertus hujus dilectricis ſuæ, excutiens tenebras ignorantiæ ejus, infudit ei lumen gratiæ ſalutaris. Illa nimirum quodam tempore devotiſſimè orans ſubitò tota extra ſe facta eſt per mentis exceſſum, atque ad agnitionem ſummæ veritatis altiſſimè ſublevata, datúmque ſibi fuit divinitùs revelatis oculis puriſſimè contemplari in lumine æternitatis, nôſſe & intelligere omnia ſanctorum Prophetarum ſcripta dictáque ab initio de verbo ad verbum tam de incomprehenſibili ſummæ Deitatis eſſentia, quàm de Incarnatione Domini Salvatoris, paritérque quòd iidem Prophetæ ſancti ſolùm inſpirati gratiâ S. Spiritûs fuiſſent ad loquendum omnia, quæ propheticè prædixerunt. Magnitudo hujus cœleſtis viſionis, & quantùm poſtmodum profecerit ex ſupernis illuminationibus, quibus tunc illuminata fuit mirabiliter à montibus æternis, irradiantibus in eam vehementer, ſibi ſoli notum extitit, paritérque eidem Patri lumi-

luminum, à quo bona procedunt omnia affluenter.

Nunc verò reſtat dicere, qualiter bonus Dominus Deus his, qui recto ſunt corde, cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, hanc eandem ſibi dilectam famulam, quam multis quoque gratiarum prærogativis ſingulariter in ſpe conſtituerat, adhuc ex excellentiori ſuæ largitatis munere inſignivit. Tempore itaque ſecundùm monaſterii conſuetudinem conſtituto, cùm Sacramentum percepiſſet altaris diviniſſimum ſolita animi puritate, continuò extra ſe ſurſum rapta, omnibúſque ſenſibus corporeis omnino conſopitis per exceſſum mentis vidit ſpirituali animi viſione luminoſa multitudine Angelorum ſe circumdatam & vallatam, à quibus maximo cum honore ducebatur ad Dominum Majeſtatis. Qui eam protinus benigno ac ſereno conſpectu divinæ miſerationis ſuæ intuens acceptavit eam nihilominus in ſponſam ſibi ſempiternam coram adſtanti multitudine Angelorum glorioſa.

rioſa. Signis autem viſibilibus, ùt ſibi videbatur, in illa ſupercœleſti viſione ſubarrhata fuit ac deſponſata Domino JESU Chriſto in hujus teſtimonium copulæ, ſtabilimentúmque æterni fœderis & amoris. Finita fuit citiùs viſio illa beata, ſed in corde videntis finiri non potuit viſionis illa intima devotio, & ad Deum poſtmodum fiducia admiranda. Unde frequentiùs in Orationibus ſuis piâ confidentiâ ad Deum dixit: *O Domine Deus, bone JESU, reminiſcere ſubarrhationis illius & deſponſationis, qua me tibi tam dignanter perpetuò ſubarrhâſti coram Angelis tuis venerandis.* Tanto deinceps devotionis impetu in amorem dilecti ſui Sponſi ferebatur, quòd ſibi profectò funditùs deſipuit, vileſcebátque vita iſta tranſitoria cum delectationibus ſuis, continuis deſideriis cupiens diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Nec mirum: guſtato enim ſpiritu deſipit omnis caro.

Cæterùm hanc divinam viſionem cum cæteris ſupernis revelationibus, quas præmiſimus, cuidam ſpiri-

ſpirituali valde & devotæ Sorori hac conditione patefecit, ut usque ad obitum ſuum ſilentio premerentur. Firmiter quoque aſſeruit, easdem supercœleſtes viſiones ſibi multò clariùs excellentiúsque revelatas, quàm verbis exprimi unquam poſſent: quod & ſecundùm teſtimonium ejus procul dubio ſic tenemus, præſertim cùm ſancta converſatio ipſius talis extiterit, ut fidem dictis illius non adhibere nefas eſſe penitus putaremus. Tantâ prorſus fidei virtutisque conſtantiâ hæc dilecta Deo & hominibus communita, corruptibilis carnis materiam exuit, [&] ad cœleſtis Agni nuptias præparata introire promeruit, ubi ſe perpetuò habebit optimè in optimo. Ipſi Deo Regi Sæculorum, laus & honor ſit in ſæcula ſempiterna, Amen.

Verùm poſt ejus obitum quædam honeſta Soror noſtri Monaſterii vidit in viſu noctis ſepulchrum ejus patefactum, ùt ſibi videbatur, in quod cùm curiosè introſpexiſſet, nihil in eo omnino conſpexit niſi Cry-

ſtallum valde magnam, ad corpuſculi hujus defunctæ menſuram in magnitudine atque longitudine optimè conformatam. Eadem autem Cryſtallus præcincta fuit tribus circulis aureis argenteíſque, ſupra claritatem Solis nimiùm reſplendentibus, aliquantiſper ab invicem disjunctis. Quæ evigilans recognovit, quòd Dominus præclara merita hujus beatæ Sororis hoc ſomnio voluit demonſtrare.

CAP. XII.

De Sorore Gertrude de Columbaria dignæ memoriæ.

Piiſſimæ recordationis Soror Gertrudis de Columbaria noſtri Monaſterii Soror exſtitit valde religioſa, & digna per omnia imitatione. Hæc itaque ſanctiſſima Soror puræ ac innocentis vitæ tertio decimo ætatis ſuæ anno incepit Domino ſtrenuè militare, portans jugum Domini ſuave usque ad obitum ſuum ſtudio

ſtudio indefeſſo. Ordinem ſuum integrè & perfectè cunctis diebus vitæ ſuæ conſervare ſtuduit, in nullo ſibi condeſcendens. Rigorem quoque Conventûs tenens in omnibus continuè ſequebatur in Choro, in Refectorio, in cibo & potu, vigiliis, jejuniis, in aliisque Ordinem atque regulam in ſe tenere ſtrictiſſime contendebat. Inſuper ſtatuta jejunia omnia Ordinis ſana pariter & infirma continuè obſervabat. Sanè per triginta annos carnem ſuam incredibili abſtinentia conterens & affligens carnes interim penitùs non comedit, neque ſaginata, niſi rariſſimè, guſtare voluit, licèt interea febribus valde gravibus aliisque corporis doloribus incommodiſſimè pluribus laboraret. Porro per hos triginta annos ſingulis noctibus quintæ feriæ in orationibus ſuis usque ad Matutinum conſuevit continuè pernoctare, & nihilominus ſtans ad Matutinum alacriter cantans & vociferans usque ad cœlum.

Denique in divinis exſequendis

erat promptiſſima & devota nimis, nec diebus neque noctibus requieſcens. Officium incipiendi in Choro, ſcilicet Cantricis, multis annis ſtrenuè ac laudabiliter adminiſtravit, tanta ſedulitate mentisque ſolicitudine huic divino officio intendens, aliisque omnibus, quibus intendere per obedientiam tenebatur, ut ſtupori, admirationíque omnibus quidem eſſe poterat, paucis verò imitationi. Omnes quidem ad Chorum prævenire ſatagebat, ſummaque diligentia intendebat, ut Sorores omnes concorditer, altè ac ſolenniter Deo pſallerent, ſicut unicuique ſolennitati & tempori congruebat. Unde & ipſa voci minimè parcens aſſiduè cantabat, nec levem conſcientiæ ſuæ jacturam reputabat, ſi quando raucitatis vel alicujus infirmitatis incommodo interveniente ſolennem pſalmodiæ cantum minùs alacriter perſolviſſet.

Porro quotidie ſe ipſam diſciplinis acerrimis verberabat, ſedulitáſque orationum ſuarum tanta tamque conti-

continua fuit, quam ſi vellem ſcribere, humanum modum credulitatémque legentium fortè excedere videretur.

Cùm tantis bonorum operum, virtutúmque exercitiis abundaret, placuit Domino JESU Chriſto hanc ſibi dilectam famulam viſione cœleſti ac mirifica conſolari. Itaque in die ſancto Pentecoſtes, dum divinus hymnus: *Veni Creator Spiritus*, devotâ nimis inſtantiâ valdeque ſolenniter in Choro à Sororibus cantaretur, ſubitò huic Sorori beatæ, in cujus corde is, qui ignem venit mittere in terram, devotionis ignem accenderet vehementem, oſtendit ſua mirabilia. Vidit enim repentè viſibiliter ignem divinum de cœlo magno cum ſonitu advenientem ſupra ſanctum Conventum Sororum Deo pſallentium. Et replevit totum Chorum, ubi erant Sorores in Dei laudibus congregatæ, illuminans eas adeò divinis ſplendoribus, ut omnes pariter igneæ apparerent. Radius inſuper cœleſtis luminis ſingulas earum

viſibi-

viſibiliter circumfulſit tam diu, quouſque ille divinus Hymnus totus finiretur. Denique ipſe Dominus Deus noſter, qui ignis conſumens eſt, in Sororibus ſuæ bonitatis præſentiâ tunc abſque dubio conſumpſit omnes ſordes vitiorum, & corda earum efficiens receptacula munda, reddidit ea in ſui amore flammantia vehementer. Siquidem amœnitas hujus cœleſtis viſionis tandem ſublata eſt ab oculis intuentis; ſed remanſit in corde conceptæ devotionis immenſa jucunditas, ita ut in recordatione hujus divinæ viſionis poſtmodum mira ſemper devotione afficeretur, totáque in gaudium verteretur.

Cæterùm huic Sorori ſanctæ, de qua loquimur, apparuit viſibiliter in Choro quædam juvenis ſoror hujus Monaſterii, ante paucos dies defunćta, quæ officium, dum vixit, Cantricis tenuit, dono nobiliſſimæ vocis exiſtens prædita. Hanc ſiquidem audivit corporeis auribus, atque vidit in Choro in loco ſancto, in quo

pecca-

peccaverat, juſto quidem Dei judicio diriſſimè torqueri, ac diutiſſimè verberari tam graviter tamque crudeliter, quòd ex ſingulis flagellorum plagis deficere videbatur ac pariter interire. Cumque Soror, quæ hæc vidit, diris his animæ hujus cruciatibus medullitùs compateretur, prorumperetque amariſſimum in lamentum, per divinum oraculum inſtructa didicit hujus terribilis pœnæ cauſam. Dictum enim fuit divinitus, quòd eadem defuncta Soror idcirco hæc tormenta terribilia pateretur, quia jucundæ vocis gratiam, quam à Domino acceperat, nimiùm parcendo vocibus, in divino officio ad communem cantum ſæpius expendere neglexit. Inſuper quia humanam gloriam interdum in cantu ſuo magìs quàm Dei gloriam quæſierat, negligenter quoque ad Chorum veniens, inde verò citiùs recedere feſtinavit.

Hinc eſt nobis omni vigilantiâ laborandum, ut fideli ſinceraque mentis intentione Domino ſerviamus, ne

incau-

incautè in illam terribilem maledi-ctionem Scripturæ dicentis incida-
Hierem. 48. mus: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter:* efficiamurque in poſterum exſortes præmii cœle-ſtis per vanæ gloriæ appetitum, ſe-cundùm verbum Domini intonantis
Matth. 6. in Evangelio: *Amen dico vobis, re-ceperunt mercedem ſuam.*

Sanè Soror hæc beata, cujus ha-ctenus mentionem fecimus, ante obitum ſuum verbum bonum & di-gnum memoria de ſe protulit dicens: *Tria ſunt, quorum exſecutione in vi-ta mea nunquam fui vel leviter at-tædiata, ſcilicet divino in Choro offi-cio jugiter adſtare, ſemper Orationi-bus inſiſtere, communibus operibus ſe-dulò inhærere.* Et verè ſic erat: hæc enim procul dubio vitâ & moribus evidentiùs comprobavit.

Cæterùm in Officiis plurimis hu-jus Monaſterii utiliter atque laudabi-liter usque ad ultimum vitæ ſuæ ſe-nium laboravit. Ad ultimum verò injunctum ſibi fuit officium Circatri-cis, quod religiosè ac ſtrenuè admi-niſtra-

niſtravit corripiendo, admonendo opportunè, importunè, Zelo Dei viriliter inſurgens contra omnes Sororum negligentias transgreſſionésque Regulæ & Conſtitutionum, murum pro Domo Domini ſe opponere non piguit. Igitur nec timore nec amore Sororibus in transgreſſionibus ſuis, etiam minimis, pepercit, ſed eas in Capitulo continuò admonens viginti Sorores interdum uno in Capitulo ſatis aſperè accuſavit. Ergo inſtituta Ordinis & Regulæ in diebus illis optimè cuſtodiebantur. Tandem beata hæc Soror & ſancta, cujus memoria in benedictione eſt, pretioſam ſoluta in mortem ſpiritum Deo reddidit, accipiens coronam juſtitiæ à Domino JESU Chriſto, qui vivit & regnat Deus in ſæcula ſempiterna Amen.

Quædam de ſororibus noſtris juvencula fuerat aliquando pro ſuis exceſſibus accuſata in Capitulo & punita. Unde triſtis effecta poſt finem Capituli in Chorum continuò intravit, proſternens ſe ibidem in oratio-

nem.

nem. Et leniter obdormiens vidit per ſomnium amitam ſuam, nuper defunctam, ad ſe venientem, cappâ & velo amictam, quæ candelam etiam accenſam filumque cannabinum in manibus geſtabat, cœpitque filum, quod in manibus tenebat, accendere cum candela, dicens juveni ſorori: *Suſpice & vide.* Illa elevatis oculis vidit, quòd filum admotum lumini mox in favillam & cinerem ſolvebatur. Et ita defuncta ſoror actitabat, donec filum totum à lumine conſumeretur, juvencula illa vidente pariter & inſpiciente. Et iterum dixit illi: *Sic, ſic à facie ignis correctionisque Capituli omnis culpa transgreſſionis coram oculis Domini conſumitur & deletur, quemadmodum filum à lumine incenſum protinus in nihilum eſt redactum. Quocirca noli de cætero contriſtari, cùm accuſaris pro exceſſibus tuis in Capitulo, atque puniris.* His dictis continuò receſſit ab ea. Illa autem ſtatim plenè à ſomno evigilans apertis oculis vidit manifeſtè amitam ſuam defunctam

ctam ad recedendum iter ſuum dirigentem. Quam recedentem ſequi ipſa juvencula velociter nitebatur: ſed illa defuncta ſoror mox coram oculis videntis hæc diſparuit, ut eam ulteriùs non videret.

CAP. XIII.

De religioſa converſatione ſanctæ memoriæ ſororis Tudæ de Egensheim.

OPtimum & congruum æſtimamus ſanctæ recordationis ſororem, nomine Tudam, dictam de Egensheim, tradere memoriæ poſterorum. Hæc teneris ſub annis incepit Chriſto Domino devotiſſimè in iſto Monaſterio deſervire, vità & moribus decentiſſimè decorata. Rigidam & arduam vitam geſſit, multis jejuniis, vigiliis, orationibusque ſedulis & devotis caſtigans corpus ſuum ſpiritui ſervire cogebat. Hæc namque ita circumci-

ſa & temperans erat in his, quæ ad uſum corporis pertinere videbantur, ut omni voluptate ac vanitate depulſa ipſis quoque neceſſariis parciſſimè uteretur. Hanc in choro orantem circa horam Primæ terrere diabolus nitebatur. Apparuit enim ſibi viſibiliter in ſpecie porcæ, quam parvuli porcelli tanquam matrem ſuam, chorum intrantem, velociter ſequebantur. Illa autem ſus cum porcellis ſuis ſancto Altari continuò appropians ibi tanquam in volutabro ſuo diutiùs eſt volutata, porcelli autem lac ipſius cœperunt ſugere inhianter. Poſtea per gradus deſcendens venit ad lampadem accenſam in medio chori, faciebatque ibi ſimilia coram eadem ſorore plurimùm admirante, quomodo ſus cum tot porcellis nimirum ante Primam clauſtrum intrare potuerit. Ad ſe autem rediens recognovit, hoc eſſe immundi ſpiritûs figmentum, ſubitoque inhorruerunt capilli capitis ejus, & ſigno Crucis appoſito machinamentum illud diabolicum

per

per chori teſtudinem tanquam pennigerum animal cum porcellis evolavit, poſt ſe fœtorem horribilem derelinquens.

Sanè inter plurima bonorum operum exercitia, quibus placere ſoli Domino cupiebat, eximios Eccleſiarum omnium Doctores, videlicet S. Petrum Apoſtolum, ac B. Paulum Coapoſtolum ejus ſpeciales ſibi elegerat in Patronos, quos in vita ſua valde dulciter diligens, venerationis & devotionis eis obſequia ſedulò exhibebat. Cui vigilanti & oranti viſibiliter apparuerunt vultu & habitu nimiùm glorioſi, in ea tamen conſtitutione & habitudine corporum, quâ ante, dum viverent, extiterunt, ſicut pictura imaginum eorum edocet manifeſtè. Quam blando quoque ſermone alloquuntur dicentes: *Noveris nos eſſe Domini Apoſtolos, quos ſincerè hactenus dilexiſti, devotis orationibus tuis ſedulò interpellans, miſſos à Domino, ut petitionem, quam volueris, inſinues.* Ad quos illa, ex claritate tamen vul-

tûs eorum non modicùm ſtupefacta, ait: *Domini Chariſſimi, ſi inveni gratiam in oculis veſtris, primum peto, ut ſalva fiam, & ut poſt mortem meam veſtris meritis ſanctiſſimis & precibus à pœnis citius abſoluta gaudiis perfrui merear ſempiternis, pariterque quod per mortis exitum hinc non recedam ante obitum matris meæ,* cujus quoque beatam memoriam ſuperiùs præmiſimus, quæ hujus etiam Monaſterii extitit ſoror nomi-
Cap. 10. ne Benedicta de Egensheim, ante mortem ſuam jacens paralytica tempore valde longo. Ad hæc ſancti Dei clementer protinus dixerunt: *Scias ſine dubio, quòd petitionum tuarum effectum nobis intervenientibus à Domino conſequeris & de præſenti vita poſt defunctionem Matris tuæ te citius migraturam.* Quibus promiſſis gratiſſimis & jucundis, per egregios Dei Apoſtolos acceptis, tanta jucunditatis affluentia perfuſa eſt, quòd præ im̃enſitate lætitiæ ſe ipſam capere vix poſſet.

Huic

Huic multas alias Dominus conſolationes in abſcondito faciebat. Sed quoniam verecunda nimis & humilis erat, voluit eas minimè revelare.

Ad ultimum verò in converſatione optima vitam præſentem finivit ærumnoſam, laboris ſui præmium cœleſtis regni gaudium â Domino perceptura ſecundùm fidelem promiſſionem Beatorum Apoſtolorum, qui eam de ſalute ſua æterna certam reddiderant, ac de celeri poſt obitum ſuum pœnarum ſolutione, ſicut præmiſimus, pariterque quòd poſt matris ſuæ tranſitum foret de præſenti ſæculo citiùs tranſitura. Nam ultra triceſimum diem obitus matris ſuæ perpaucos dies ſupervivens migravit ad Dominum JESUM Chriſtum, qui eſt benedictus in ſæcula Amen.

CAP. XIV.

De vita laudabili Beatæ ſororis Hedvvigis de Steinbach.

REligioſam & Deo devotam ſororem nomine Hedwigem, dictam de Steinbach * præterire ſilentio non debemus. Hæc in Cœnobio, cognomento Steinbach Ordinis S. Benedicti ab annis puerilibus enutrita, poſtmodum autem ad noſtrum Monaſterium in principio fundationis ejusdem Monaſterii noſtri translata, multum in nobis laboravit, tradens nobis primùm ſcientiam ſacrarum ſcripturarum, in cantu quoque divini officii diligentiùs nos inſtruxit. Angelicæ puritatis ac innocentiæ extitit, admodum corpori ſuo dura. Rigidam profectò & arduam

* Steinbach *ſeu* Schœnenſteinbach *in ſuperiori Alſatia propè Enſisheimium olim Ord. Ciſterc. hodie Prædicatorum.*

duam vitam geſſit, continuis vigiliis, cæteriſque abſtinentiæ laboribus ſedulisque orationibus attenuatum corpus ſuum divinis operibus mortificans & caſtigans: ideoque ad omne opus bonum promptiſſimum illud habuit & devotum. Quæ dum ad decrepitam ætatem perveniſſet, viribusque corporis eſſet deſtituta, ut jam baculo ſuſtentante vix incedere poſſet, nec tamen otio indulgere voluit, aut quietem aliquam ſuo corpori commodare. Chorum enim frequentavit ſicut juniores ſorores, continuis ſolitisque orationibus vacans, in quibus devoto nimis corde ſtare baculo ſuſtentata diutiſſimè conſuevit.

Porro pro peccatis ſuis nimiùm dolens, indiſcreta quaſi formidine plurimùm torquebatur, graviter ſe peccâſſe clamitans, cùm tamen aſſentione ſuorum confeſſariorum nullius lethalis criminis unquam ſumpſiſſet contagium. A matris enim utero in ævum baptiſmi gratiam illæſam magno Dei munere

conſervavit, retinens innocentiam munditiamque hominis utriusque. Denique cuidam ſorori ſecretiùs fatebatur maximum peccatum ſuum, quodque graviùs omnibus exceſſibus ſuis judicavit, videlicet, quòd ſtimulis invidiæ pulſata rancorem tacitè in corde aliquantulum tenuiſſet contra quandam ſuarum ſororum, eò quòd ad divinum officium in Choro ſolebat eam frequentiùs prævenire.

Hinc ergo apertè colligitur innocentiæ ipſius puritatisque mira ſimplicitas, pariterque indefeſſæ erga Deum vehemens devotio charitatis.

Sanè Deus omnis gratiæ & totius conſolationis ante obitum ſuum multo tempore dignatus eſt eam magnificè conſolari prædicens ei ex hoc mundo tempus ſui tranſitus. Cujus quoque benigniſſimâ indulgentiâ peccatorum ſuorum remiſſionem accipere promeruit, inſuper admirabili ſuâ dignationis gratiâ clementer ſibi promittens, quòd mole car-

nis

nis depoſita, mox ſpiritus ad regna ſyderea absque moleſtia evolaret.

His igitur divinis conſolationibus ac revelationibus ineffabiliter roborata, omnique priſtina trepidatione ſummota cœpit indeſinenter in benedictionibus Domini exultare, ita quòd ex ſententia dicere poſſet, *ſecundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ* centupliciter *lætificaverunt animam meam.* *Pſal. 93.* Igitur in extremis poſita in jubilum cordis & ſpiritûs exultationem prorupit dicens: *ſecuram & certam ſpem meæ æternæ felicitatis habeo repoſitam in ſinu meo ab eo, qui mihi pignus ſpiritûs dedit.* Grandis in morte fiducia juſtam & ſanctam eam proloquitur. Nam ſicut fideliter vixit, ſic nimirum feliciter obiit plena dierum & virtutum, migravitque ad Dominum JESUM Chriſtum, qui eſt fons bonorum omnium & origo. Ipſi laus & gloria in ſæcula ſempiterna. Amen.

CAP. XV.

De ferventiſſima converſatione bonæ memoriæ ſororis Mechtildis de Wincenheim.

DIrigatur nunc ſermonis noſtri intentio ad prædulcis memoriæ ſororem nomine Mechtildem, dictam de Wincenheim *, quatenus exemplis ipſius eximiæ ſanctitatis noſtra ad amorem Dei devotio ampliùs accendatur, cujus rei causâ pauca de pluribus, exempli gratiâ enarrabo.

Hæc ſanè bonorum memoriâ digna â primævo ætatis ſuæ flore usque ad obitum ſuum in ſancta congregatione Monaſterii ſub Tilia Domino ſinceriſſimè deſervivit. Tantâ quoque virtutum omnium gratiâ radiavit, ut in omni vitæ ſanctimonia mirabilis appareret, etiam perfectis

* Wincenheim *eſt pagus Alſatiæ.*

ctis quibusque. Carnem afflixit jugiter in labore multiplici, ordinem & regulam conſervans integrè & perfectè, quantùm â gravi corporis moleſtia & languore, quo & frequentiùs laborabat, ſibi poterat extorquere, ſilentium quoque ſtrictiſſimè tenuit ſecundùm inſtitutionem Patris ſui Dominici, neque in omni vita ſua unquam ſilentium fregit. Cùm autem quadam vice finitis Matutinis æſtivo tempore vidiſſet auroram diei illuceſcere, dixit ſororibus: *Ecce dies!* Et quod tantùm contra diſtrictionem ſui ſilentii protulerat, pœnituit deinceps ſemper & doluit vehementer.

Denique otioſa & vana ſeu detrectoria verba omnino evitabat, nec facilè cuiquam loquebatur, niſi neceſſaria ex cauſa & perutili. Verùm frugalitati & parcitati in tantùm operam dedit, ut ipſis cibis, ſibi in menſa oblatis, parciſſimè uteretur, certam menſuram & permodicam ſingulis diebus ſibi faciens, ſupra quam ulterius non edebat.

Nem-

Nempe oratio ejus ſupra modum fuitfervida, continua & devota. In diebus autem Dominicis & feſtivis in Choro orationi continuæ ſe dedit, habens faciem velatam, nec inde receſſit propter aſperrimum hyemis algorem, aut æſtatis ſeu Solis nimium fervorem, ſed ſic fixa ſine omni motu tanto temporis ſpatio permanebat. Contemplationis enim pennis rapta Dei flamine ad ſublimia evolavit. Cui etiam Dominus revelare dignatus eſt magna atque multa de ſecretis cœleſtibus, innumeriſque conſolationibus ſeu mente excedendo eam creberrimè viſitabat, quæ ſi omnia literis mandarentur, magni voluminis comprehenderent quantitatem. Unum ex eis ſaltem ſimpliciter enarrabo, quod tale ac tantum eſt, ut ex hoc uno â piis mentibus cætera credi vel æſtimari facilè queant.

Apparuit ſibi viſibiliter vigilanti & oranti ille ſpecioſus formâ præ filiis hominum, Dominus JESUS Chriſtus, Verbum Patris, Filius Altiſſimi,

ſimi, in ſpecie parvuli pueri circa altare diutius diſcurrens, ludendo cum duobus pomulis coram illa. Verùm ipſa tanto mentis faſtigio in divinis contemplationibus ſuſpenſa, tantoque cœleſtium conſolationum nectare inebriata erat, quòd hüic nimis glorioſæ apparitioni, forìs apparenti, parùm ultra intendere poterat, ſeu illâ delectari aut magnopere jucundari. Porro quis dignè effari valeat aut æſtimare gaudium & lætitiam cordis ejus, cùm de torrente voluntatis æternæ interioribus animæ ipſius tot gratiarum ſtillicidia influxerunt, cerneretque oculis beatis humanitatem ſanctiſſimam Chriſti JESU, in quem deſiderant Angeli proſpicere?

Cæterùm & duobus fratribus ſuis carnalibus, timore Dei poſtpoſito, rapinis, homicidiis, cæterisque nefandis operibus pertinaciter inſiſtentibus, cùm eſſent poſiti in extremis, ardentiſſimo devotionis affectu Dominum diutiùs implorabat, ut verâ cordis contritione & pœnitentiâ ab im-

impietatibus ſuis converſi perpetuam damnationem, jamjamque imminentem ſibi, evadere poſſent divinæ clementiâ bonitatis. Cujus Dominus preces & lachrymas benigniùs exaudivit, revelans ſibi vigilanti, ambos fratres ſuos propter orationum ſuarum inſtantiam conſecuturos miſericordiam ſempiternam. Poſt mortem verò illorum ab orationibus & lachrymis non ceſſavit, donec beniguiſſimam Dei clementiam pœnarumque ſolutionem eis à Domino impetravit, ipſo hoc ei in ſpiritu revelante. Unde cùm pro uno illorum poſt obitum ipſius attentis precibus Domino ſupplicaret, apparuit ei viſibiliter diabolus, vultu terribilis, portans eundem fratrem ſuum ſuper humeros, minaciterque fremens adversùs eam, dicens: infeliciſſima! ut quid in tantum ſolicita es pro iſto nequam & deteſtando peccatore? Projiciens eum cum ira ſuper eam, ſicque abſceſſit. Illa autem magnæ molis ſuper ſe cadentis ruinam apertiſſimè ſentiens cognovit

vit in hoc, eum â vinculis fore dæmonis liberatum. Hinc liquidò perpendere poſſumus, quantæ fuerit efficaciæ virtutisque ejus oratio, quæ talem tantamque gratiam ſceleratis peccatoribus potuit obtinere, ad quam ob enormitatem ſcelerum aliàs minimè valuiſſent de profunda mortis voragine reſpirare.

Hanc quoque quædam Soror valde devota de noſtris Sororibus vidit à terra altitudine unius cubiti in ſublime diutiùs ſublevari, corpus terrenum & grave ſurſum ſpiritu devotionis & gratiæ attollente. Tandem educta eſt anima illa beata de valle præſentis miſeriæ, introivitque in potentias Domini ſui lætabunda, cœleſtibus ineffabilibusque bonis, quæ hìc horis momentaneis prægustare promeruit, perpetuò revelata facie fruitura.

CAP.

CAP. XVI.

De odoris mira fragrantia in obitu bonæ memoriæ Sororis Stephaniæ de Phirreto.

FElicis memoriæ Soror, nomine Stephania, dicta de Phirreto*, alto ſanguine extitit generata. Fuit enim filia Friderici quondam Comitis illuſtriſſimi Phirretorum, forma miræ pulchritudinis decorata. Quam cùm parentes ejus intenderent matrimonio copulare, rogavit B. Virginem MARIAM attentis precibus & devotis, offerens ſibi quotidie per annum CL. Ave MARIA ſtando, genuflexiones atque venias faciendo, ut ipſa benigna conſolatrix omnium, aliquam ſibi notabilem corporis deformitatem induceret, ſeu epilepticam eam faceret aut amentem, quatenus per hæc inhabilis connubio inutiliſque effe-

* *Hodie* Pfirt. *Eſtque Comitatus Songojæ.*

effecta, virginitatem ſuam Domino conſervaret perpetuò illibatam. Hæc referre per ordinem ſolita erat. Porro piiſſima Dei Genitrix exaudivit preces ejus, cœpitque protinus mirabili corporis moleſtiâ in annis puellaribus ægrotare, perdens rationem, quam in vita ſua minimè recuperare potuit, etiam multis adhibitis medicamentis. Quapropter parentes ipſius tradiderunt eam ad ſerviendum Chriſto Domino Creatori in Monaſterio ſub Tilia ſub diſciplina regulari. In quo per quinquaginta ferè vivens annos, tantis calamitatibus & miſeriis continuis eidem corporis incommodo ſubjacebat, quòd nec unius diei ſpatio in his per omne tempus vitæ ſuæ habere potuit ſublevamen. Unde meritò dicere potuit cum Propheta: *Defecit in dolore vita mea & anni mei in gemitibus.* Pſ. 30.

Educta eſt tandem anima illa beata de conflatorio hujusmodi purgationis & miſeriæ, velut aurum igne probatum munda & nitida, cum cæteris miſericordiæ vaſis translata eſt

 ad

ad palatium ſummi Regis. Scilicet multiplicis laboris & ærumnæ ipſius erat remuneratio penes Deum ſibi repoſita copioſa. Nempe quàm pretioſa & dilecta ſibi fuerit beata hujus Sororis anima, per odoris ſuaviſſimi fragrantiam Dominus oſtendere dignatus eſt cuidam dignæ Sorori, acceſſionibus febrium graviter laboranti, in illa hora, quando tabula defunctorum in ipſius exitu pulſata eſt. Tanta ſiquidem dulcedine jucundi odoris, ſuperantis, ùt ſibi videbatur, fragrantiam pigmentorum, in illa hora perfuſa fuit, quòd viribus corporis & ſalute reparatis de ſudore febrium conſurrexit, perſolvens totum officium tam nocturnum quàm diurnum defunctionis ejusdem devotâ valde animi inſtantiâ diligenter.

CAP.

CAP. XVII.

De feliciſſima Sorore Helvvige de Wigenheim.

VEnerandæ & glorioſæ memoriæ Soror nomine Helvvigis, dicta de Wigenheim, monaſterii noſtri quondam Suppriorissa extitit, & poſtea Prioriſſa. Hæc revera beata & ſancta quaſi ſtella coruſcans radioſa, in templo Dei hujus ſanctæ Congregationis vita & moribus mirabiliter ſic refulſit, ut odore virtutum omne reſpergeret monaſterium abundanter. Florida converſatione redolens ſuaviſſimè velut roſa Paradiſi vernantiſſima, de omni honeſtatis & Religionis obſervantia curam nimis habuit ſtudioſam. Tantâ quoque conſtantiâ indeclinabilis intentionis limites regularis obſervantiæ conſervavit, quòd nec minima de his viſa aliquando fuerit negligenter præterire, ſed Ordinis, ſe-

cundùm inſtituta Patris ſui Dominici perfecta & præcipua extitit conſervatrix. Porro vigilandi & orandi erat ei creberrima conſuetudo. Hinc multas animæ conſolationes, multasque ſupernas viſitationes accipere promeruit à Deo ſalutari ſuo. Nempe oratio ejus fuit nimiùm fervida & accepta in conſpectu Domini, quam ſine intermiſſione Deo obtulit, in quam omnem ſpem ſuam contulit, per quam gratiarum abundantiam & miſericordiam à divina clementia facilè impetravit. Verùm hujus vitæ ſanctitas tanta ac talis extitit, quòd omnem oris mei excedit facundiam & ſermonem. Idcirco de ipſius inenarrabilibus virtutibus malo humiliter tacere, quàm inſufficienter amplius enarrare.

Redit tamen nunc ad mentem magnæ ſanctitatis beatæ Sororis hujus quoddam miraculum, quod per manum ejus, dum adhuc vixit, dignatus eſt Dominus operari. Quodam ſiquidem tempore infinita muſcarum multitudo, tanquam examen

men apum, fortè propter recentem Chori teſtudinem, congregata eidem ſuper altare teſtudini firmiter inhæſit, quòd inde avelli omnino non potuit vel fugari. Quo viſo Soror beata, de qua loquimur, pro tali inconvenientia tam ſacri loci doluit vehementer, timens, ne in Miſſarum ſolemniis, ibidem celebrandis, ex fortuito earundem deorſum muſcarum lapſu in calicem detrimentum & gravamen contingeret magnum valde. Quæ ſuper his devotiùs Dominum exorans, ſenſit protinus quandam divinam virtutem menti ipſius cœlitus infundi, ſcilicet miraculum operandi. Nec diſtulit, ſed mox ſigno crucis oppoſito, extemplò fugavit easdem in nomine & virtute Domini noſtri JESU Chriſti, ita quòd ulteriùs minimè redierint. Non igitur mirandum ſuper hujusmodi miraculi tam cito exitu & profectu. Neſcit enim tarda molimina Sancti Spiritus gratia.

Tandem hæc Deo dilecta Soror in omni vitæ ſanctimonia conſum-

mata, virtutibus quoque in habitum ſibi verſis, quod nimirum eſſe conſtat multò fulgentius, magnificentiusque ipſis miraculis & prodigiis, ſpecioſam reſoluta in mortem, ſpiritum reddidit Deo Patri ad regna introiens gaudioſa. Amen.

CAP. XVIII.

De laudabili vita & obitu Sororis de Gundelsheim, Monaſterii ſub Tilia Prioriſſæ.

O Suavem mihi locum, ubi memorandi ſcribendique ex ratione deducti usque huc Ordinis facultas ſe contulit ſuaviſſimi odoris Sororem, Hedwigem loquor dictam de Gundelsheim*, Prioriſſam, piam matrem noſtram, virtutis ſpeculum, honeſtatis Religionisque formam perfectiſſimam. Nempe ſuper candelabrum regiminis hujus ſanctæ Congregationis per ſeptendecim

* Gundelsheim *pagus Alſatiæ.*

cim annos continuos conſtituta, tanta morum honeſtate pollebat, tantoque divini fervoris impetu ferebatur, ut ipſam eſſe vas honoris & gratiæ, vas ornatum omni lapide pretioſo veriſſimè atteſtemur. Denique in officiis Supprioratûs aliisque pluribus & diverſis noſtri Monaſterii ita pacificè ac ſtrenuè laboravit, quòd ipſius adminiſtratio in talibus & diſpenſatio complacuit Sororibus univerſis.

Verùm quantos & quales triumphos reportaverit glorioſos pro Virginitate & caſtitate, in Seculo viriliter decertando, divina ſibi gratia mirabiliter opitulante, brevi ſermone perſtringere attentabo. Sanè divina providentia hanc beatam de ſpinis illecebrarum ſæcularium ſic extraxit. Fuit in villa Gundelsheim juxta Rubeacum, oppidum Alſatiæ, quidam paterfamilias, rebus, familia & progenie ſatis celebris & famoſus. Hic eandem filiam ſuam, quam ſpecialiter præ aliis ſuis liberis diligebat, cùm ad annos nubiles perveniſſet, cuidam

ſibi pari ſecundùm morem ſæcularium deſponſavit. Cùm igitur tempus nuptiarum adveniſſet, congregatis ex utraque parte, ſponſi videlicet & ſponſæ, parentibus & cognatis, producta fuit memorata puella in medium, ipſius ſponſo coram adſtante. Quæ requiſita, utrum cum hoc in matrimonium conſentiret, reſpondit, ſe nullatenus conſentire, adjiciens, quòd nec huic, nec alicui alii vellet aliquatenus maritali copula ſociari. Allatus quoque fuit ſecundùm morem gladius, ſuper quem poſito utriusque pollice, ſponſi videlicet & ſponſæ, conjugalis ſponſio firmaretur. Ipſa verò manu in pugnum convolutâ pollicem ſic incluſit, ut à nullo etiam per vim excludi valuiſſet. Dicentibus autem quibusdam: quòd tota ipſius manus gladio ſuperponeretur, in tantum reſtitit, quòd nullius viri viribus poterat è ſinu extrahi vel evelli. Tunc indignati parentes cœperunt latera ipſius pungere, maxillas ejus alapis cædere, os pugnis tundere, per crines

nes trahere, veſtes laniare, dicentes eam faſcinatam, ut non valeret aliter reſpondere. Acervus etiam ſpinarum ibidem congeſtus erat, in quem per capillos projecta ipſarum punctionibus cruentabatur.

Parentibus itaque tam immaniter in eam furentibus, nihil aliud poterat ab ea extorqueri, quàm Virginitatis votum, quod fecerat, immobiliter ſe velle ſervare, & potiùs mortem ſubire, etiam crudeliſſimam, quàm decus amittere virginale. Animadvertens autem ſponſus Virginem tam firmiter in ſuo propoſito perſiſtere, compaſſus, quòd tam dirè torquebatur, renuntiavit conditionibus, ſuper contractu matrimonii condictis. Et ſic, qui convenerant, ad propria rediêre.

Verùm patruus puellæ expetivit à patre eam ſibi committi, ſi fortè ipſam blanditiis aut minis, ſive cruciatibus ad conſentiendum inducere valuiſſet. Acceptam igitur per tranſverſum equo impoſuit, ſicut ſaccus ad molendinum fertur, & ſic ferè

per quartam partem miliaris ſupra dorſum ejus fabricando, & latera ejus tundendo, ita quòd propter tunſiones aſſiduas, ſanguis per os & nares virginis efflueret in immenſum, ad domum ſuam ipſam perduxit funeſtus parricida. Cumque ad domum perveniſſet, inſatiabilis homicida, patruus ille, timore Dei poſtpoſito, conſanguineæ immemor affectionis, ad perticam, quæ ad appendendas veſtes ſeu menſalia ordinata erat, teneram illam puellam per digitos ſuſpendit, donec ſanguis per ungues ipſius erumperet, qui etiam ungues ad exitum vitæ ſuæ deformes atque deſpicabiles in teſtimonium talis ſuſpendii permanſerunt. Virgo tamen nihil horum curans, conſtans in propoſito ſuo firmiter permanebat. Ac ſi diceret: *Suſpendium elegit anima mea*, ut Chriſtum lucrifaciam. *Job. 7.*

Denique jubet eam retrudi in haram porcorum, ut in illo ſqualore & fœtore poſt tantos cruciatus pernoctaret. Ubi dum ancilla ipſius miſer-

miſerta inferebat lectum occultè, tamen illa Dei famula lectum non curans, flexis genibus inter porcorum ſtercora ab oratione, tota nocte pervigil, non ceſſabat: quod ancilla mane facto ipſam antę lectum reperiens, nullumque ſui accubitûs indicium in lecto ſentiens, cum admiratione non parva eſt proteſtata. Extracta autem de hara gravibus tunſionibus attrita, fœdis putoribus repleta, cœpit langueſcere, & usque ad deſperationem vitæ graviter ægrotare. Expavit homo, homo inhumanus, homo truculentus, homo beſtialis, cor habens ferinum, quippe cujus actus ſæviores fuerunt ferocibus beſtiis, cùm illæ ſibi ſimile diligant, iſte verò ſanguinis ſui prodigus, ſuam neptem usque ad ſanguinis effuſionem non timuit impiè cruciare.

Verùm languor invaluit: ille parricidam ſe fieri exiſtimavit. Vocavit Confeſſarios, caſum expoſuit, emendam exhibuit; quæſivit conſilium, qualiter ſibi & puellæ poſſet in tali periculo

riculo providere. Vocati veniunt, parricidas aſſerunt, qui in puellam tam immaniter ſævierunt, dignos eos pœnitentia publica judicantes. Inſuper tale dederunt conſilium, quòd ſi puella periculum mortis evaderet, & ſanitatem priſtinam recuperaret, eam ad Religionem promoverent, cùm experti comperiſſent, eam nec minis nec blanditiis nec cruciatibus flecti poſſe, ut in matrimonialem copulam conſentiret.

Conſilium placuit, reſtitutam ſanitati in Monaſterio Sororum ſub Tilia Columbarienſis oppidi, fama & religione præcipuo, locaverunt. Ubi moribus & vita junioribus, paribus & ſenioribus in Conventu Sororibus ita placere ſtuduit, ut bonis & religioſis moribus ejus omnes & ſingulæ congauderent. Maturitatem enim joco ſic temperare novit, ſic jocos ſeriò depingere, ut nec in maturitáte ſeveritas, nec in ſerio aſperitas, nec in joco levitas appareret. Quamobrem ad officia ſive obedientias Ordinis habilis exiſtens, ita ſin-

gula

gula ſolerti diligentiâ diſpoſuit ordinatè, ut converſatione gratiſſimâ omnibus complaceret.

Tempore Prioratûs ejuſdem beatiſſimæ Sororis defecerat quadam vice pecunia monaſterio, ita quòd pretium non habebat pro conducendis meſſoribus in diebus meſſium, neque quò frumentum in horreum congregaret. Hinc ergo plurimùm conturbata, ſedens in medio Sororum, lachrymis plena, prædictæ pecuniæ inopiam conquerebatur. Cujus mœſtitiam Sorores conſolari cupientes dicebant: *Chariſſima Prioriſſa, nolite flere: Deus non derelinquet nos, ſed nobis neceſſaria citiùs providebit.* Sanè ſequenti nocte apparuit viſibiliter ſanctiſſimus Joannes Baptiſta Domini, ſingularis hujus monaſterii Patronus, cuidam viro honeſto, reſidenti in villa juxta oppidum Columbarienſe, Sororibus incognito & ignoto, vocansque illum nomine ſuo dixit: *Dormis, an vigilas?* Tunc homo ille: *Non dormio, Domine mi*, inquit, *ſed vigilo.* Et iterum

San-

Sanctus ait illi: *Pecuniam, quam habes in ſacculo illo, cras mane pergens Columbariam dabis Prioriſſæ Monaſterii, quod dicitur ſub Tilia. Ipſa namque valde opus habet pecuniâ.* Vir autem ille interrogans ait: *Quis es Domine, & quod eſt nomen tuum?* Tunc Sanctus: *Ego ſum*, inquit, *Joannes Baptiſta, Patronus illius Monaſterii & defenſor.* Mane autem facto venit homo ille cum pecunia, quindecim ferè libras valenti. Vocatâ Prioriſsâ ad feneſtram, eandem ei pecuniam, ùt S. Joannes juſſerat, præſentavit. Prioriſſa autem acceptâ pecuniâ ingenti gaudio exultans requiſivit dicens: *Amice unde habemus hanc pecuniam, aut quali intentione eam nobis dediſti?* Cui ille reſpondit: *Pro amore Dei & honore S. Joannis Baptiſtæ hanc vobis pecuniam miniſtravi.* Itaque exorſus homo ille cœpit Prioriſſæ & Sororibus prædictæ viſionis ſeriem per ordinem enarrare, effectus deinceps familiaris eis ſpecialisque amicus.

Miſſi fuerant aliquando ad noſtras

ſtras partes â Domino Apoſtolico legati pro decimis colligendis, quæ â nobis ſimiliter, quemadmodum â cæteris Religioſis, poſſeſſiones habentibus, valde importunæ exigebantur â prædictarum collectoribus decimarum. Cujus rei causâ miſimus literas ad curiam deprecatorias per Fratres Prædicatores, ſupplicantes remiſſionem ſolutionis decimæ ſupradictæ. Inter hæc verò ſoror quædam devota hujus Monaſterii in Feſto decollationis S. Joannis Baptiſtæ, noſtri Patroni, pro eadem cauſa Domini miſericordiam devotiſſimè imploravit, invocans etiam ſupplici-ter ejusdem Sancti merita glorioſa. In ipſa autem ejusdem ſolennitatis nocte prædictæ Sorori, circa auroram aliquantulum ſoporatæ, videbatur, quòd idem Beatiſſimus Joannes Baptiſta Domini Chorum Sororum intraret, Hoſpitaliorum Fratrum habitu indutus, plaudens manibus, & dixit: *Boni rumores, ſorores, boni rumores: ego vobis in curia obtinui plenam de dandis decimis remiſſionem.*

Nam

Nam Dominus Papa meis intervenientibus precibus vos ab iſto gravamine ſupportavit. Quo dicto ſtatim Sanctus receſſit, & ipſa plenè vigilans invenit ſe plurimùm conſolatam. Planè juxta verbum Sancti, ſicut in viſione iſti Sorori prædixerat, totum eſt adimpletum. Nuntii namque ad curiam deſtinati non multò poſt cum gaudio repedabant, referentes cauſam noſtram in Feſto prædicto Decollationis S. Joannis Baptiſtæ fore proſperè expeditam, indulto inſuper privilegio nobis ab eodem Domino Apoſtolico, ne cauſa conſimili ulteriùs gravaremur.

Cæterùm Beata Soror Hedwigis annis XLII. & diebus quinque laudabiliter in ordine conſummatis, poſt Epiphaniam Domini, tertio die, de hujus vitæ medio ſublata non ſine magno dolore gemituque Sororum & ſuſpiriis migravit ad gaudia ſempiterna.

Porrò Confeſſarius ejus generalis F. Burchardus, gratioſus Prædicator, ſtrenuus & devotus, corpus ejus cum ma-

magna devotione omnium ibidem præſentium ſepulturæ tradidit, atque hos verſus dictavit, qui ipſius quoque ſarcophago ſunt inſculpti:

Moribus ornata jacet hìc Soror intumulata.
Iſtud Prælata clauſtrum rexit bene grata,
Eſt augmentata ſub ea res, laus cumulata.

Epiſtola P. Burchardi Dominicani, nomine Conventûs Sororum ſub Tilia ad R. P. Provincialem Conradum Eſslingenſem ſcripta, quam viſum eſt hic loci inſerere, quippe ad commendationem Sororis Hedvvigis non parùm facientem.

Reverendo Patri Priori Provinciali Conventûs filiarum ſuarum Monaſterii ſub Tilia affectum filialis reverentiæ cum debita & devota obedientia.

MOeſtiſſimis viſceribus gemitibusque continuis vobis, piiſſime Pater, flebiliter nuntiamus, Sororem Hedvvigem, ſpeculum virtutum, zelatricem Religionis, piam Matrem, noſtram Prioriſſam, poſt exactos laudabiliter in Ordine quadraginta duos annos & dies quinque, feriâ quartâ, Epiphaniam Domini proximè inſequenti, obiiſſe. Cujus ſubtractio dolorem acerbi vulneris nobis inflixit: quia nunc proh dolor! regimine & ſolatio amatricis ſanctæ Religionis, & conſervatricis atq; auctricis mutuæ pacis orbatæ ſumus. Laudabile meritum virtutum ipſius & beati ex hoc Mundo tranſitûs multis devotionis indiciis comprobatum eſt. Unde cùm Dei diſpenſatione immenſa cordis triſtitiâ repletæ ſimus (quanquam ejus gratiâ potiùs gauderemus, ſi magnitudo doloris id rationi permitteret) ad veſtram pieta-

pietatem ſolatii causâ confugimus, bonaq́ fiducia obnixè vos ex fundo cordis noſtri rogamus, ut animam illius vobis habeatis commendatam, Fratrumq́ & Sororum Ordinis noſtri precibus eam ſerio commendetis. Ad quod provida & fervens charitas veſtra eò magis incitari debet, quandoquidem hæc devota Ordinis alumna velut altera Martha extitit, pro virili ſua fideliter ſeduloq́ omnibus noſtris undecunq́ adventantibus Fratribus, præſertim novæ plantationi Fratrum noſtrorum Colmariæ inſerviens. Eja hoc amantiſſime Pater, cor veſtrum intimè moveat, quod paulo ante obitum exhilarata dixit: Confido in miſericordia Salvatoris, Dominum Deum brevem rationem mecum poſiturum, nec diu poſt ſeparationem animæ meæ â corpore dulciſſimi vultûs ſui claritatem mihi negaturum, ſi Pater Provincialis & alii ſtrenui & fideles milites Chriſti, Ordinis noſtri Fratres, meritis & orationibus ſuis mihi ante diſtrictum judicem in trutina meritorum meorum ſubſidio

fuerint. *O ſi vidiſſetis gratioſos ejus integris decem diebus, quibus decubuit, geſtus & mores, externis miræ devotionis argumentis liquidò puriſſimos interioris ipſius hominis affectus demonſtrantes! Utinam audiſſetis maternas & ſaluberrimas illas exhortationes, quas loco fideliſſimi Teſtamenti meditandas & perficiendas reliquit Fratribus noſtris Colmariæ, noſtrisq; tam ſenioribus, quàm junioribus ſororibus & etiam Fratribus laicis, ſingulis pro ſtatu ſuo! Quæ omnia nunc nobis, proh dolor! ſubtracta ſunt. Noſtri autem tam acerbi doloris efficaciſſimum remedium hoc unum nobisq; gratiſſimum eſt, ut ejusdem veſtræ in Chriſto filiæ animam pia veſtra veſtrorumq; devotione apud Dominum juvetis (quod de vobis planè perſuaſum habemus) ut hac ratione, ſi quid medii vel impedimenti adhuc inter ipſam & Deum intercedat, citò tollatur, & ipſa ceu una & verè electa ex ſapientiſſimarum Virginum numero ardenti lampade, oleoq; parato convenienter inſtructa, in potentias Domini amabiliſſimi*

liſſimi Sponſi ſui, hoc eſt, præparatas Beatorum manſiones, ubi unum erit ovile & unus paſtor, introire mereatur. Amen.

CAP. XIX.

De quadam noſtri Monaſterii Sorore nomine Hedvvige, cognomento de Logelnheim, cui mirabilem conſolationis gratiam Dominus indulſit revelando ſibi ſecreta cœleſtia, in cujus quoq; exitu lætificare Dominus dignatus eſt Sorores tunc præſentes per odoris inſueti fragrantiam.

VEnerabilis & laude digna Congregationis noſtræ Soror Hedwigis, cognomento de Logelnheim *, ab ipſis infantiæ rudimentis divinis obſequiis, mancipata, mox perfectionis viam arripuit, Chriſto Domino cum omni aviditate & ſimplicitate cordis ſui deſer-

* Logelnheim *oppidum Alſatiæ.*

viens velut ſingulare jubar ſanctitatis emicuit. Tantæ ſiquidem manſuetudinis, humilitatis & patientiæ fuit, quòd nunquam eam vidimus iratam ſeu murmurantem, aut verba iracundiæ audivimus proferentem, quamvis ipſa verbis duris interdum fuerit provocata, tranquillo tamen animo perſeverans, & quaſi non habens in ore ſuo redargutiones ſuſtinuit patienter. Verùm circa omnes Ordinis obſervantias valde extitit ſolicita & devota, orandi habens ſtudium indefeſſum; multis vigiliis, flagellorum plagis acerrimis, aliiſque pœnitentiæ operibus corpus ſuum debile quotidie caſtigavit, per arctam & anguſtam viam gradiens omnem prorſus remiſſioris vitæ requiem declinavit. Porrò morbo miſerabili, ſcilicet caduco, pluribus annis oppreſſa graviter torquebatur, ita quòd ex hujus moleſtiæ vehementia ſeorſum tandem ſequeſtrata â ſororum conſortio manebat. In his omnibus devotè gratias egit Deo, æquanimiter ferens flagellum ipſius Domini valde grave. Interea

Interea cùm quadam die ſola in ſuæ manſionis cellula ſederet, volvens in animo ſuas calamitates & miſerias, ſubitò magna procella gemituum in ipſius pectore conſurrexit, ferens ingentem imbrem lachrymarum, eò quòd ab exſecutione divini officii in Choro aliisque Ordinis inſtitutis excludebatur, ad quæ æſtu cordis incredibili exſequenda â pueritia aſpirabat. Denique eâdem horâ lux de cœlo, Sole ſplendidior, divinitus reſplenduit in cellula, illuſtrans hanc beatam ineffabili claritate, irradiando in eam vehementer. Tunc verò ſenſit quaſi quandam cœleſtem virtutem ſenſibiliter ac manifeſtè in ſe ipſàm introëuntem & penetralia cordis ſui ſuaviſſimè perungentem. Cumque hac mira ſuavitate recreata & quodammodo renovata fuiſſet, ecce repente affuit ei benignus Dominus JESUS Chriſtus, humilium conſolator, dicens in auribus ſuis ſenſibiliter; *Conſtans eſto omnino. Ego erò tecum, nec te deſeram, ſed poſt vitæ tuæ exitum aſſumam te ad*

me ipſum. In charitate itaq; perpetua temperaliter te afflixi, quia quos amo, arguo & caſtigo, nec in futuro ulteriùs te affligam. Facta autem hac voce in auribus Dei famulæ ſubitò extra ſe facta adventum ſummæ & individuæ Trinitatis in anima ſua ſcire & intelligere promeruit, ac feliciter experiri ſignis manifeſtiſſimis & apertis, operantis in ea mira quædam, ineffabilia, & omnino incognita inexpertis. Proinde quàm feſtiva & ſublimia gaudia tunc duxerit, ſolius dantis & accipientis eſt nôſſe, quamvis ex parte aliquantula & nobis innotuerunt ex eo, quòd illius jucunditatis affluentiâ, qua in prædicta nimis glorioſa viſione perfuſa fuit ac mirabiliter recreata, nec ſilentio reprimere valuit, nec ſermone aliquatenus explicare.

Cæterùm adjecit pius Dominus ſecundò mirabiliter conſolari famulam ſuam circa finem vitæ ejus, cum quadam vice poſitâ in triſtitia & mœrore graviterque metuentem, ſe morte ſubitanea & improviſa præveniri

niri abſque Sacramentis Eccleſiaſticis, ſicut ſimilem morbum patientibus ſæpius aſſolet evenire. Igitur apparuit ei viſibiliter flenti & oranti Dominus JESUS Chriſtus in ſpecie diviniſſimæ humanitatis ſuæ, clementer eam conſolans (quoniam *ipſi cura eſt de nobis* 1.Pet. 5.) omnemque cordis ejus triſtitiam, formidinemque auferens, infudit ei pacem & gaudium ſpiritale, quod Mundus non novit, paternâ bonitate ſua eam certam faciens, quòd minimè hinc eſſet per mortem ſubitam aut ſine Sacramentis Eccleſiaſticis tranſitura. Tandem viſio illa nimis glorioſa ab oculis videntis continuò ſubtracta eſt: in corde autem ipſius remanſit inenarrabilis gaudii magnitudo, ita quòd præ immenſitate lætitiæ ſe ipſam capere vix poſſet.

Hæc nimirum beata, cùm in corpore ſuo multa dolorum gravamina patientiſſimè ſuſtinuiſſet, tandem longo cruciatu, tanquam aurum in fornace probata, pacatiſſimo ſomno in Domino obdormivit. Denique

in ipſius exitu omnipotens Deus novo miraculo oſtendere dignatus eſt, quàm placita ſibi fuerit anima ejus. Nam ſtatim ut ſpiritum exhalavit, & etiam in ipſa hora exſpirationis illius ſentire diutiùs cœperunt cunctæ Sorores tunc præſentes naribus ſuis influentem peregrini cujusdam odoris nectaream ſuavitatem, omnium odoramentorum fragrantiam incomparabiliter ſuperantem. Tunc Sorores, quæ aderant, de percepti cœleſtis odoris fragrantia in jubilum & lætitiam cordis excitatæ ſunt tantamque devotionem mente conceperunt, ut beatorum ſpirituum præſentiam, atque ipſius Dei noſtri benignum reſpectum ibidem adeſſe nullo modo dubitarent. Sic nimirum novit mira omnipotentis Dei clementia electos ſuos non ſolùm in futuro, ſed etiam in præſenti ſingulari honoris gratia ſublimare, cui eſt honor, poteſtas & imperium per infinita ſæcula ſæculorum Amen.

CAP.

CAP. XX.

De veneranda & ſancta Sorore bonæ memoriæ, Bertha nomine, e Rubeaco Monaſterii de ſub Tilia, quæ audire promeruit, dum adhuc vixit, Angelicam harmoniam, quam etiam Dominus JESUS Chriſtus circa obitum ſuum inviſere dignatus eſt cum MARIA matre ſua.

DE Virtutibus & laudabilis vitæ præconiis venerabilis Sororis piæ memoriæ, Berthæ nomine, cognomento de Rubeaco*, loqui cupientes, pauca de pluribus adjuvante Domino proferemus.

Ex Nobilibus ſiquidem orta Natalibus divitiisque & honoribus hujus ſæculi valde prædita, divina tandem gratia inſpirante Mundum, veris gaudiis

* Rubeaquum *ſeu* Rubeacum *antiquiſſima inter Baſileam & Argentinam Alſatiæ Civitas Anno Domini 162. ut putatur, ædificata.*

diis peraridum, cum flore ſuo deſeruit, levi Chriſti jugo ſe ſubjiciens, Prædicatorum Ordinem Religionisque habitum in noſtro Monaſterio aſſumpſit, ſub alas ſanctiſſimi Patris noſtri Dominici confugiendo, in quo contemptu ſæculi præclara extitit & ſublimis, qualiscunque temporalis conſolationis refrigerium non requirens, ſed ſanctæ contemplationis ſtudiis ſine mentis tædio invigilans, diverſorum chariſmatum gratiâ tanquam cœli ſydus ſplendidum refulgebat.

Planè in ſemitis Domini noſtri JESU Chriſti poſuit veſtigia pedum ſuorum, nec retraxit pedem, donec curſum itineris conſummavit, imitando obedientiam, humilitatem, patientiam, charitatem cæterasque virtutes ejus, quas verbo docuit & exemplo. Itaque in via mandatorum Dei non ſolùm ambulavit, ſed & cucurrit, imò potiùs volavit, ita ut omnes labores Ordinis, Regulæ & Conſtitutionum non ſolùm tolerabiles, ſed delectabiles ei & appetibiles

biles nimis forent. Sanè hæc beata fuit una de hujus Monaſterii columnis nobilioribus, firmiter in omni ſanctimonia radicatis (de prioribus loquor ſororibus, quarum zelo, ſtudio, conſilio & exemplo ſtatus Religionis ac ſanctæ obſervantiæ cum decore virtutum, robur vigoremque maximum capiebant.)

Porrò quàm ſtrenua ac devota erga omnes Religionis obſervantias fuerit, quamque diſtricta ac rigida ſui corporis extiterit caſtigatrix, non eſt facilè dictu. Unum tamen ex laudabilibus factis ejus exempli causâ ponamus in medium, unde & cæteris tam prolatis quàm dicendis fides poſſit faciliùs adhiberi. Finitis Matutinarum ſolenniis, quibus intereſſe devotè & reverenter conſuevit, poſtmodum in oratione pervigil pernoctabat, ad lectum per XL. annorum ſpatia, pauſandi gratiâ non revertens (licèt infirmitatum moleſtiis interim ſæpius gravaretur) ſed matutinalis ſomni dulcedinem recuſavit, præveniendo Dominum orationibus

nibus continuis & devotis, ut Chriſtum pleniùs lucrifaceret in ſua dulcedine & gratia abundanti. Cumque Domino infatigabiliter in Ordine usque ad ætatem decrepitam deſervîſſet, utiliter quoque ac ſtrenuè in officiis laborâſſet monaſterii plurimis & diverſis, ſeptuageſimum jam ferè annum agens, permittente Domino paralyſis languore graviſſimè eſt correpta. Ex quo nimirum omnium membrorum à cingulo deorſum usque ad plantam pedis uſum amiſit, ita quòd nec incedere, aut in lecto volvi, ſive inde erigi valuit, niſi adjuta manibus alienis. Annis itaque in grabato plurimis carcerata, flagelloque divinæ miſericordiæ humiliter ſubdita, ſemper gratias egit Deo. Et licèt infirmitate diutina ac nimis gravi oppreſſa, tamen interim ſervavit omnia ſtatuta jejunia in Regula & Conſtitutione, nec etiam edebat interim ſaginata, niſi rariſſimè, per obedientiam vix coacta.

Et quoniam in tanta neceſſitate ſeipſam deſpexit, in nullo ſibi condeſcen-

deſcendens pro nomine Salvatoris, idcirco benignus JESUS non eſt oblitus pauperculæ ſuæ, ſed unctione ſui Spiritûs intus in anima eam ſuaviſſimè perunxit, infundens ei divinæ conſolationis gratiam abundanter. Porro omnipotenti Deo, cujus eſt totum, quod eſt optimum, placuit hanc beatam per duorum annorum ſpatia & ultra (ùt opinor) ante ipſius obitum dono ſuæ magnificentiæ mirificè conſolari: in quibus ſingulis diebus, certis horis, ſcilicet infra Miſſarum ſolemnia, ac divini ſermonis tempore ad Sorores, corporeis auribus quotidie audire promeruit cœleſtem melodiam ineffabiliter ſuavem, beatorumque Spirituum Choros acutiſſimis vocibus & jucundis in æthere modulantes. Verumtamen ſupercœleſtis hujus cantûs magnitudo tanta fuit, quòd eum intelligere non potuit, niſi tantum illa verba, in quib⁹ ſub diſtinctione trium perſonarum unus Deus prædicatur & adoratur, videlicet *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Hæc

ſola

ſola auditu diſcernebat, eò quòd prædicta verba indeſinenter repetendo, vocibus altiſonis expreſſiùs depromebat. Finitis autem prætaxatis horis hujus cœleſtis harmoniæ amœnitas ejus auribus minimè inſonuit, poſtquam â ſervitrice ſua cœpit ſeu ab aliis Sororibus frequentari. Sed in ipſius corde concepta devotionis immenſa jucunditas remanſit, quæ eam totam interiùs tantæ ſuavitatis dulcedine quotidie reddidit delibutam, quòd infirmitatem ſuam, licèt graviſſimam, exultans & lætabunda ſufferret absque tædio deinceps & mœrore.

Denique appropinquante vitæ ejus termino mirificavit miſericordias ſuas Altiſſimus cum illa. Apparuit enim ſibi vigilanti viſibiliter idem pius Dominus, cujus miſericordiæ non eſt numerus, cum MARIA Matre ſua, Virgine glorioſa, & cum eo ſanctorum Angelorum, aliorumque Sanctorum frequentia, & in pugna mortis dulciter eam conſolans, abſtulit ab illa omnem trepidationem & diræ

diræ mortis metum, infundens ei gaudium ineffabile ſuâ præſentiâ virtuoſâ. Cujus quoque piiſſimâ gratiâ promiſſionem ſuæ æternæ ſalutis atque delictorum ſuorum veniam in illa hora ſacratiſſima accipiebat. Sicque viſio illa ſupercœleſtis ab oculis videntis protinus ſubtracta eſt, relinquens ipſi conſolationem & gaudium copioſum, mundana gaudia incomparabiliter ſuperans.

Cumque Soror, quæ illi in infirmitate ſua multo tempore devotè inſervierat, vidiſſet illam ſic in mortis anguſtia exſultantem, flagitavit magnâ inſtantiâ, ut, ſi quid conſolationis à Domino accepiſſet, ſibi dicere dignaretur. Cui illa ſilere præ gaudio non valens: *Verè*, inquit, *accepi à Domino JESU Chriſto mira & ineffabilia bona, omnem loquendi excedentia facultatem.* Mox incepit totius viſionis ſeriem ei per ordinem enarrare, qualiterque per duos annos cœleſtis melodiæ dulcedine lætificata quotidie fuerat & refecta. Addidit quoque dicens, eundem Do-

minum Majeſtatis cum ſupradicto comitatu glorioſo ſecundùm benigniſſimam dignationis ſuæ promiſſionem ſibi in hora ſui tranſitus præſentialiter affuturum. Quibus ſervitrix ſua auditis feſtinavit nuntiare hæc omnia diligenter Prioriſſæ & Sororibus univerſis. Convenientibus autem illis feſtinanter ad hanc beatam in extremis poſitam, illa læto ore, & jucunda facie retulit apertè omnia ſupradicta, quamvis ex imminentis mortis articulo vix vocem emittere videretur. Quam Sorores cœperunt obnixiùs deprecari, ut cùm Dominum JESUM præſentem videret, in ſignum ipſius præſentiæ pollicem manus erigeret: cùm verò Matrem Chriſti glorioſam advenire cerneret, extenſione indicis demonſtraret: cùm autem ſanctos Angelos cæteroſque Sanctos adeſſe conſpiceret, erectione ſeu elevatione omnium digitorum oſtenderet illorum præſentiam venerandam. Quæ continuò innuens ad ipſarum preces ſe facturam, exhilarata facie dixit circumſtan-

ſtantibus: *Ubi eſt nunc Prioriſſa? En adſunt mei ſuperni Cantores cœlicam mihi harmoniam ſuaviſſimè modulantes.* Verùm percontata à Prioriſſa, utrum corporali moleſtia graviter premeretur, & an mortis anguſtiam formidaret, reſpondit dicens: *Ego mori non timeo, nec horrore mortis concutior, ac mortis doloribus non affligor.* Nimirum præventa jam erat à Domino in benedictionibus dulcedinis, qui omnem ei mœrorem à corde, omnem penè dolorem à corpore tulit. Cúmque ultimum jam traheret ſpiritum, gratiâ Dei illuſtrata divinam adeſſe præſentiam ac ſanctiſſimæ Dei Genitricis MARIÆ adventum & Sanctorum, prout rogata fuerat, ſignis evidentibus demonſtrabat. Sicque anima illa beata carnis ergaſtulo ſoluta requieſcit nunc à laboribus ſuis, in cœleſtibus regnis adepta præmium ſempiternum. Per omnia benedictus Deus in ſæcula Amen!

CAP. XXI.

De beata Sorore venerabilis memoriæ nomine Agnete, dicta de Herckenheim, hujus Monaſterii fundatrice.*

VErtamus nunc ſtylum ſermonis noſtri ad venerandam ac Deo dilectam Sororem Agnetem, cognomento de Herckenheim, divæ memoriæ noſtri Monaſterii fundatricem, de cujus puriſſima, & verè in Domino ſancta converſatione pauca de multis commemorabimus, quantùm nobis dederit ipſe Dominus, bonorum omnium diſtributor.

Erat ſiquidem nobilis progenie, ſed fide & virtutibus multò nobilior. A cunabulis gratia Dei plena, coætaneis ſuis puellis, diem ludis expendentibus, nunquam ſe miſcuit, neque his, qui in levitate ambulant, participem ſe præbuit. Huic unum

* Herckenheim *vicus Alſatiæ ſuperioris.*

unum à pueritia ſemper ſtudium ac deſiderium fuit, ſe ipſum crucifigere Mundo & Mundum ſibi. Quam Parentes valde invitam, maritalem ſubire copulam contra caſtum animi ſui propoſitum compulerunt. Sanè quàm ſanctam vitam duxerit, quantisve virtutibus bonisque operibus abundarit tunc temporis, ſuperſedemus dicere in præſenti, prolixitatem, matrem faſtidii, evitantes. Verùm hoc unum ſecundùm veridicum ejus teſtimonium proferemus, quòd omnem ſæculi pompam, Mundi gloriam & honorem velut ſtercora reputabat, erantque ei oneri valde. Inſuper thorum viri ſui, quàm diu ipſe vixit, incredibiliter exhorruit, ejus conſortium abominans, & in quantum licuit, declinavit; non quòd ipſum exoſum habuerit, ſed quòd caſtiſſimum illius pectus ſuper omnia dilexerit continentiam caſtitatis. Genuit quoque duos filios, quos poſt mortem viri ſui in ætate tenera conſtitutos ad Prædicatorum Ordinem ſtuduit pro-

movere, ſcilicet F. Waltherum & F. Joannem, dictos de Herckenheim, probatos in Ordine, ſtrenuos & devotos.

Horum Mater Soror hæc beata, tempore viduitatis ſuæ mente integra, & corde perfecto cum Deo ambulavit, ex omni quod ſcivit & potuit, devotè ſuo ſerviens Creatori. Tandem ex inſpiratione divina hujus Monaſterii extitit fundatrix, & ſanctæ Congregationis, in qua nova bella elegit Dominus, & quæ ſe induit armaturâ Dei, dimicans contra antiquum hoſtem fortiter & conſtanter. Huic congregationi in diebus ſuis exemplar Religionis & ſpeculum Sanctitatis ſe præbuit, virtutum floribus & famæ redolens, verbo & exemplis mirificè radiavit. Porro Conventum ſuarum Sororum totis viſceribus in Domino dilexit, earum ſtatum tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus materno affectu pro viribus ſatagens in melius promovere, jugiterque eas protexit orationum ſuarum clypeo devotarum. Erat

Erat deinde provida & diſcreta in agendis, valdeque matura in omnibus rebus ſuis. Nempe cuidam Deo devotæ Sorori ſecretiùs confitebatur, lethalis criminis macula ſe nunquam fuiſſe in vita ſua per Dei gratiam pollutam ſecundùm firmum judicium Confeſſariorum; licèt occaſiones frequenter ſe ei ingeſſerunt graviter delinquendi, utpote in ſæculo nuptæ, & aliis negotiis ſæcularibus quàm plurimùm intricatæ.

Denique in Contemplationibus divinis devota erat incredibiliter & ſuſpenſa, omne in Deum transferens deſiderium & affectum. Idcirco juſtus & miſericors Dominus, *qui non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia*, conſolationes ſibi faciebat multiplices in ſecreto, revelans ſibi profunda myſteria, inexperta plurimis, etiam perfectis, pariterque mente excedendo eam dulciter viſitabat. Hanc quoque in exceſſu mentis diutiùs raptam vidit prædicta Soror, inquirere tamen aliquid ab ea, cùm ad ſe rediit, non *Pſal. 83.*

 præ-

præſumpſit, licèt manifeſtè ſibi daretur intelligi, eam fore repletam bonis ſublimibus & jucundis.

Aliud quoque bonùm præmagnificum per decem annos continuos ante ipſius tranſitum ſibi contulit benignus Dominus, quo ſingulariter in ſpe conſtituere eam voluit in præſenti: Certitudinem namque de ſalute ſua perpetua ac de remiſſione omnium peccatorum ſuorum miris & occultis modis diebus ſingulis ei pius Dominus inſpiravit: ſecreto quoque ſuavi ſuſurro ejus, eam in conſcientia ſua quotidie certificavit, quòd mox gravi carnis depoſito pondere ſpiritus illius absque quolibet obſtaculo, libero volatu, ad regna eſſet ſyderea tranſiturus. Nimirum iſtud tam excellens & inæſtimabile donum ipſa plus ponderavit, chariusque habuit omnibus aliis cœleſtibus conſolationibus atque donis. Sicque Evangelicum promiſſum ſuum complevit in ea Dominus, qui pro quolibet ſimplo, propter ſe relicto, promiſit centuplum ſe daturum. *Matt. 19.*

Acce-

Accepit enim veraciter à Domino in præſenti ſuum centuplum incomparabiliter augmentatum.

Conſummatis igitur laudabiliter diebus vitæ ſuæ, debitum univerſæ carnis exſolvit, & quæ aliquandiu in lachrymis ſeminaverat, nunc in gaudio immortalis vitæ metit æternorum dulciſſimos manipulos gaudiorum. Nempe ante defunctionis ipſius diem nocte præcedenti quædam Deo devota & fide digna Soror vidit in viſu noctis per ſomnium arcam in clauſtro propè Capituli domum poſitam omnino ligneam & quadratam. Magnetem quoque prælucidum ſimiliter conſpexit in ea reconditum diligenter tanquam aurum puriſſimum, claritatis ſuæ radiis undique transparentem, cujus longitudo & latitudo replere eandem arcam videbatur. Prædictam verò arcam pariter cum lapide pretioſo in defoſſum ibidem ſepulturæ locum reponi continuò intuebatur. Porro poſt illius obitum corpus ejus in eodem loco fuit poſtmodum honorificè

rificè reconditum & ſepultum. Quod autem ibi ſepelienda fuerat, Soror, quæ hæc videbat, minimè antea recognovit. Sicque quàm placita atque grata fuerit ſibi anima hujus beatæ, per tale ſomnium declarare voluit benignitas Salvatoris, qui eſt Deus benedictus in ſæcula ſempiterna Amen.

CAP. XXII.

De beata Sorore Herburge de Herckenheim, bonæ memoriæ, quam Dominus in præſenti multis ſupernis conſolationibus frequentavit.

BEata ac laude digna Soror Herburgis, cognomento de Herckenheim bonæ memoriæ, magnâ Dei gratiâ prædita & virtute, celſique meriti fuit procul dubio apud Deum. Hæc ſiquidem in Monaſterio Ordinis ſanctiſſimi Patris noſtri Dominici de ſub Tilia, in quo vigor diſci-

diſciplinæ fervorque ſanctæ Religionis in diebus illis optimè cuſtodiebatur, & usque hodie Domino adjuvante præcipuè conſervatur, usque ad vitæ ſuæ terminum non ſolùm ſine querela, ſed & cum multa gratia converſata diu noctúque Chriſto Domino devotiſſimè deſervivit, magno Dei munere conſervans caſtitatis lilium incorruptum. Tanto quoque pietatis affectu, compaſſionis benignitatisque erga omnes Sorores abundabat, quòd omnis illa ſancta congregatio ad præſens memoriam abundantiæ ſuavitatis illius cum gratulatione eructet.

Rigidam inſuper nimis & arduam vitam geſſit, continuis operibus bonis durisque laboribus corpus ſuum conterens & caſtigans. Super lapides duodecim prægrandes multis annis in nocte cubare ſolita erat in honorem duodecim Apoſtolorum. Porrò tanto ardore pii ad Deum deſiderii devotionisque impetu ferebatur, quòd ſanguis frequentiùs ubertim profluxit de ipſius naribus atque

ore.

ore. Vanarum quoque cogitationum levitatem toto mentis conamine continuè reſtrinxit, ut cordis munditiam puritatémque perpetuò retentaret. Et ut ipſius animus totus in Deum tranſiret, ipſi jugiter per internam contemplationem inhærendo, non ſolùm ab illicitis, verùm etiam à licitis omni diligentiâ abſtinuit, quantùm à fragilitate humana potuit extorquere.

Quapropter benignus & fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis effudit copiosè ſupernarum conſolationum abundantiam, ſuper latitudinem cordis ejus, revelans ſibi frequenter ſecreta cœleſtia, abſcondita à Sapientibus & prudentibus hujus Mundi. Quorum quidem plurima oblivioni ſunt tradita, nec ad notitiam meam pervenerunt. Quæ verò ſcire potui, tanta tamque magnifica ſunt, quòd ea veraci quidem ſtylo, Deo teſte, ſed ſimplicibus tamen verbis, quantùm ingenii mei parvitas ſufficit, litterarum monumentis tradere potiſſimùm æſtimavi.

Omnia

Omnia namque inſerenda huic operi & inſerta tam de iſta felici ſorore, de qua nunc loquor, quàm de aliis ſanctis ſororibus, huic ſæculo jam defunctis, diligentiſſimè inveſtigavi, & percepi à ſororibus fide dignis, quarum teſtimonia credibilia nimis, quæ mihi ſub teſtificatione veritatis atteſtatæ ſunt, hæc omnia ſe auditu proprio ſecretiùs percepiſſe ab eisdem Deo dilectis ac placitis ſororibus, dum viverent, ad quas hæ ſupernæ revelationes, conſolationésque multiplices divinitus ſunt factæ.

Hæc idcirco dixi, quatenus omni dubietatis remoto ſcrupulo fides non dubia aſſertionibus his fideliſſimis adhibeatur. Nunc verò ad propoſitæ narrationis ſeriem redeundum mihi eſt, à qua paululùm digreſſa ſum.

Expleto quadam vice Completorio hæc devota Dei famula, causâ orationis ſecretum locum petiit: & ecce repente factâ manu Domini ſuper eam rapta eſt in ſpiritu. Remanſit igitur ibidem toto corpore proſtrata ſine ſenſu atque motu ab illa

hora

hora usque ad diei ſequentis auroram cunctis per exſtaſin ſenſibus corporeis attonitis pariter & conſopitis. Interea nimirum aperti ſunt ei cœli, ac revelatâ facie meruit inſpicere gloriam Domini Majeſtatis. Cumque diutiùs cœli ſecreta duce gratiâ rimata fuiſſet, tandem ad ſe reverſa eſt, & ad portam Monaſterii progrediens, cui ex injuncto ſibi officio intendere oportebat, mox cœli Regina, Angelorum Domina, oculis illius viſibiliter apparuit, geſtans in ulnis ſuis Regem gloriæ, parvulum ſuum Dominum JESUM Chriſtum, amictu deſuper humili palliata. Piiſſima verò Dei Genitrix MARIA parte pallii paululùm ſubmota obtulit eidem ſorori ad videndum dulciſſimam illam ſarcinam, quam geſtabat. Unde à conſpectu gloriæ vultûs parvuli glorioſi ſpecioſique formâ præ filiis hominum, paritérque Chriſti puerperæ ſanctiſſimæ, Soror, cui hæc videre conceſſa ſunt, ſubitò inæſtimabilis devotionis dulcedine, jucunditatisque lætitiâ perfuſa eſt. Sic viſio

illa

illa ſanctiſſima ſublata eſt ab oculis intuentis, mentem tamen ſuam adeò ſolidatam, & in Chriſto fundatam ex tunc & deinceps cognovit, quòd ab amore Domini, ſeu à puritate Chriſtianæ fidei nullis tentationum impulſibus potuerit ſeparari, etiamſi in terra fuiſſet infidelium ab illa hora usque ad ſuum obitum commorata.

Revera magnâ nimis chariſmatum eminentiâ in vita ſua emicuit. Deinde finitis quodam tempore Matutinis ſola hortum ingreſſa devotione ſolitâ, ſinceram in conſpectu Domini orationem effudit, tantò ferventiorem, quantò & ſecretiorem locum ſibi quæſierat, huic ſatìs negotio opportunum. Cúmque in contemplatione ardentiſſimæ devotionis ibidem ſtaret ſuſpenſa, ſubitò quædam mira animi tranquillitas, ſuavitas de cœleſtibus inexperta, internum cordis gaudium, veluti fons vivus ſcaturiens ad interiora corporis & animæ ſuæ influens, utrumque ipſius hominem dulcore mirabili perfundebat. Ex quo miro ſenſibilique

lique modo percepit, animam intra corpuſculum ſuum in motum exultationis prorumpere manifeſtum inſtar aquilæ grandis, alas ſuas excutiendo ſæpius fortiterque repercutientis. Talem ſiquidem motum in intimis ſuis experta fuit apertiſſimè. Ipſa verò tantæ jucunditatis lætitiâ feliciter ſuperfuſa eſt, quòd in terram cadens mente deficeret, ac ferre ulteriùs non valeret. Theſaurizârat enim ſuper eam Dominus cœleſtium gaudiorum abundantiam in immenſum, ita quòd ex ſententia dicere
Pſal.118. potuit cum Propheta: *Defecit in ſalutari tuo anima mea Domine.* Viribus itaque corporis in tantum exinde deſtituta fuit, quòd vix reptando manibus pedibusque ex illo loco usque ad primam diei horam redire potuit, tanto temporis ſpatio, ad Sorores.

Adjecit quoque benignitas Salvatoris hanc Sororem, cui guſtum ſupernæ ſuavitatis mirâ dignationis ſuæ gratiâ antea contulerat, reſpectu divinæ miſericordiæ ſuæ mirabiliter viſita-

viſitare. Nunc verò miranda mirandis ſuccedunt. Alio enim tempore in ſui amorem mentem illius accendit vehementer nimis, totámque incanduit ipſe Dominus, qui ignem ſalutiferum venit mittere in terram. Quapropter plures tranſegit noctes inſomnes, nec ſomnum oculis ſuis multo tempore valuit indulgere præ amoris illius deſiderio, ad quem votis omnibus aſpirabat. Unde verbis Prophetæ eximii ſæpius uſa dixit ſibiipſi: *Quare triſtis es anima mea?* Pſal. 41. Quid vis, aut quid quæris? Nihil verò ſibi aliud reſpondere noverat, niſi propemodum ejusdem Prophetæ verbum, qui ſibiipſi interroganti reſpondebat: Deum meum volo, ipſum deſidero, ipſum ſolum quærit ex totis præcordiis ſuis anima mea. Cúmque querulofis vocibus ex deſiderio, quo ardebat, ſic continuè clamitaret, ecce pius Dominus advenit & replevit bonis omnibus deſiderium animæ ſuæ, transfundens ſe non ſolùm oculis ſuis mentalibus, verùm etiam exteriùs

 eam

eam luce inæſtimabili illuſtravit, reddens eam intus & exteriùs totam luminoſam. Et dixit quoque in auribus ipſius corporeis ſenſibiliter & apertè: *Ecce ego ſum Deus tuus, ſalus tua ſempiterna: teneas & conſtringas me tibi in æternum ad tuæ placitum voluntatis.*

Quis verò mentem hujus excogitare dignè valeat, ſeu penſare, quantis bonis ex adventu tanti hoſpitis abundaverit, quantáque feſtiva gaudia cum Dilecto ſuo tunc duxerit? Solius Dei notitia hoc comprehendit & illius, cui conceſſum eſt feliciter experiri. Ipſa namque de torrente æternæ voluptatis, de qua ad horam plenè potaverat, ebrietate æſtuavit lætabunda in tantùm, quòd in lectum decidit languens tempore valde longo. Sic itaque multifariè multiſque modis immenſa pietas Conditoris gratam ſibi hanc facere his donis præcelſis & ſimilibus non deſtitit in præſenti, quibus eidem interminabilis in futuro cumulus procul dubio meritorum ſuccrevit.

Tre-

Tremendum venerandúmque ſacroſanctum Myſterium Corporis & Sanguinis ſui ipſe benignus Dominus JESUS pluries per cœleſtem huic nuntium miniſtravit, ardentiſſimæ quoque ipſius devotionis affectibus dignatus eſt ſatisfacere in hac parte. Cujus quoque benigniſſimâ indulgentiâ ter in vita ſua percipere promeruit remiſſionem peccatorum ſuorum omnium. Quæ aliquando in Choro orans vidit corporeis oculis duarum vultus Sororum prope adſtantium ſplendidiſſimis radiis, ſicut Sol lucet in virtute ſua, nimiùm coruſcantes. Quo viſo magni meriti easdem apud Deum fore minimè dubitavit.

Cæterùm quodam tempore obſidionis oppidi Columbarienſis magno timore exterritæ ſunt Sorores, exinde grave imminere periculum Monaſterio formidantes: Iſta ergo ſancta & devota Soror totam ſe contulit ad deprecandum pro defenſione loci beatam V. MARIAM, erga quam devotione ſemper præcipua fe-

rebatur. Accepit igitur imaginem ejusdem Virginis glorioſæ cum multa reverentia, ac pia nimis confidentia totum Monaſterium ejusque omnes officinas tota amariſſimis perfuſa lachrymis tribus vicibus devotiſſimè circuivit. Sic itaque divina gratia ſuffragante per merita SS. Dei Genitricis MARIÆ, ſuis piis precibus & devotis obtinuit plenam liberationem ab inſtanti periculo non ſolùm Monaſterio, verùm etiam toti pariter Civitati. Hæc enim in fine ultimæ proceſſionis ſibi clementer benignus Dominus demonſtravit, revelans etiam ei propter devotarum preces Sororum, ſtrenuè ſibi in Ordine ſervientium, hoc Monaſterium ab omnibus ingruentibus anguſtiis & periculis ſe clementer erepturum. Igitur quantæ virtutis & efficaciæ ejus oratio fuerit, patuit per effectum. Nam ſupradictæ diſſenſionis atque diſcordiæ causâ citiùs ſedatâ cives Columbarienſes pacem continuò receperunt.

Deni-

Denique acceſſit etiam aliquando ad hanc beatam Sororem quædam de noſtris ſororibus tota perfuſa lachrymis, rogitans diligentiſſimè ſuſpiriis gemitibusque immenſis, quatenus divinæ pietatis clementiam ſedulò interpellaret pro guerra * diutina, quæ nimis periculosè inter duos fratres ſuos germanos multo tempore verſabatur, ne fraterna cæde interempti morte miſerabili interirent. Cujus lachrymis plurimùm compaſſa promiſit ſe protinus Domini miſericordiam rogaturum inſtantiâ, quanta poſſet. Siquidem affluens valde viſceribus pietatis erga compaſſionem proximi, & maximè ſororum ſui Conventûs, ſe totam mirabiliter effundebat. Hinc devotiſſimè pro cauſa ſupradicta Dominum exorabat tota nocte usque ad diei diluculum pernoctando. Verùm poſt matutinum ſtans immobiliter uno in loco usque ad primam diei horam, baculo tantùm feſſos ſuſtentans artus, utpote longo ſenio prægra-

 vatos,

* *Id eſt:* bello.

vatos ab oratione non ceſſavit, donec â Domino meruit exaudiri. Sancto enim Spiritu ſibi revelante agnovit, quòd dicti fratres carnales nullam ſibi forent corporis læſionem aliquando illaturi, Domino eos per ipſius preces conſervante, quodque tandem, licèt ſerò, eſſent ad pacem & concordiam redituri. Manè verò facto, germanæ horum fratrum, quæ deſolata ante eam venerat, conſolationis gratiâ hæc omnia per aliam ſororem, valde devotam, poſtmodum Supprioriſſam noſtri Monaſterii, ſignificavit. Porro ſecundùm ſermonem ejus Propheticum, ùt prædixerat, quamvis multis annis interim elapſis, omnia procul dubio evenerunt.

Huic quoque accidit alio tempore ſatis admirandæ devotionis gratia, quam prætereundam fore nullatenus æſtimavi. Tanta namque charismatum gratia perfuderat interiora animæ ſuæ benignus Deus in inſigni die ſolennitatis & lætitiæ, ſcilicet Dominicæ Nativitatis, atque muſto

muſto illo cœleſti eam fecerat æſtuare adeò vehementer, ut etiam artus omnes corporis ſui ſibi viderentur ſic perfuſi mirabiliter & repleti eâdem gratiâ, quòd ulterius capere non valerent. Sic, ſic ſpiritualibus referta delitiis ad Matutinum gratioſæ feſtivitatis, ut lectionem legeret, coram pulpito adſtans aperto ore, ebria Dei ſpiritu, nullum verbum de *verbo Incarnato* proferre potuit. Putavit tamen valde ſolenniter ſe lectionẽm illam more ſolito decantare, prout poſtmodum cuidam ſorori, admodum ſibi familiari, ſecretiùs enarravit. Cumque moram ſilentii in lectione ſic aliquantulum protraxiſſet, quædam ſoror defectum illius demum ſupplevit.

Tandem expleto vitæ ſuæ termino migravit â ſæculo, vivens cum Chriſto Domino, apud quem bonorum omnium abundantia perpetuò perfruetur timore malorum ſublato. Per omnia benedictus Deus in ſæcula ſempiterna. Amen.

CAP. XXIII.

De felice Sorore Adelheide de Rhinfelda divæ memoriæ, hujus quondam Monaſterii Prioriſſa.

DE Venerabili prædulcis memoriæ Sorore Adelheide, cognomento de Rhinfelda*, ſanctæ Congregationis hujus quondam Prioriſſa loqui nunc cupimus ad profectum legentium, & ne in hoc libello columnam ſplendidiſſimam præcipuæ ſanctitatis Religionisque hujus Monaſterii tranſiiſſe ſub ſilentio videamur. De cujus admirabili quoque converſatione, ſingulari ſanctitate ſpecialique virtutum prærogativa, quantùm ingenii noſtri parvitas ſufficit, proferemus.

Hæc ſanè cùm in ſæculo multis divitiis & honoribus redundaret, utpo-

* Rhinfelda *oppidum Rauracorum ad Rhenum.*

utpote nobili proſapiâ orta, ætate adhuc juvenili corporis animique vigore pollens, divinitus inſpirata, relictis parentibus, propinquis notis & amicis, omnique mundi gloriâ ſpretâ, ac ſolo patrio valedixit, quodque excellentius magnificentiusque fuit, maritum ſuum juvenem, Militem ac in rebus ſæculi valde præclarum cum duobus parvulis liberis ſuis deſeruit, Monaſterium ſub Tilia Ord. ſanctiſſimi Dominici ingreſſa, ibique ſub diſciplina ſuſcepti Ordinis perſeveranter in omni vitæ ſanctimonia Chriſto Domino militavit.

Prædictus verò Miles ad eundem Ordinem ſe tranſtulit, in quo functus ſacerdotio, factusque Prædicator fervidus ac devotus, multis annis poſtea vivens ſtrenuè Domino usque ad ſuum obitum deſervivit. Reliquit autem domi parvulos ſuos, ſcilicet filium & filiam ſub nutricis cuſtodia, cunas infantiæ vix egreſſos. Denique filio citiùs hujus vitæ miſeriis ſubtracto, filiam *, quæ utrique paren-

* *De hac vide cap. 34.*

parenti unica remanſerat, in eodem Monaſterio teneris ſub annis matri nutriendam tradidit pater, divinoque ſervitio ibidem cum ampla rerum ſubſtantia perpetuò mancipavit. Sicque cum filia mater ex divitiarum ſuarum abundantiis pauperum ſororum inopiam in primævo tempore largiſſimè ſuppleverunt.

Porrò quàm diſcreta circumſpectaque in omnibus actibus ſuis, quàmque ſolicita in cunctis Ordinis obſervantiis prædicta matrona in Monaſterio extiterit, nôrunt omnes, qui eam in corpore viderunt, quæ etiam odore ſanctitatis illius vehementer affectæ, informari exemplis ipſius & virtutibus nitebantur. Perfectionis enim apicem in primordio converſionis ſuæ arripuit, effectuque fortiter adimplevit.

Cumque quotidianis virtutum ſuccreſceret incrementis, permiſit Dominus mentem ejus, cujusdam tentationis ſtimulis aliquanto tempore acriter impugnari. Cujus tentationis moleſtia indies graviter augeba-

gebatur, nec eam precibus multis, lachrymisque ad Dominum effuſis reſtringere, ùt optavit, ſeu abigere valebat. Ibat igitur marceſcens & contabeſcens miſerabiliter præ afflictione ſpiritûs & violentiâ tentationis, nec requiem ſeu conſolationem poterat invenire. Verùm poſtquam advenit tempus miſerendi ejus, miſericors & miſerator Dominus, qui poſt tempeſtatem tranquillum facit, affuit illi, dulciter conſolans eam in tempore tribulationis & anguſtiæ ſua ſolita pietate. Apparuit enim ſibi viſibiliter quadam die ſoli in dormitorio conſiſtenti benignus dominus JESUS veluti ad columnam ligatus, plagis totus lividus & cruentus, ſtigmata clavorum habens in manibus pedibusque, lanceâ quoque perforatus, ac ſi eadem die eſſet crucifixus, ita ut ſanguis ubertim de recentibus vulneribus emanaret. Et converſus Dominus benigniſſimè eam reſpexit tanquam patienti medullitùs condolendo. Siquidem ex ipſius gratioſiſſimi Dei conſpectu, cujus nimi-

nimirum facies plena gratiarum, ſubitò ab omni priſtina tentatione libera effecta, divinæ conſolationis gratiam ac ſecuritatem infuſam ſuo ſpiritui intellexit, adeò quòd omnis dolor & gemitus ex tunc ipſi fuit in gaudium & lætitiam commutatus.

Fuit quoque patiens valde & gaudens in tribulationibus, quas ex defectu victûs & veſtitûs tunc temporis ipſa cum ſororibus plurimis ſuſtinebat, in quibus ſemper Deo gratias referebat. Sanè nunquam in vita ſua pro cibo & potu aut lecto ſeu procuratione tenui, cùm eſſet ſana vel infirma, extitit queruloſa. Cibos verò in menſa ſibi oblatos nunquam mutavit, nec alios requiſivit, etiam cùm guſtare de appoſitis non valebat, utpote valde aliter in ſæculo educata, & aliàs ſemper debilis & infirma erat. Nempe obſervabat diligentiſſimè ut non delinqueret in lingua ſua, ſemper de Deo vel cum Deo loquens, raroque aliàs loquebatur. Verbum autem otioſum vel nocivum, vel adulationis & fictio-

fictionis ſeu detractionis nunquam audivimus ex ipſius ore procedere, Deo teſte. Falſitatis quoque & mendacii verbum in ſæculo & in Religione nunquam ex ore ejus prodiit, ipsâ hoc ſecretiùs referente, cujus verbis credulitatem facilè adhibemus, cùm nimirum converſatio illius talis fuerit, quòd fidem dictis ejus non adhibere nefas eſſe procul dubio putaremus.

Porro legem ſilentii omni tempore diſtrictiſſimè conſervavit, etiam cùm febribus ſeu acutâ laborabat. A ſervitrice ſua de veſtibus ſive capitegiis, cùm deeſſent, ſibi requirere poſt completorium præcavebat, malens propter Deum defectum ferre etiam valde gravem, quàm diſtrictionem ſilentii uno tantùm verbo infringere tali hora.

Infra Miſſarum ſolemnia de Choro nunquam exivit vel ad horam, etiam corporali moleſtiâ plurimùm exigente, quibus etiam intereſſe multâ animi devotione continuè conſuevit. In divino quoque

officio

officio nunquam in vita ſua attædiata fuit ex quacunque moroſitate cantûs, nec etiam depreſſa ſomnolentia & torpore, nec aliàs in Choro ſive in prædicatione dormivit. Tanto mentis faſtigio divinis contemplationibus ſuſpenſa, atque in Deo adeò abſorpta fuit, ut, cùm de Choro exivit, videns gramen, arbores, nec non Monaſterii ædificia, miraretur ea, æſtimans de novo omnia ſurrexiſſe.

Per clauſtrum quoque aliquando deambulans cœlum apertum videre promeruit, ubi tantum claritatis, luminis & gloriæ conſpexit, quòd nulla lingua ſufficiat explicare. Hæc quoque cùm communi operi inſiſteret, & filaret, cui devotâ ſemper curâ diligentiſſimè intendebat, tantâ aliquando divina conſolationis dulcedine & gratiâ interiùs in anima delibuta eſt, quòd ejuſdem cœleſtis dulcoris & gratiæ exuberantia de interioribus animæ ſuæ ebulliens per digitorum ungues ſibi effluere videbatur.

Hanc

Hanc etiam pane vitæ & intellectûs ſcilicet vivifico Sacramento, absque humano miniſterio divinitus ſibi transmiſſo, aliquoties ſenſibiliter cibare dignata eſt mira & immenſa largitas Creatoris. Ex hujus autem ſupercœleſtis perceptione Viatici mirabiliter illuſtrabatur, mente proficiens ſedula virtutum & gratiæ incrementis.

Præterea ſolius deſiderio Conditoris jugiter inardeſcebat, nec deſiderabile quicquam aliud ſibi fuit, niſi placere Deo ſemper, illius totis affectibus continuè inhærere. Sicque corpus ſuum deſpiciebat, ac præſentia univerſa, quemadmodum ſolet herba putrida jam contemni. Agebatur enim ſpiritu Dei. Liberum habens imperium carnis ſuæ, puram ſibi in omnibus conſcientiam ſtuduit conſervare. Hinc ergo magnas illi conſolationes ſpiritales ac multiplices Dominus faciebat ſive vigilando ſive dormiendo, ſeu mente excedendo, ipſi plura abdita & ſecreta de cœleſtibus ac futuris revelans, de quibus quæ-

quædam tantæ profunditatis excellentiæque eſſe fateor, quòd mentis meæ valde excedant intellectum, nec in libris propriæ experientiæ illa legi, quæ tamen ſuis locis perpaucis verbis minusque convenientibus, prout potero, per ordinem declarabo.

Huic quoque vigilanti & oranti defunctæ hujus Monaſterii Sorores frequenter, etiam interdum clara luce viſibiliter apparuerunt. Ex quibus quasdam inter cœlum terramque conſpexit in ſublimi inſtar ſolis claritatis mirabiliter refulgentes. Cùm autem contigit interdum ſignum dari ad Chorum ad Horas, ſeu alicubi eundum ſecundùm Ordinis inſtituta, relictis ibidem viſis defunctis ſororibus, ad locum, ad quem ſignum factum fuerat, illico properavit. Tanti ſiquidem fervoris & ſtudii circa omnes Ordinis obſervantias extitit, quòd propter hujusmodi viſionem, nec alias, revocari aliquando potuit ab executione ſtrictiſſima Regulæ & conſtitutionum, niſi infirmitate depreſſa corporis valde gravi. Præterea

Præterea hæc Deo devota Soror, Reverendi fratris Rudolphi de Rhinfelda Domus Baſilienſis Fratrum Prædicatorum, quondam ſtrenui admodum in ſæculo militis relicta, ſicut præmiſimus, cùm poſt ipſius obitum multùm pro ejus anima foret ſolicita, divinumque auxilium invocare precibus & lachrymis non ceſſaret, vidit eum in ſpiritu in locis pœnalibus deputatum, & ibidem flammis ignium involvi acriter & vexari. Quo viſo extemplò ad ſe rediit graviter ingemiſcens, totis compatiendo viſceribus patienti. Cui vigilanti viſibiliter apparuit prædictus Frater Rudolphus, eisdem ſimiliter pœnis miſerabiliter afflictus, quibus ſibi per viſum ante fuerat demonſtratus. Qui nimis triſtis, vultúque lugubri eam diutiùs intuens, quaſi orationum ſuffragiis petiit ſuppliciter adjuvari, ſtatimque ab ipſius oculis elapſus eſt. Unde ſe totam ad deprecandum tamdiu devotiſſimè contulit, quousque plenam liberationem illi obtinuit â Domino JESU Chriſto. Poſt

hæc apparuit iterum eidem viſibiliter & ſtupenti dictus Frater Rudolphus cum multa luminis claritate, vultu hilaris, & ſpecie glorioſus devotas gratias ei egit dicens, quòd per orationum ſuarum merita â pœnis fuerit liberatus. Et requiſitus ab ea, quomodo ſeſe haberet, reſpondit dicens: *Modò benè mecum agitur, quia de cætero benè valeo expendere dies meos.* Quod verbum dum non intelligeret, ipſe ſibi expoſuit dicens: *Æternâ Dei viſione, perpetuo intuitu absq; viciſſitudinis obumbratione felix perfruar amodo & usq; in ſempiternum.* Et his dictis diſparuit.

Alio quoque tempore rapta fuit in ſpiritu per mentis exceſſum ductaque ab Angelo ad loca horroris & pœnarum, plena miſeriis, clamoribus & ejulatibus miſerorum, in quibus infinitam hominum multitudinem utriusque ſexûs, pariterque diverſorum Ordinum Religioſos conſpexit, graviter præ nimia multitudine ſe invicem comprimentes in tantùm, quòd ad cumulum ſuæ miſe-

miſeriæ cruciatum inde permaximum ſufferebant. Hi omnes culpis ſuis exigentibus, tormentis ibidem addicti graviſſimis & diverſis, quorum numerus per momenta ſingula creſcebat, & decreſcebat propter recedentium inde multitudinem animatum, & illuc per mortis tranſitum continuè alternatim advenientium. Vidit quoque ibi perſonas quasdam, quas, dum in carne viverent, noverat, familiaresque habebat, quæ ſimiliter pœna horribili multo tempore acriter cruciatæ ſunt per diſtrictum Omnipotentis Dei judicium, qui nullum delictum, etiam minimum pro humana æſtimatione, tranſire patitur impunitum. E quibus quandam ibi cernebat, quæ veluti candens ferrum tota ex incendii ardore ignita effecta, de flammis conſurrexit, torvo duroque valde aſpectu hanc, quæ videbat, intuens impetum in eam facere conabatur. Ipſa mox ſignum crucis opponens fugavit eam, quæ ſtatim in ignium

flammas corruens, ſibi nocere amplius non valebat.

Plura quoque alia ibi vidit, quæ poſtmodum nulli voluit indicare. Cùm inde ad ſe ipſam reverteretur, audire protinus cœpit tumultum quaſi magni exercitûs, curſu celeri lætanter alicubi properantis. Ipſa verò feneſtram ſibi oppoſitam aperiens, vidit turbam magnam beatarum animarum â pœnis purgatoriis abſolutam, immenſo lumine coruſcantem, liberóque volatu per aëra ad regna cœleſtia cum gaudio inæſtimabili volantem. Vidit quoque has ſanctiſſimas animas binas & binas in aëre pariter tranſeuntes, alias præcedentes, alias autem ſubſequentes, quas innumera Angelorum agmina comitabantur cum honore & lætitia magna valde. Audiebatur prætereà ibidem ſuavitas harmoniæ cœleſtis inaudita, & reſonabat undique gratiarum actio & vox laudis. Nempe harum ſanctarum animarum, cœlum petentium, felicitatis immenſitas & lætitiæ jucunditas gloriæque magnitudo

tudo tanta ac talis extitit, quòd eam nec ſenſu corporis æſtimare potuit, nec linguâ explicare. Verumtamen intimæ devotionis affectu hujus glorioſæ viſionis, quam oculis corporeis videre promeruit, ulteriùs à corde ipſius deleri non potuit.

Denique circa auroram cujusdam diei ſopor Domini irruit ſuper eandem, tenuis quidem ſed divinâ gratiâ ſuavis. Videbatur ſiquidem ſibi, quòd piiſſima Dei Genitrix, Regina Cœli, Angelorum Domina; decore & gloria admirabili decorata, in domo laboricii * noſtri ſederet ſororum hujus Monaſterii, aliorumque hominum circumdata multitudine copioſa, ad quos benigniſſimè concionabatur, pia ſolicitudine ſingulorum neceſſitatibus intendens, dansque eis conſilia & auxilia opportuna. At verò ſoror, quæ hæc vidit, ſtans à longè propiùs accedere non præſumpſit. Cui ſanctiſſima

* Laboricium *ſeu* Laborarium (*ùt alibi vocat*) *eſt domus vel officina, ubi Sanctimoniales opera communia perficiunt.*

Chriſti puerpera, ut veniret, manu innuit virginali. Quæ cum reverentia humiliter accedens, quæſivit dicens: *Piiſſima Domina, ſuntne dimiſſa mihi peccata mea?* Cui Virgo beata reſpondit dicens: *Filius meus remiſit tibi peccata tua.* Quo jucundo nimis reſponſo, per almam Dei Genitricem accepto, adeò gaviſa eſt, quòd præ im̃enſitate lætitiæ ſe ipſam capere non valebat. Sicque à ſomno protinus excitatur, recordaturque, quòd pro indulgentia peccatorum filiæ ſuæ, ſororis Sophiæ*, minimè petierat Virginem glorioſam. Inde vehementer doluit, converſumque eſt ſibi ingens gaudium ſubitò in gemitum & mœrorem. Porrò pia Virgo MARIA non deſeruit diutiùs deſolatam, & in ſe ſperantem dignata eſt citiùs conſolari. Nam ſequenti nocte eâdem horâ, qua priùs, apparens ei Virgo ſanctiſſima ſuper peccatorum filiæ ſuæ remiſſione, certam eam, ùt optavit, reddidit per ſoporem.

Magni-

* *De hac infra cap. 34.*

Magnificam reverà mirabilemque gratiam, paucis expertam, etiam perfectis, ut opinamur, in medium proferemus, quam eidem ſorori ob meritum ſanctitatis ſuæ divina conferre largitas dignata eſt. Cùm quadam nocte ante ſonitum horologii ad Matutinas in ſtratu ſuo vigilans ſederet, divinæ miſerationis benigniſſimum reſpectum adeſſe ſibi continuò intellexit, qui repente omnem peccati ſcoriam in ejus anima excoxit & conſumpſit illo igne ſalutari, quem ipſe Dominus miſit in terram, adeò ut nullæ humanæ corruptionis maculæ in ea, quæ animam aggravant, reſiderent: Econtra nimirum cordis ſui ſecreta mundiſſima veluti cœlum ſereniſſimum relucebant. Hæc in illa hora propriâ experientiâ evidentiùs ſcire promeruit, ac feliciter experiri. Cogitatio verò repentè menti ipſius incidit, ſcire profectò deſiderans, qualem ſtatum gloriæ ejus anima eſſet exuta corpore receptura, cui tanta inerat munditia in præſenti. Cumque hæc tractaret, ſubitò facta

eſt in exceſſu mentis, atque divino lumine adeò illuſtrata, quòd anima illa beata absque materiali forma ſe ipſam in ſuo ſimplici eſſe revelata facie ſpiritualiter promeruit contemplari, cernens quoque ſe in ſublimi à corpore elevatam, quod infra ſe etiam poſitum proſpiciens, ſuum eſſe corpus nihilominus recognovit. Semetipſam autem claritate incomparabili præfulgidam gaudens inſpexit, tantisque meritorum dignitatibus adeòglorioſam, quòd hæc meditari, ſive fari nullus ſufficeret mortalium, ſicut poſtmodum ſecretiùs referebat. Agnovit quoque in eodem raptu per divinam inſpirationem, eandem ſe gloriæ dignitatem perpetuò adepturam, qua in viſione cœlica fruebatur. Finita verò viſione illa feliciſſima ad ſe ipſam revertitur exultans gaudio ineffabili in cunctis bonis mirabilibusque Domini in ſe factis divinitus & oſtenſis.

Satagebat deinceps corpus ſuum poſſidere in ſanctificationem, contendens cum omni libertate ſpiritûs tan-

tantam animæ ſuæ munditiam, à Deo ſibi miſericorditer indultam, conſervare perpetuò illibatam. Denique prædictæ nimis glorioſæ viſionis gratiam cum præcedenti animæ purgatione ab omni rubigine vitiorum, ſimilique raptu, quemadmodum præmiſimus, iterum ſibi contulit altera vice mira pietas Salvatoris. Verumtamen anima illius in raptu iterato ampliore gloria & decore incomparabiliter radiavit ex multorum meritorum præmiis interim acquiſitis per bonorum operum & virtutum continua incrementa.

Cæterùm in orationibus ſuis tanta divinæ gratiæ affluentia ſæpius perfundebatur & illuminabatur in anima, incaluitque affectio ita, quòd conſcientiæ ſuæ animæque ſecreta præter illas duas priores viſiones ab omni prorſus macula contagionis expurgata, nitida & ſerena, perſenſit & liquidò intellexit, ex quo nimirum peccata ſua clementer ſibi dimiſſa ac deleta à facie piiſſimi Domini Salvatoris nullatenus dubitavit. Præ-

terea orante ea aliquando poſt Matutinas in ſabbato ſancto ante Dominicam Palmarum, repente quaſi in ictu oculi in momento facta eſt vox paternæ pietatis: inſonans ſuaviſſimè in auribus cordis ancillæ ſuæ dixit: *Ecce ego ſum terminus tuus.* Quid autem hoc verbum tantæ dignationis importaret, ille, qui loquebatur in corde ipſius, continuò inſpiravit ei dicens: Ego ipſe omnem vitam, intentionemque cordis tui ſic ad me converti, ſolidavique in me ipſo in perpetuum, conformémque meæ voluntati adeò te feci, quòd mox peractò curſu vitæ tuæ ad me, qui *ſum tuus terminus* æternus, absque retardationis obſtaculo pervenies, mihique immediatè & æternaliter unieris. Profectò nullatenus dubitandum eſt, quin & ipſe benignus Dominus & fidelis in omnibus verbis ſuis, eam juxta promiſſionem ſuam veridicam continuò ad ſe aſſumpſerit, cùm deceſſit, quæ firmiter illi adhæſit, & non receſſit retrò cor ſuum, nec declinavit à ſemitis juſtitiæ & per-

& perfectionis, quàm diu vixit, ſicut liquidò cunctis, ſanctam ejus in Domino converſationem intuentibus, apparebat.

Tempore Prioratûs ſui eadem Soror beata in perturbatione quadam ſpirituali quandoque poſita fuit & timore propter cujusdam Converſi noſtri exceſſum, quem inprimis aliquantulum remiſſiùs reſtrinxerat, negligentiúsque correxerat, quàm cenſura fortè juſtitiæ exigebat. Hinc ergò periculum ſibi graviter pertimeſcens, & fratrem, niſi citiùs reſipiſceret, in anima periturum. Quapropter in Vigilia glorioſæ Nativitatis Domini tota devotione converſa eſt ad deprecandum pro eo Dominum, ut illum de præcipitio illius ruinæ clementer eripere dignaretur, ſibique piè culpam hujus negligentiæ relaxaret. Tunc ſubitò facto ſpiritu Domini ſuper eam venit in mentis exceſſum, & ad contemplandum intellectualibus oculis ſummæ veritatis arcanum mirâ dignationis gratiâ altiſſimè elevata eſt, ubi æterna illa

bona

bona & immenſa cœleſtium gaudiorum, quæ electis ſuis Deus reſervavit in præmium ſempiternum, in corruptibili vita prælibare quodammodo & prægustare, brevi quidem horâ ac parvâ morâ, promeretur. Porro cœleſtium ſecretorum conſcia jam effecta, & poſt iſtam ſupercœleſtem viſionem de incomprehenſibili Divinitate beatis oculis videre meruit in eodem raptu in humanitate ſua diviniſſima eundem Dominum Majeſtatis. Cernebat namque illum ſpecioſum formâ præ filiis hominum Dominum JESUM Chriſtum tanquam infantulum tenerrimum & pulcherrimum, recenter jam natum, coram ſe poſitum vagientem, cujus vultus incomparabiliter erat amabilis & decorus, corporis verò lineamenta & membrorum compoſitio ſupra humanæ naturæ formam venuſtate & pulchritudine radiabant. Huic dulciſſimo Parvulo ardentiſſimo devotionis affectu adhæſit ipſa, quàm diu licebat, nec illius deſideratiſſimi conſpectus dulcedine poterat

rat ſatiari. Hauſit quoque ex illius beatiſſimi Parvuli conſortio & conſpectu immenſam divinæ conſolationis dulcedinem & gratiarum abundantiam magnam valde. Certificata etiam per divinam revelationem in eadem viſione de ſalute æterna ſuperiùs memorati fratris Converſi, pro quo ſolicitè & devotè Domino ſupplicârat, quem in gratia Dei, ſanctæque Religionis propoſito perſeveraturum & ſalvandum in ſpiritu prævidit, certiſſiméque deinceps tenuit, nullatenus de ſalute illius dubitans, etiamſi ipſum poſtea lethale crimen admittere conſpexiſſet, ſicut ipſa, quibus voluit, ſecretiùs referebat. Credidit quoque ex tunc firmiter Dominum JESUM Chriſtum in humanitate ſua ſanctiſſima, quam propter nos gerebat in hoc Mundo, talem in forma & pulchritudine per omnia extitiſſe, qualem eum in illa extaſi beatis oculis tunc conſpexit.

Præterea in Orationibus ſuis fervidis ac devotis aliquando præveniens faciem Domini in confeſſioni-

bus

bus & obſecrationibus pro peccatis ſuis, repente ſpiritu divino mira in ipſius anima operante ſenſit quandam mentis cum Deo ſalutari ſuo dulciſſimam unionem. Et hanc gratiam maximè ponderavit. Porrò hujus feliciſſimæ unionis memoria ex tunc menti illius ſuaviſſimè ſic inhæſit, ut poſt multos annos, cùm eandem gratiam, in quantum poſſibile fuit, familiariſſimis ſuis referret, præ nimio pietatis affectu etiam tunc non poſſet à lachrymis abſtinere.

Cæterùm quædam Conventûs noſtri Soror magnæ Religionis, perfectionisque, nomine Rinlindis*, in primordio converſionis ſuæ ad hanc beatam ſororem frequenter venire conſueverat, petens, ut pro ſua ſuorumque ſalute Dominum exoraret. Quæ dum devotis precibus pro illa ſorore, ut petierat, inſtanter divinam clementiam imploraret, ſubitò benignus Dominus JESUS exaudivit lachrymas ejus, revelans ipſi, ean-

* *De hac vide c. 40.*

candem & omnes liberos ipſius, pariter cum marito ſuo, viro tam generis quàm mentis nobilitate conſpicuo, hæredes regni cœleſtis futuros poſt præſentis miſeriæ incolatum. Denique converſionem Neptis ſuæ, nomine Eligentæ, ad Prædicatorum Ordinem in noſtro Monaſterio devotis precibus à Domino impetravit: Cujus ingreſſum, cùm necdum ad ſanctarum ſororum foret recepta Collegium, longè antè ſimiliter prævidit in ſpiritu atque prædixit, quod ſequens probavit effectus. Intravit enim poſtmodum ſanctum locum hujus Monaſterii, in quo vitam laudabilem duxit, & in brevi feliciter conſummavit. Quam in hora mortis ſuæ, cùm jam ultimum traheret ſpiritum, clauſis oculis repente exhilarata facie in riſum valde intimum prorumpere per horam aliquantulam nos omnes, quæ affuimus, cum gaudio conſpeximus. Sicque anima illa beata gaudens & exultans corporeis vinculis abſoluta eſt, immortalis vitæ gaudia æternaliter perceptura.

Por-

Porrò benignus Dominus JESUS quædam de meritis virtutum felicis Sororis Adelheidis revelare dignatus eſt cuidam valde religioſæ devotæque Sorori Monaſterii hujus dicens: *Humilitas ipſius profunda atque vera exaltat eam ſemper in conſpectu meo: Patientia verò ejus firma ac conſtans multiplicat eam valde in præmiis meritorum: Charitas autem illius erga Deum perfecta fundat eam in gratia Dei & radicat, nec adverſitate aliqua commovebitur in æternum.* Adjecit iterum Dominus præconium laudis hujus dilectricis ſuæ ampliùs eidem, cui ſupradicta revelaverat, manifeſtare. Videbat namque illam beatam viſibiliter oculis corporeis intus & exteriùs totam luminoſam, & reſplenduerunt cordis illius intima tanquam Cryſtallus perlucida, mundiſſima prorſus ab omni macula. Et facta eſt vox de cœlo intonans in aure videntis hæc: *Talis eſt dilecta mea, nec mentis ipſius puritas poterit vitiorum maculis obfuſcari.* Quapropter totius perturbationis commotio-

motioniſque cauſa, quam contra hanc beatam mente conceperat, ab ipſius animo continuò ſubmota eſt.

Denique orantem quodam tempore eandem Dei famulam circumfulſit lux de cœlo ineffabilis, irradians in mentem ejus vehementer infudit illi ſpiritalis conſolationis & gratiæ dulcedinem immenſam.

Licet autem beatiſſima illa Soror, de qua loquor, omnia peccata ſua, tam quoad pœnam quàm quoad culpam benigniſſimâ Domini indulgentiâ jam dudum dimiſſa ſibi ſciret ipſo Domino revelante: tamen quadam vice in fervore devotionis zelo juſtitiæ nimiùm accenſa, contra omnes iniquitates ſuas ſeveriſſimè inſurrexit, & expetivit incredibili cordis conſtantiâ de illis à Domino ultionem, obſecrando, ut ipſe in eam vindicando, quod deliquit, non parceret, imò juxta judicii ſui æquitatem, quod meruit, ſibi redderet in præſenti. Statuerat tunc in ſereno cordis ſemetipſam contra faciem ſuam profunda conſideratione, in-

tuens vias ſuas pravas, quibus Dominum aliquando irritaverat: diſplicuit ſibi in illis vehementer atque in hunc modum ſe ream exclamando & vindictam de peccatis ſuis exigendo diutiſſimè ad modum duorum pugilum, contra ſe concertantium validiſſimè cum Domino luctabatur. Tandem benignus & miſericors Dominus, qui delicta diligentium ſe vehementer non requirit, inſpirando ei oſtendit, quòd de exceſſibus ſuis jam olim à facie ſua deletis, ulteriùs ultionem expetere non deberet.

Cæterùm tandem in optima converſatione vitam ſuam conſummans obdormivit in pace, videbitque perpetuò revelata facie in gloria majeſtatis Deum Deorum in Syon.

CAP.

CAP. XXIV.

De beata Sorore Gertrude, dicta de Herckenheim, dulcis memoriæ.

DIlecta Deo & bonorum memoriâ digna Soror Gertrudis cognomento de Herckenheim, illiterata quidem & laica Soror fuit, prærogativâ tamen ſanctitatis, qua plurimùm excellebat, quaſi gemma pretioſa in Congregatione ſanctarum Sororum ſingulariter radiavit, repleta ſuavitate virtutum valde. Germana quoque fuit felicis Sororis Herburgis, cujus beatæ ſuperiùs* fecimus mentionem, eaque fide & devotione præcipua non inferior. Perſuderat enim eam Deus, cui placita erat vita illius, donis chariſmatum abundanter. Hinc multas conſolationes & frequentes faciebat Dominus in abſcondito, revelans ipſi de ſecretis & cœleſtibus ma-

*Cap. 22.

gna valde. De quibus quædam, perpauca tamen, admodum glorioſa ad ædificationem legentium in hoc opuſculo intendimus literarum tradere monumentis.

Quadam die extra portam Monaſterii, ùt moris ſibi fuit, ad hauriendam aquam egreſſa eſt: qua hauſta ſtatim in clauſtrum regredi feſtinavit. Huic revertenti apparuit Dominus JESUS Chriſtus in ſpecie leproſi, qui miſerabiliter ſaucius videbatur & ulceribus plenus dicens illi: *Vis mihi dare in nomine Domini de aqua hydriæ tuæ bibere?* Quæ reſpondens dixit ei: *In nomine Domini Dei noſtri accipias nunc & bibas.* Qui ſtatim ut bibit, ab oculis ejus ſublatus eſt. Quo viſo vehementer obſtupuit. Verùm Spiritus Dei revelans myſteria, dixit in corde videntis hæc: *Verè Dominus JESUS Chriſtus eſt iſte, cui potum de hydria dediſti.* Quæ continuò dulcedine & devotione ineffabili repleta accepit hydriam animo lætabunda & ad Monaſterium rediens feſtinanter convocavit

cavit Sorores univerſas, quibus & totius viſionis ſeriem per ordinem ennarravit, exhortansque eas dixit: *Eja chariſſimæ Sorores, bibite nunc ex hac aqua omnes, quoniam Dominus JESUS Chriſtus in veritate de aqua iſtius hydriæ bibere dignatus eſt.* Quibus auditis Sorores certatim accurrentes biberunt omnes aquam cum devotione magna & lætitia benedictam.

Adjecit iterum Dominus hanc ſibi dilectam famulam miræ dignationis ſuæ gratiâ magnificè conſolari. Nempe quodam tempore ad portam Monaſterii ex injuncto ſibi officio properavit. Quam aperiens protinus conſpexit parvulum pulcherrimum ſupra modum ſpecioſum & decorum ſolum in januis ſtantem. Quem intuens diligenter, ejusque pulchritudinem admirans plurimùm delectabatur, æſtimans, quòd tantillus puer verba adhuc aliqua depromere non valeret. Alludens tamen ipſi requiſivit dicens: *Amantiſſime parvule, unde es tu? Et*

 quis

quis eſt, aut quomodo vocatur pater tuus, & mater tua? Qui ſtatim perfectis verbis reſpondens illi dixit: *Pater noſter ipſe eſt Pater meus, & Ave MARIA mater mea eſt.* Quibus dictis puer ille beatiſſimus ab oculis ejus continuò ablatus eſt, & ulteriùs non comparuit. Illa verò mox intellexit, parvulum illum diviniſſimum, qui ſibi apparuit, & cujus vocem beatiſſimam audire meruit, eſſe Dominum JESUM Chriſtum omnium Salvatorem. Hinc ergo jucunditate inæſtimabili & exultatione repentè perfuſa, tota in amorem illius, quem viderat, incanduit vehementer, & quaſi tota extra ſe facta ſe ipſam continere ulteriùs non valens cœpit per omne Monaſterium curſitando vociferari illa verba melliflua dulciſſimi pueri, ac indeſinenter dicere: *Pater noſter eſt Pater meus, & Ave MARIA eſt mater mea.* Arctius enim ſibi fuerant impreſſa ac dulciora animæ ipſius ſuper mel & favum: ideo ab illis ſilere non poterat & ceſſare.

Dein-

Deinde magnificavit iterum benignus Dominus facere cum illa miſericordiam viſione mirabili & nimis glorioſa, viſitans eam Oriens ex alto. Itaque tempore quodam in die celeberrimo Dominicæ Reſurrectionis poſt Miſſarum ſolennia, devotione & Cantu præcipuo ritè celebrata, Sorores horâ debitâ ad prandium convenerunt, cum quibus beata illa Soror Gertrudis ſedebat ad menſam in Refectorio lachrymis plena, revolvens in amaritudine animæ ſuæ Paſſionem Chriſti, & ſepulturam ſacratiſſimam pridie celebratam. Cumque triſtis & mœrens ex piæ devotionis compaſſionisque affectu ſine cibo & potu aliquamdiu conſediſſet, ſubitò apparuit ei viſibiliter benignus Dominus JESUS Chriſtus, verè mitis & humilis corde, in ſpecie juvenis quaſi triginta annorum, pulcherrimi nimiumque decori, ſtans in medio refectorii coram illa, & vultu placidiſſimo radiantibusque oculis eam intuens dixit: *Quare in die Reſurrectionis meæ & lætitiæ triſtis*

es atq; ploras? Ego enim à morte verè hodie reſurrexi, & non ſolus reſurrexi, ſed tu hodie quoq; reſurrexiſti mecum æternaliter in gloria victura.

Viſo itaque Domino, qui omnes Angelos adimplet lætitia, gaviſa eſt gaudio magno valde, atque ipſius Domini eloquio ineffabiliter ſuavi, recreata & mirabiliter conſolata, quòd meritò exclamare potuit: *Vidi Dominum faciè ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* Sicque tota in jubilum rapta, & quaſi extra ſe facta neſciebat in arcto temporis, quid agere deberet. Volebat namque in medium proſilire, & apprehendere pedes dulciſſimi Salvatoris, & retinebat eam pudor & reverentia Conventûs Sororum, ne velut inſaniens reputaretur. Liquefiebat autem cor ejus pietate in ſemetipſa etiam præ immenſa dulcedine amoris illius, quem intuebatur. Proinde viſio illa cœleſtis ab oculis illius continuò ſubtracta eſt. Ipſa autem præ immenſitate lætitiæ & ardore pii deſiderii mente deficiens cecidit, inde in Infirmi-

Geneſ. 32.

firmitorium delata, ibique jacuit aliquamdiu languens.

Præterea in feſto Purificationis Virginis glorioſæ, dum Miſſarum ſolemnia in Choro valde devotè & ſolemniter â Sororibus peragerentur, vidit quoque corporeis oculis ſenſibiliter illam Puerperam piiſſimam, Virginem MARIAM â parte altaris conſiſtentem, vultu & habitu incomparabiliter ſplendidam & decoram. Proinde Virgo illa ſublimis inde progrediens per gradus presbyterii deſcendit, portans in ulnis ſuis benedictum fructum ventris ſui, prolem magnifici germinis: gradum ibi pauculùm fixit, miſericordes oculos ſuos ad Sorores convertens, quas benigniſſimè reſpexit. Deinde utrumque Chorum Virgo Benedicta decentiſſimè perambulavit, tenens virgineis manibus ſuis parvulum ſuum dulciſſimum JESUM Chriſtum, quem cuilibet Sorori obtulit mira dignationis gratià & favore. Ipſe vero Puer beatiſſimus, delectabilis & nimiùm gratioſus extenſis brachiis ſingulas

Sorores & univerſas dulci amplexu ſibi tenerrimè adſtrinxit, manu quoque ſua ſanctiſſima illas benedicens. Dumque benigna Mater Dei ad quandam Sororem veniſſet, quaſi faciem avertendo velociter pertranſivit, nec illi filium ſuum regalem exhibuit ad amplexum. Ex qua re manifeſtè dabatur intelligi, illi ſcilicet Sorori devotæ, quæ hæc videre meruit, prædictam Sororem, quam B. Virgo pertranſivit, aliquo præoccupari delicto, quod non deleverat puræ Confeſſionis contritionisque remedio ſalutari, ſicut poſtmodum ſignis apertis deprehendit. Verumtamen apparitio illa cœleſtis tamdiu duravit, donec Virgo beatiſſima cum parvulo ſuo Unigenito, Domino JESU Chriſto, utrumque Chorum piiſſimè, quemadmodum præmiſimus, perluſtravit.

Hæc Soror, de qua loquimur, in orationibus ſuis valde fervidis & devotis, & præcipuè quando Horas Canonicas perſolvebat, vidit ſenſibiliter flammam ignis veluti Solis radios

dios frequentiſſimè de ore ipſius egredientem, usque in cœlum conſcendere.

Præterea quadamdie cœnæ Domini cum cæterisSororibus ſolita devotione acceſſit reverenter ad participationem Dominici Sacramenti ſecundùm diei feſti conſuetudinem. Quo percepto benignus Dominus omnem devotionis gratiam illi ſubtraxit, piâ ſuâ haud dubiè diſpenſatione, ut ipſius deſiderium amplius provocaret ad quærendum gratiam & miſericordiam ferventiùs ab ipſo Deo ſalutari ſuo. Cumque divinæ conſolationis dulcedinem, ùt conſueverat, minimè experiretur, cœpit hoc peccatis ſuis & negligentiis graviter imputare, ſe ipſam plangens lachrymis gemitibusque innumeris. Tandem converſa ad Dominum oravit dicens: *Benigniſſime Domine, redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ne memor ſis iniquitatum mearum, ſed oblivioni perpetuæ illas tradas. Oſtendere mihi quoq; digneris, obſecro Domine Deus, utrum ego indignè hodie*

die ſuſceperim vivificum Sacramentum ſimiliter ſicut Judas quondam diſcipulus tuus, â te reprobatus, cujus non es memor amplius, & ipſe de manu tua repulſus eſt. Cumque hæc verba amariſſimis tota perfuſa lachrymis indeſinenter repeteret, pius Dominus miſericordiâ motus ſuper illam, nec ulteriùs continere valens inexhauſta pietatis ſuæ viſcera, locutus eſt ſenſibiliter in aure dilectricis ſuæ dicens: *Non accepiſti me hodie ſicut Judas, inimicus meus, nec etiam tantùm, ùt cæteri amici mei, ſed ſicut intimi mei & gratiſſimi.* Sanè ad hanc vocem Domini dulciorem ſuper mel & favum inæſtimabili gaudio & lætitiâ repleta tantam divinæ gratiæ affluentiam ſibi infuſam perſenſit, quantam antè nunquam fuerat experta.

Eadem Soror Gertrudis ad iracundiam aliquando concitata, unam de Sororibus plus debitò amaris invectionibus moleſtavit. Statim verò in ſe rediens & agnoſcens culpam ſuam redarguit ſemetipſam valde, pro-

proſternens ſe coram altari in Choro amariſſimè flere cœpit, oransque ita ad Dominum dixit: *Benigniſſime Domine JESU Chriſte, juſtum & dignum eſt, quòd vindices in me iracundiæ meæ vitium, & non parcas: hoc tamen ſolummodo doleo & deplango, quòd ego infelix poſt tot tantaq; beneficia miſerationum tuarum, quæ in me multipliciter explêſti, velut his ingrata, per impatientiam meam irritavi iram tuam, & malum coram te feci.* Cumque his ſimilibusque verbis ſemetipſam graviter accuſando affligeret & humiliaret coram Domino nimis, audivit corporeis auribus Dominum deſuper clara voce dicentem ſibi: *Ceſſent jam oculi tui â fletu: quare mærore conſumeris? Ad primas enim orationis tuæ lachrymas remiſi tibi peccatum tuum.* Quo audito ſurrexit de terra ineffabiliter conſolata, benedicens in lætitia cordis ſui nomen Domini benedictum.

Verùm hæc, quæ de iſta felici Sorore protulimus & ſub teſtificatione veritatis proteſtamur, comperimus

mus â Sororibus fide dignis, quæ ab ore hujus felicis Sororis hæc omnia, & multò plura didicerunt, quæ tamen causâ brevitatis ad præſens ſub ſilentio volumus præterire. Cæterum hæc beata Soror Gertrudis poſt plurima laudabilis vitæ ſuæ inſignia, vocante Domino, obdormivit in pace, meruitque introduci cum prudentibus Virginibus ad agni nuptias æternales.

CAP. XXV.

De Sorore Adelheide de Apiaco bonæ Memoriæ.

VEnerabilis & beata Soror Adelheidis, cognomento de Apiaco *, felicis memoriæ, â puerilibus annis religiosè & ſanctè in noſtro Monaſterio converſata, ſtrenuè fideliterque Domino usque ad ultimum vitæ ſuæ ſenium deſervivit, ſtrictam & arduam vitam gerens. Car-

* *Vulgò* Effrich / *pago Alſatiæ.*

Carnem ſuam afflixit jugiter multis vigiliarum atque abſtinentiarum laboribus, cæterisque bonis operibus ac diſciplinis. Catenam quoque ferream ad carnem ſuper nudo per tredecim annos continuos portavit pro nomine Salvatoris.

Erat ei etiam conſuetudo creberrima vigilandi & orandi, modò usque ad Matutinum, modò verò poſt Matutinas usque ad horam diei primam, in orationibus ſuis, multùm devotis, pervigil ſæpiſſimè pernoctavit. Porro trecenta millia *Pater noſter* devotiſſimè oravit toto affectu, venerando illas horas ſanctiſſimas & momenta, quibus Dominus JESUS in hac mortali vita noſtrî pro amore degere, laboréſque multiplices & ærumnas ſuſtinere dignatus eſt. Hanc orationem difficilem & prægrandem ante obitûs ſui infirmitatem breviter conſummârat.

Petivit quoque à Domino multo tempore ardentique deſiderio, ut ſibi aliquo certo ſigno oſtendere dignaretur horam illam ſacratiſſimam,

qua

qua pro nobis de aula uteri virginalis prodire voluit in hunc Mundum. Cumque quodam tempore in Vigilia Nativitatis Domini poſt Completorium devotione non modicâ foret in precibus fatigata, tandem lectum intravit caput reclinans paululùm ad quieſcendum. Sicque inter ſoporem & vigiliam eâ conſtitutâ, ſubitò advenit quidam, quem Angelum ſuum eſſe pòſt non dubitavit, pulſans ad lectum illius tam fortiter, quòd ad ſonitum illum perfectè evigilavit. Quæ expergefacta mox audivit vocem tanquam in ſublimi dicentem ſibi: *Surge velociter, ecce jam inſtat hora beatiſſima, in qua Dominus univerſitatis pro hominibus naſci voluit, homo factus.* His auditis continuò de ſtratu ſuo feſtinanter ſurrexit, procidens devotè gratias retulit Domino Redemptori, & ſacras illas Vigilias noctis, pariterque diurnum officium tantæ ſolennitatis, in ſuavitate & pinguedine ſpiritûs peregit alacriter & devotè. Notavit quoque diligenter horam illam bene-

benedictam, ſibi divinitùs præmonſtratam, quam deinceps annuatim ſolicité obſervabat præveniendo eam ſacris vigiliis & orationibus indefeſſis.

Fuit etiam beata hæc Soror ferè ſuper omnes homines, quos unquam vidimus, cauta ſolicitaque erga cuſtodiam linguæ ſuæ, ut non delinqueret in ea, præcavens diligentiſſimè, ne Sorores aliquando exacerbaret verbo incompoſito & indecenti, ſed potiùs ipſa læſa ſemper tacuit, offenſaque reſponſum nullum dedit. Silentium quoque ſtrictè & devotè conſervans locis & temporibus interdictis.

Sanè in officiis Monaſterii plurimis & diverſis multùm & utiliter laboravit, plures libros & præcipuè ad divinum in Choro officium pertinentes valde eleganter conſcripſit. Denique cùm in extremis laboraret, requiſita à Sororibus ibidem præſentibus, utrum conſolationem aliquam à Domino accepiſſet, protinus reſpondit dicens: Piiſſima Virgo MARIA nunc ad me intravit, & cum ea

Sanctorum frequentia glorioſa, in pugna mortis dulciter conſolans me, plurimùm confortavit. Quapropter piè confidimus & ſperamus nullatenus dubitando, quin benigna Mater Dei illam ſecum clementer protinus aſſumpſerit ad regna cœleſtia, propter quam ad terram deſcendere dignata eſt.

CAP. XXVI.

De Sorore ſanctæ memoriæ Agnete, Wallaria cognomento.

PIæ recordationis Soror Agnes, dicta Wallaria, in Monaſterio hujus ſanctæ Congregationis usque ad obitum ſuum, religiosè valde ac laudabiliter converſata eſt, ſatagens quotidie ſemetipſam exhibere hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem. Ordinem ſuum, in quantùm potuit, devotè & ſedulò conſervavit, corpori ſuo ſupra modum rigida atque dura.

Hæc

Hæc adhuc in ſæculo maritata magni fervoris & devotionis ad Deum fuit, eleemoſynis cæteriſque devotè inſiſtens operibus pietatis. Quæ cùm rebus & divitiis competenter abundaret, incidit aliquando Deo permittente in manus quorundam Nobilium & potentum, qui eam in bonis ſuis plurimùm moleſtabant, inferentes ei damnum nimis grave. Verùm his ita geſtis tempus non multò poſt inſtabat, quo percipere debuit Altaris vivifica Sacramenta. Itaque interrogata à Confeſſario ſuo, utrum priùs ex corde remitteret his, qui ſe læſerant, dicente eo, quoniam aliter dare ſibi minimè præſumeret ſacroſanctum corpus Chriſti, tunc illa repente cum multa animi libertate reſpondens ait: *Si omnia Mundi hujus regna ditioni meæ ſubjacerent, illis libentiùs renuntiarem, quàm unius momenti ſpatio carere vellem dulciſſimo Deo meo. Idcirco toto nunc ex corde ignoſco & remitto eisdem, quod in me deliquerunt.* Quibus dictis tantam talemque ſibi vim intulit

 remit-

remittendo, quòd ſanguis mox de ipſius ore & naribus exilivit, Conſario ſuo præſente & vidente.

Quoniam hæc devota Dei famula omnia Mundi proſpera & adverſa deſpiciens pro nihilo reputavit, ut Chriſtum ſolum lucrifaceret, ideo gaudium & conſolationem Sancti Spiritus multiplicem accipere meruit in præſenti & gloriam in futuro. Huic quoque jam in Monaſterio exiſtenti donum valde mirificum & glorioſum contulit immenſa pietas Conditoris, quod præterire ſilentio congruum non putamus. Siquidem in nocte feſtivitatis ſacratiſſimæ Nativitatis Domini, infra Matutinarum Miſſàrumque ſolennia tunc pariter celebranda, retrò Chorum ſe collocârat, utpote debilis & infirma, nec valens cantantibus coæquari. Cumque interim orationibus ardentiſſimæ devotionis vacaret, ſubitò beatis oculis viſibiliter videre meruit Dominum Sabaoth, in quem deſiderant Angeli proſpicere, in ſpecie infantis tenerrimi nimiumque decori, qui ſibi

ſibi fuerat divinitùs præſentatus. Quem jucunditate & lætitia ineffabili intuens, & cognoſcens ſuum eſſe & omnium Salvatorem, anima ipſius tota liquefacta eſt præ immenſa dulcedine, & amore illius dulciſſimi Parvuli, eum ſibi totis adſtringere affectibus deſiderans, & tamen Sanctum Sanctorum manibus contingere non præſumpſit. Erat quoque infans ille feliciſſimus aſpectu delectabilis, & ineffabiliter gratioſus, nitens toto corpore candore niveo, ſed rubedine quadam præ nimia teneritudine aliquantulùm circumfuſus veluti infantulus recenter jam natus. Verumtamen viſio hæc admirabilis & jucunda citiùs finita eſt: ſed conceptæ devotionis mira ſuavitas deinceps in corde illius finiri non potuit. Cæterùm eandem viſionem triduo, antequam de corpore migraret, patefecit cuidam devotæ ac fide dignæ Sorori, quæ mihi illam, quemadmodum ſimplicibus verbis expreſſi, per ordinem enarravit. Obiit autem beata hæc Soror feliciter, ſicut &

ſanctè vixerat, aſſumpta ad regna cœleſtia à Domino JESU Chriſto, quem toto dilexit corde & pura mente.

CAP. XXVII.

De Sorore divæ memoriæ Gertrude de Bruck.

FElicis Sororis Gertrudis de Bruck * religioſam & ſanctam in Domino converſationem cum gaudio recordamur, quæ magnæ ſanctitatis ſpecimen in vita ſua Sororibus exhibuit univerſis, virtutibus moribusque optimis adornata. Fuit namque miræ manſuetudinis & pietatis, profundæque humilitatis, ſe ipſam in omnibus deſpiciens & humilians pro nomine Salvatoris. Didicerat revera per Sancti Spiritûs magiſterium eſſe mitis & humilis corde.

Huic

* Bruck *oppidulum Argoia in Helvetia.*

Huic jucundum valde & omni acceptione dignum miraculum, accidit, Domino mirabiliter operante. Stabat namque quodam tempore in Choro ante imaginem Virginis glorioſæ, precibus & lachrymis immenſis eandem Virginem piiſſimam devotiſſimè implorans, ut ipſa ſibi delictorum ſuorum veniam & ſalutem animæ ſuæ clementer dignaretur â Filio ſuo dulciſſimo impetrare. Cumque in fervore hujus orationis valde ſuſpenſa foret, invocando nunc nomen Domini JESU Chriſti, nunc verò matrem miſericordiæ affectuoſiſſimè interpellando, repentè corporeis oculis viſibiliter conſpexit, quòd imago pueri DEUS, in gremio Virginis matris ſedentis, manum ſuam elevando ſibi porrexit, dicens clara voce admodumque ſuavi: *Accipe fidem meam in teſtimonium certitudinis, quòd â me & Matre mea dilecta nunquam ſeparaberis in æternum, eroq́ propitius peccatis tuis, neq́ illorum amplius recordabor.*

Sanè ad hanc promiſſionem Domini gratiſſimam & jucundam repleta lætitia & exultatione ineffabili ſupponens manum ſuam continuò manui imaginis prædictæ eam in fidem gaudens ſuſcepit. Tunc ſubitò remanſit in manu ſua eadem manus pueri, quadam vi divina â corpore ſeparata. In argumentum autem veritatis manus poſtmodum nulla potuit arte dictæ imagini reſtaurari, licèt ſæpius fuerit attentatum. Sicque ſancta illa imago* manu divinitus privata usque hodie in Monaſterio reſervatur.

Eadem Soror alio in tempore, divino in Choro aſſiſtens Officio devotâ nimis mente cœpit revolvere Paſſionem Chriſti ſacratiſſimam, erga quam magno devotionis ardore continuò accenſa piiſſimè movebatur. Cumque veniſſet hora, qua Sacerdos immolat Patri hoſtiam ſalutarem, ſubitò

* *Hanc teſtatur ſe vidiſſe Conr. Zittardus (qui obiit Anno 1606.) in Chron. ſuo Germ. fol. 143.*

ſubitò audire cœpit ſenſibiliter diriſſimos illos fortiſſimosque malleorum ictus, quos Dominus JESUS, Mundi Gloria, pro nobis in cruce clavis crudeliter perforatus ſuſtinuit. Multa quoque alia paſſionum Chriſti genera veneranda fuerunt ſibi miraculosè in illo temporis articulo demonſtrata, tanquam in præſenti Chriſtum cerneret patientem. Hinc ergo immenſis doloribus ex pio compaſſionis affectu nimiùm ſauciata, completo Officio divino mox de Choro properavit egredi, & ſecretum intrare locum, ut ibidem ejulatu, & clamoribus, ſuisque internis doloribus aliquatenus ſatisfacere poſſet. Cùm igitur ad oſtium Chori veniſſet, ſtatim in ipſo egreſſu præ doloribus mente deficiens valde graviter ſupra petram corruit exanimis. Inde in Infirmariam veluti mortua delata diebus plurimis ægrotavit. Hæc omnia ſupradicta poſtea viribus receptis ſibique reddita Prioriſſæ tunc temporis ſecretè per ordinem patefecit.

Vidit etiam aliquando quarundam Sororum devotarum vultus mirabiliter coruſcantes ſplendoribus radioſis, ex quo intellexit easdem Sorores beatas magni fore meriti apud Deum.

Tandem hæc ſancta Soror pretioſam reſoluta in mortem pervenit juxta promiſſionem Domini fidelem ad requiem & pacem, quæ exſuperat omnem ſenſum & in hæreditate Domini morabitur in æternum. Per omnia benedictus Deus. Amen.

CAP. XXVIII.

De Sorore felicis memoriæ Adelheide de Torolzheim.

FUit quædam Soror nomine Adelheidis, nuncupata de Torolzheim * venerabilis vitæ, & parentibus orta nobilibus & honeſtis,

* Torolzheim *vicus Alſatiæ propè Molshemium.*

ſtis, quæ puerilibus annis innocenter excurſis, conſervavit Dei munere virginalem pudicitiam perpetuò illibatam. Hæc cùm eſſet ſeptem vel octo annorum, vidit presbyterum quendam ſuperpelliceo & ſtola indutum, corpus Domini noſtri JESU Chriſti ad infirmum in pyxide deferentem, quem ſequebatur multitudo hominum copioſa, cum quibus ipſa venit, & adſtitit proxima ſacerdoti. Cumque presbyter ad infirmum ſediſſet, aperuiſſetque pyxidem, prædicta puella curioſiùs introſpiciens vidit in ea puerum parvulum nimiùm formoſum ſedentem, amictum ſacerdotalibus ornamentis, cujus capilli capitis criſpi erant, colore aureo reſplendentes. Quem mox ut vidit, ejulatu & clamore valido implevit totam domum, parvulum beatiſſimum illum, quem intuebatur, habere deſiderans vehementer. Tandem pyxidem cum puero violenter auferre de Sacerdotis manibus nitebatur. Quam Sacerdos prohibens repulit â ſe. Sed

ipſa

ipſa nihilominus â clamore & fletibus non ceſſabat, donec vidit, quòd idem presbyter accepit de pyxide ſpecioſum eundem parvulum, & in os depoſuit ægrotantis, ſicque illum amplius videre non potuit. Ejulabat tamen poſtmodum aliquamdiu inconſolabiliter & plorabat. Porro viſionem prædictam ipſa, poſtquam Monaſterium intravit, referre ſolita erat.

Denique quædam noſtri Monaſterii Soror audivit nocte in ſomnis vocem tanquam de excelſo dicentem ſibi de eadem puella ſuperiùs memorata: *Hæc puella, quæ in craſtino ad vos intrabit aſſumens habitum Sororum, eſt procul dubio ab æterno vas præviſum & electum, vas honoris & cæleſtis gratiæ.* Sicque Monaſterium die craſtina ingreſſa â primævo ſuæ juventutis flore Domino devotè usque ad obitum ſuum in Ordine deſervivit. Cui etiam contulerat Dominus vocem cantandi nobilem & ſuavem, & injunctum ſibi fuit incipiendi in Choro officium multis

annis,

annis, quod & valde benè ſcivit & ſolicitè exequebatur.

Accidit præterea, ut videret quadam vice viſionem ſatis admirabilem, quam propter devotionis fervorem illius, qui manifeſtè in ea apparuit, referre congruum æſtimavi. Cùm quodam die feſto poſt primum ſignum ad matutinum de dormitorio in Chorum properaret deſcendere, vidit continuò ipſis gradibus, per quos eam deſcendere oportebat, diabolum in ſpecie porci prægrandis conſiſtere, qui dorſum & latera confricabat fortiter ad aſſeres & perticam propter fulcimentum inibi conſtitutos. Verùm ex altera parte, ſcilicet in immis, Sororem nuper defunctam ſtare ſimiliter conſpexit. Sanè ad hanc viſionem terribilem nimiùm ſtupefacta, quid in tali neceſſitatis articulo ageret, ignorabat. Non enim aliam viam compendioſiorem ad Chorum veniendi habuit. Tandem verò fidei conſtantia & devotionis vicit formidinem & timorem, tranſiénsque per illorum medium

dium venit ad Chorum nimiùm pavens & tremens, perſtititque in defectione plurima, vixque in fine ſolennium illarum Matutinarum viribus aliquantulùm reſumptis potuit reſpirare.

Multis infirmitatum incommodis & diverſis febribus diuturnis, annis plurimis graviter cruciata, flagellum pii Patris, miſericorditer ab ipſo ſibi inflictum, patienter portare ſtuduit & devotè. Quæ cùm in extremis laboraret, vidit, neſcio, quid terribile, ex quo tantum converſa ſubitò in ſtuporem fuit, quòd vultu ſuo mirabiliter immutato, oculi quaſi de propriis ſedibus evulſi, motu volubili horribiliter rotabantur, ſaltum quoque per caput lectuli, in quo jacebat, facere nitebatur, ſed prohibita eſt à Sororibus circumſtantibus, eam retinentibus violenter. Deinde paululùm ad ſe rediens & requiſita à Sororibus, utrum aliquam ſibi feciſſet conſolationem Dominus, protinus exhilarata facie ipſis innuit, dicens, ſe benigniſſimè à Domino conſo-

conſolatam. Sicque morte interveniente vita caruit & languore, migrans ad Dominum JESUM Chriſtum, qui eam ſibi in ſponſam elegerat ſempiternam.

CAP. XXIX.

De duabus aliis Sororibus, videlicet Elizabeth de Junckholtz, pariterque Gertrude de Girsperg**, devotis valde & cum omni reverentia nominandis.*

PRæterea duæ ſanctæ Sorores ac bonorum memoria dignæ in noſtro quondam Monaſterio extiterunt, vita & religione conſpicuæ valde, probitatis exempla & virtutum non mediocriter relinquentes Sororibus univerſis: quarum una dicebatur Elizabeth de Junckholtz, hujus ſanctæ Congregationis Supprio-

* Junckholtz *vicus Alſatiæ cum arce.*
** Girsperg *arx in Turgoja propè Dieſenhofen & Stain.*

prioriſſa: Altera verò Gertrudis de Girſperg vocata, tenens etiam officium aliquanto tempore Prioratûs. Hæc ſanè fuit ſupra modum Deo devota, fervens quoque & ſtrenua in omni obſervantia regulari, & gratia chariſmatum plurimùm eminebat, magnas profectò cœleſtes conſolationes à Domino accipiens in ſecretis, cui placita erat procul dubio vita ipſius. Quæ cùm interdum divinæ illuminationis gratiam minùs ſolitô ſe habere conſpexit, doluit vehementer, intransque ſtatim in Capitulum ſeu locum quemlibet ſecretum, corpus ſuum tam diu hoſtiliter virgis duriſſimis verberavit, donec miſerante Domino tantam divinæ gratiæ affluentiam præcordiis ſuis illabi ſubitò perſenſit, quòd interiora utriusque hominis ſui ab uberibus divinæ conſolationis ſuaviſſimè in tantum delibuta eſſent ac perfuſa, quòd ulteriùs ferre ſeu capere non valebat.

Hujus fratribus carnalibus, rebus & ſæculi dignitate valde præditis, ex offenſione Domini Regis Romanorum

rum de caſtris propriis olim expulſis, univerſaque eorum ſubſtantiâ ablatâ, quam poteſtas etiam publica diu poſtmodum uſurpavit, ſancta hæc Soror, germana ipſorum, mox ad ſolitum orationis ſuæ confugium cucurrit, proſternens ſe devotè ante altare, benedicens Dominum, eò quòd circa fratres ſuos factum fuerat, ſicut ipſi Domino placuit, Hymnum *Te Deum laudamus* ex integro tunc orans, quamvis fratrum ſuorum damnum atque Caſtri exterminium ægerrimè ſuſtineret. Sic, ſic ipſa verè beata Soror orationibus piis & devotis ad Deum, humilium conſolatorem, recurrere conſuevit in proſperis & adverſis. Cui benignus Dominus JESUS ante viginti fermè annos, quàm de corpore diſceſſit, diem & tempus ſui tranſitus revelare dignatus eſt. Quod poſtmodum verax probavit eventus. Nam viginti annorum ſpatio interim evoluto eodem die & tempore, quo obitus ſuus ſibi fuerat revelatus, migravit ad Do-

 minum

minum JESUM Chriſtum omnium Salvatorem.

Venerabilis autem & laude digna Soror Eliſabeth de Junckholtz, cujus ſuperiùs fecimus mentionem, magnæ puritatis & Religionis extitit, rigidam admodum arduamque vitam gerens, licèt in ſæculo delicata nimiùm foret, utpote nobilis valde, & abundans divitiis plurimis & honore. Ordinis quoque inſtituta & Regulæ diſtrictè usque ad obitum ſuum obſervare ſtuduit, ſequens Conventum in omnibus & ubique. Quæ extrema laborans ægritudine retulit ſororibus, ibidem congregatis, verbum bonum, atque memoria dignum dicens: *Ego per viginti annorum ſpatia, quibus Domino in Ordine deſervivi, ita vixi, quaſi quotidie eſſem de ſæculo migratura, dirigens curſum vitæ meæ ad ſuæ voluntatis beneplacitum, nec reprehendit me conſcientia mea in verbo & in facto.* Ipſa quoque prædixit Confeſſario ſuo & Sororibus, ſe poſt triduum fore ad Dominum ituram, quod

& fa-

& factum eſt. Nam tribus diebus hominem exuit, mortemque perdidit, & vitam veraciter apprehendit.

CAP. XXX.

De felici Sorore bonæ memoriæ nomine Giſelhilde.

ERat inter primitivas ſanctas hujus Monaſterii Sorores quædam miræ ſimplicitatis & innocentiæ Soror, Giſelhildis nomine, quæ per humilitatis & obedientiæ iter incedens ſine querela velut agna manſuetiſſima in medio Sororum converſabatur. Carnis quoque ſpurcitias ab utero matris ſuæ usque ad diem mortis magno Dei munere, impolluto calle adeò tranſivit, quòd incentiva paſſionum carnalium in vita ſua minimè fuit experta ſecundùm teſtimonium ſuorum omnium Confeſſariorum. Ipſa namque ante obitum ſuum, quibus voluit, firmiter aſſerendo fatebatur, ſe ab omni tentatio-

tatione carnis per Dei gratiam cunctis diebus vitæ ſuæ ita liberam extitiſſe, quòd nec una quidem vice turpi aliqua cogitatione in anima pulſata fuerit, quam imaginari atque confingere ſe neſcire, etiamſi vellet, conſtanter affirmavit. Verùm ſorores, quibus talia referebat, plurimùm admirantes beatam illam dixerunt ob tantam illius munditiæ puritatem. Ipſa autem tam excellens Dei gratiæ donum continuò ad humilitatis ſibi retorſit meritum dicens: *Nôſſe debetis in veritate, quoniam ex virtute Caſtitatis mea non procedit, quòd ego ignoro de turpibus cogitare, ſed eſt potiùs quædam animi mei ſtoliditas.*

Siquidem in ipſius pectore mundiſſimo ab infantia Sancto Spiritui dedicato, requievit idem Spiritus univerſæ conſolationis, replevit animam illius ſplendoribus, inebriavit eam nectare ſuaviſſimæ contemplationis. Ideoque nihil aliud ſibi ſapuit in loco peregrinationis ſuæ, niſi memorari miſericordiæ Dei ſolius, illique totis affectibus inhærere. Nec

mirum.

mirum. Guſtato enim Spiritu deſipit omnis caro.

Præterea ſedebat in Laborerio quodam tempore ad laborem,& tanta mentis dulcedine, ſpiritûs ſuavitate ac cordis jubilo ſubitò perfundebatur, quòd ſe ipſam continere non potuit, ſed prorumpens apertè in vocem exultationis & lætitiæ dixit: *O quàm benè eſt mihi modò cum Deo ſalutari meo! Videor enim jam in Paradiſo Dei eſſe, conjuncta cœleſti agmini Angelorum.* Sic benignus Dominus, qui non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia, de torrente voluptatis ſuæ ebriam illam valde fecerat ac potârat. Requiſita ergo poſtmodum à Sororibus, utrum cor ſuum interdum in orationibus ſuis à ſe evagando ad cogitationes inutiles laberetur, eis ita reſpondit: *Ego in memoria ſuavitatis divinæ adeò ſemper afficior, illuminor ac delector, quòd illâ nunquam ſatiari potui in vita. Idcirco ad vacandum cogitationibus vanis otioſisq́; tempus minimè mihi reſtat, nec etiam menti meæ, niſi rariſſimè, ap-*

propinquant, quas de facili abigere prævaleo per gratiam Salvatoris.

Habuit quoque inceſſanter ſtudium orandi ſingulis diebus, dicens per multos annos Pſalterium per totum, etiam cum officiorum occupationibus plurimis & diverſis, in quibus ſe amabilem ac benignam exhibuit Sororibus univerſis. Denique appropinquante die mortis ſuæ poſita in agonia & ſudore lethali, cùm jam ultimum traheret ſpiritum, ſororibus ibidem præſentibus & inſpicicientibus continuò, exhilarata facie ridere intimè cœpit dicens: *O quantis dolorum aculeis nunc fatigor, & quàm benè & optimè etiam modò mihi eſt, habens bonam ſpem, magnamq́; fiduciam de Domini pietate, quòd mox hujus gravi carnis ſarcinâ depoſitâ ad ipſum ſine dilatione pervenire debeam!* Sicque beata anima illa corpore reſolvitur, videbitque in ſempiternum bona Domini in terra viventium, quæ ſolicitè quæſivit in præſenti, ardentique animo concupivit.

CAP.

CAP. XXXI.

De felice Sorore Anna de Wineck prædulcis memoriæ.

DIlecta Deo & Venerabilis Soror Anna, dicta de Wineck, cujus memoria in benedictione eſt, nobilis erat genere valde, ſed fide virtutibusque multò præclarior, â cunabulis divinitus inſpirata, ſanctitate & gratiâ plena. Hæc nondum â nutricis diligentia ſegregata, ſæpe deprehenſa eſt lectum dimittere, & in orationibus pernoctare. Subinde ad primam diei horam de lecto ſurgens, aſſociata nunc parentibus, nunc ſola, concita ad Eccleſiam properabat, ubi tamdiu in orationibus perſtitit, multis genuflexionibus proſtrationibusq; corpus ſuum affligens, donec mente ſæpius defecit, corruitque velut exanimis ſuper pavimentum. Hujus mater, quæ illam præ omnibus liberis ſuis arctiùs dilexit, retinere

eam manè in lecto nitebatur, occludens cubiculi oſtium & feneſtras, in quo jacuit, diligenter obturavit, ne lumen diei deforis ſubintraret, & ita tali arte vix retenta, in cubiculo diutiùs pauſaret.

Nempe in ætate puellari operibus pietatis devotè inſiſtens, pauperibus, cæcis atque claudis, quos in platea obvios habuit, cum gaudio occurrens, deduxit illos per manus, quò volebant. In his humanitatis & humilitatis obſequiis præcipuè delectabatur, ludos fugiens puerorum, cæteraque vitia, quibus illa ætas implicari ſolet, ſolicitè declinavit. Quam benignus Dominus, antequam aliquid mundanum ejus illaberetur animo, de vanitatibus ſæculi extraxit, & in viridarium ſuum, ſanctum ſcilicet Monaſterium ſub Tilia, manu ſua piiſſima transplantavit, ubi inter albeſcentia ſuaviterque ibidem fragrantia lilia, tanquam flos roſarum in diebus vernis mirabiliter effulſit, odorem depromens ſuavitatis.

Mona-

Monaſterium mox ut ingreſſa fuit, in primævo ætatis ſuæ flore perfectionis viam arripuit. De virtute in virtutem mira celeritate progrediens, tantâ chariſmatum eminentia emicuit, ut univerſæ Sorores affectu vehementer gratularentur. Sicut enim lucerna ſplendens ſuper candelabrum ſanctum, ita in congregatione ſanctarum Sororum ſingulariter radiavit exemplis eximiæ ſanctitatis. Habebat ſanè mirabilem gratiam tam apud Deum quàm apud Sorores omnes, quam mirabantur valde & intuebantur vultum ejus tanquam vultum Angeli ſtantis inter illas. Repleta namque fuit conſolatione divina, abundans gaudio, ſemper hilaris, fervens ſpiritu, die ac nocte in lege Dei meditans, crebrò in cœlum ſuſpiciens, puras manus in oratione levans, ſolicita nimis conſcientiæ ſuæ obſervatrix.

Ad omnia vitæ hujus ſancta exercitia non ſolùm ambulavit, ſed & cucurrit, ut labores jejunii, vigiliarum Ordiniſque obſervantiæ leves

ipſi atque dulces forent, & univerſa denique vitæ hujus auſteritas ſibi refrigerium videbatur. Totis affectibus dilexit Deum, qui fecit illam, laudans ipſum de omni corde ſuo in proſperis & adverſis. Nempe ſuavitate morum conſpicua fuit valde, nec alicujus Sororis animum verbo aut facto aliquando exaſperavit, ſed omnibus extitit obſequioſa benevola ac benigna, oculisque omnium gratioſa.

In ſublevandis infirmarum debiliumque Sororum neceſſitatibus compatiens & miſericors erat nimis, quibus pia ſolicitudine ſtudioque indefeſſo jugiter intendebat. Nec modò eis ſedulò ſerviebat, ſed ægrotantium immunditias putredinesque ita dignanter & diligenter propriis manibus attrectabat, ut Chriſti fovere vulnera putaretur. Et verè ſic erat, quia quidquid uni ex minimis ſuis exhibitum fuerit, hoc ſibi reputat eſſe factum Matth. 25.

De quibus tres Sorores infirmas, quas ſub cura ſpeciali ſolicitudineque ſuſce-

ſuſceperat, proferamus in exemplum. Quarum una caduco morbo miſerabiliter ab infantia laborabat (cujus vultum, ejusdem morbi violentia horribiliter deformaverat) ſenſu menteque privata. Cui hæc Dei famula devotè ſemper usque ad ejus obitum deſervivit, ſordes & immunditias infirmitatis ipſius manu propria contrectans diligentiſſimè abluebat. Quam etiam in ipſa hora, quando idem morbus eam arripuit, ſpumantem & ejulantem in ſinum ſuum reclinavit, materno affectu eam fovens, donec dolore ceſſante ſui compos efficeretur. Verùm poſt mortem hujus ægrotæ fatebatur ſecretiùs, quibus voluit, dicens: *Nunquam petii aliquid â Domino JESU Chriſto in habitaculo prædictæ infirmæ Sororis, quod non continuò aſſequerer juxta votum.*

Alteri quoque infirmæ Sorori, quæ præ nimia ſenectute mentis rationem ſimiliter amiſerat, piâ curà, quàm diu vixit, & ſolicitudine miniſtravit. In cujus tranſitu audire meruit

ruit corporeis auribus voces Angelorum ſuavi melodiâ in æthere perſonantium, & ipſius defunctæ Sororis animam ad beatitudinis requiem cum gaudio deferentium.

Tertia verò ægrotans Soror, cui etiam, quàm diu vixit, devotè ſervivit, fuit hydropica. Venter ipſius horribiliter intumuerat, jacens paralytica multis annis. Huic cùm hæc ſancta Soror, de qua loquimur, propter Deum ſedulò miniſtraret, accidit ipſo Domino permittente, quòd eadem paralytica (quamvis & ipſa procul dubio ſancta foret) ad tantam deveniret impatientiam præ acerbitate diutinæ infirmitatis; ut nullum ſibi ejusdem ſervitricis ſuæ obſequium complaceret. Nec aliquid poterat ei pacificè loqui, ſed conviтiis eam ſæpiſſimè objurgabat. Cumque talia opprobria ſibi ab ipſa illata diu patientiſſimè ſuſtinuiſſet, timens tandem, quòd illa languida Soror per impatientiam ſuam Deum graviter offenderet, accepit licentiam â Prioriſſa, & dans locum iræ receſſit

ſit ab ea. Moxque ut Sororem illam deſeruit ægrotantem, ſenſit protinus ſibi ſubtrahi & auferri omnem cœleſtis dulcoris & gratiæ abundantiam, qua ante ad omne opus bonum promptiſſima reddebatur, & ad tantam gratiæ inopiam devenit, quòd vix aliquid boni absque gravi tædio facere prævaleret. Quod ubi advertit, ultrà quàm credi poteſt, obſtupuit, anxiè cum maxima cordis amaritudine intra ſe quærens cauſam tanti mali. Cumque nullius peccati conſcia ſibi foret, inſpirante Deo cognovit, hæc ſe idcirco pati, quia infirmam illam Sororem reliquerat. Tunc feſtinanter recurrit ad Prioriſſam rogans, ut eandem ſibi infirmam Sororem iterum committere dignaretur. Quo facto ſtatim ut curam illius agere cœpit, repente ſolitâ gratiarum affluentiâ in animo illuſtrabatur, quam paulò ante amiſſam inconſolabiliter deplangebat.

Hujus igitur Sororis beatæ exemplo ſalubriter admonemur, ne cu-

ram

ram infirmantium , quam propter nomen Domini & obedientiam ſuſcepimus, ob amarius verbum deſeramus, & inde incurramus offenſam Domini, unde magnum poſſumus præmium promereri. Eadem Soror beata, Anna de Wineck deſideravit multo tempore & ardenter in quodam Hoſpitali infirmis propter Dominum perpetuò deſervire. Verùm quoniam corporaliter perficere illud non potuit, ſupplevit tamen piæ devotionis affectu, conſtruens in mente tria Hoſpitalia, in quibus tria genera hominum collegit, ſcilicet peccatores, qui ſunt in Mundo. Deinde illos, qui ex variis eventibus in mortis ſunt periculo conſtituti. Poſtremò defunctos, qui in pœnis purgatorii juſto Dei judicio cruciantur. His ita in ſpiritali mentis ædificio diligenter congregatis, cœpit eis orationum ſuarum ſuffragiis indeſinenter ſuccurrere ac ſubvenire, viſitans illos orationibus ardentiſſimæ devotionis primò, quando de nocte ad orationem ſurrexit.

Præ-

Præterea etiam habuit aliam mirabilem valde devotionis conſuetudinem, gratam Deo procul dubio & acceptam. Intravit namque ſingulis annis, videlicet in die ſancto Paraſceves, chorum, & ibidem flexis genibus oravit ad Dominum in hunc modum: *O Domine Deus, Clementiſſime Pater, ſuſcipe hodie de manu ancillæ tuæ ſacrificium laudis, quòd tibi offert devotio mea, piisq; oculis illud reſpicere digneris. Offero enim tibi miſericordiſſime & Sereniſſime Domine, qui bonorum meorum non indiges, ſiquid dignum ex tua gratia per iſtius anni ſpatium tibi deſervivi in Ordinis obſervantiis, quotidianis orationibus ſacrisq; meditationibus, & omne deniq;, quod ex piiſſima manuductione tua benè operata ſum, rogans ex intimis meis, quòd quibuscunq; volueris, vivis aut defunctis, illud impertiri digneris, etiam me ſolâ inde excluſa, ſi hoc tuæ placuerit bonitati.* Hanc conſuetudinem firmiter in vita ſua tenuit, offerens Domino, ùt dictum eſt, bonorum operum ſuorum laborem

borem in holocauſtum gratuitum annuatim. Cumque totum, quod habuit de divinis operibus, in Gazophylacium Domini obtuliſſet, novo mentis deſiderio mirabiliter inardeſcens, cœpit manum mittere ad fortia, laborando ſtudio indefeſſo pro cœleſtium divitiarum opibus denuo comparandis, & priores labores, quos in divino deſudavit ſervitio, nec momenti alicujus reputavit. Sicque Soror illa beata ſpiritualis pulchritudinis ſtudium gerens profecit per vitæ ſanctæ exercitia in immenſum, theſaurizans ſibi in futuro theſauros ineffabilium præmiorum.

Præterea cilicium, quàm diu ſecretum eſſe potuit, ad carnem portavit, præcingens ſe quoque ſuper nudo fune magno, & etiam catena ferrea, ſub quibus carnibus corporis ſui inciſis undique & corroſis ſanguis ubertim de vulneribus emanavit. Singulis quoque noctibus accipiebat manu propria de quadam catena ferrea & interdum de corigiis nodo-

ſis

ſis unam diſciplinam, quibus innocens corpus ſuum usque ad ſanguinis effuſionem crudeliter laceravit.

Denique in oratione ſua fervida & lachrymoſa ſæpe rugiebat â gemitu cordis ſui, nec ſe continere valuit, quin devotiſſima vox plangentis eminus audiretur. Sanè inter alias plurimas orationes, quas Domino ſincero corde quotidie offerebat, mille, ſæpius duo millia *Ave MARIA* ſingulis diebus devotiſſimè oravit, nulla die usque ad obitum ſuum prætermittens ad honorem virginis glorioſæ, cui piæ venerationis obſequium ſedulò exhibebat.

Fuit quoque miræ puritatis, & immunis prorſus â contagione peccati, quantùm humanæ fas eſt fragilitati, ab utero matris ſuæ usque ad diem mortis retinens innocentiam munditiamque hominis utriusque, nec alicujus lethalis criminis unquam ſenſit contagium, quemadmodum Confeſſarii ſui ipſi teſtimonium perhibebant. Unde cùm quadam die manè generalem Confeſſio-

nem facere decreviſſet, videbatur ſibi in nocte præcedente per ſomnium, quod vomitu laboraret, evomens tamen nihil aliud quàm lac pernitidum atque dulce. Itaque ex prædicto ſomnio liquidò poteſt conſiderari munditiæ illius puritas admiranda.

Huic quoque beatæ Sorori contulit mira pietas Conditoris donum mirificum & glorioſum valde. Stabat namque quodam tempore in oratione & repente ipſe Deus omnis gratiæ effudit ſuper eam tantam cœleſtis gratiæ affluentiam, omnino ſibi antea inexpertam, interiora animæ illius unctione ſuaviſſima perungens, quòd ſe totam ſuavitate ſenſit ineffabili delibutam. Et hæc revera non ad momentum fuit ipſi divinitus collata, ſed duobus continuis annis & dimidio eòdem nectare ſupernæ dulcedinis & gratiæ jugiter recreari meruit ac renovari. His igitur ſupernis viſitationibus jugiter tanto deſiderio inhiabat, totaque abſorpta in ſpiritu fuit, ita quòd omnis cor-

corporalis cura & refectio in faſtidium ſibi graviſſimum vertebatur. Hujus tandem cœleſtis gratiæ inſpirationem ſubitò perdidit ex eo, quòd permodicum vini melliti ſeu muſti, de torculari allati, potum quadam amica familiaritate, per quandam Sororem compulſa, absque neceſſitate ſumere præſumpſit, &, ùt poſtmodum fatebatur, potus illius dulcedine etiam aliquantulùm illecta conſenſum præbuit. Verùm tamen prædictæ gratiæ ſuavitatem continuis precibus lachrymisque profuſis ulteriùs minimè recuperare potuit. Itaque ſummâ vigilantiâ cavendum eſt his, quibus Dominus ſingularis gratiæ affluentiam guſtumque ſupernæ dulcedinis indulſerit in præſenti, ne continentiæ & parſimoniæ modum quomodolibet transgredi præſumant, ac per hoc donis ſibi cœleſtibus miſericorditer indultis in poſterum priventur.

Porrò Soror quædam noſtri Monaſterii rogavit ipſam multâ precum inſtantiâ, ut Dei miſericordiam ob-

nixiùs interpellaret pro matre ipſius, quæ extrema jam unctione fuerat inuncta, quòd ipſe Dominus vitam ei dignaretur adhuc concedere, & ſalutem. Qua orante, vox divina corporeis auribus ejus inſonuit dicens: *Exaudita eſt deprecatio tua, adjiciamq́ dies & annos ad vitam illius matronæ, pro qua poſtulas, videbitque filios filiorum ſuorum.* Quod ſequens poſtea probavit eventus. Nam viginti ferme annis poſtmodum ſupervixit, relinquens poſt ſe filios & nepotes.

Quamvis beata illa Soror in ſilentii obſervatione ſolicita fuerit nimis, nunquam transgrediens & infringens legem ſilentii in vita ſua, tamen cùm gratiam illuminantem, ſe minùs ſolitò habere conſpexit, ſtrictiſſimum ſibi ipſi ſilentium indixit, tanquam os ad loquendum, & aures ad audiendum non haberet, ſicque omnes corporis ſui ſenſus mortificavit, donec ad novam accendebatur gratiam, illuminabatur in anima, gratiarum ſtillicidiis largiſſimis perfundebatur: ſic-

ſicque in ſilentio & ſpe poſuit fortitudinem & fiduciam ſuam. Ideoque â divina clementia citiſſimè obtinere meruit gratiam, quam quæſivit. Peracto demum laudabiliter curſu vitæ in pace in id ipſum obdormivit, ſtolam immortalitatis accipiens à Domino noſtro JESU Chriſto, cui eſt honor & gloria per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

CAP. XXXII.

De Sorore Tuda de Columbaria beatæ memoriæ.

FElicis recordationis Soror Tuda de Columbaria honeſtam & laude dignam vitam egit in ſæculo, honorata filiis, conſanguineis & amicis, poſſeſſionibusque abundans & divitiis copioſis. In ſenectute ſua divinitus inſpirata ſæculum deſerens ad Religionem ſub alas ſanctiſſimi Dominici in noſtro Monaſterio convolavit, in ſinceritate ſpiritûs die ac nocte infatigabiliter deſerviens

Domino Creatori. Cui Dominus multas revera & magnificas de cœleſtibus conſolationes & gratias in vita ſua contulit admirandas, de quibus quædam, admodum pauca, ad devotionem legentium excitandam breviter intimabo, quemadmodum accepi narratione fideliſſima Sororum, quæ hæc ab ipſa, dum vixit, ſecretiùs didicerunt.

Quadam nocte vigilanti & oranti in dormitorio apparuit illi viſibiliter Dominus JESUS cum MARIA Matre ſua, Virgine glorioſa, decore gloriæ ineffabiliter refulgentes. Quos ut vidit, ſubitò per Spiritum adeſſe agnovit Dominum Salvatorem, & ipſius Domini Matrem ſanctiſſimam. Ad tantæ nimirum dignationis præſentiam continuò mirâ ſuavitatis dulcedine perfundebatur, illuſtrabatur in animo, totaque liquefacta eſt igne divini amoris, quem ipſe Dominus in corde illius accenderat vehementer. Tum benigniſſimus Dominus, qui ipſi apparuit, increpatione mitiſſima pulſavit eam dicens: *Tu non*

ita

ita patienter & lætanter portas crucem tuam, ſicut olim fecit Andreas diſcipulus meus dilectus, ſed potiùs remurmurando invita ſuffers illatas tibi moleſtias & adverſa. His dictis viſio illa cœleſtis continuò finita eſt, ſed magnitudo conceptæ devotionis in corde illius deinceps finiri non potuit. Nempe huic correptioni divinæ non ingrata, devotiſſimè ſemper gratias agens Deo, manſuetudinis ac patientiæ ſtudium ex tunc omni vigilantiâ gerebat.

Altera die ſequenti, cùm in contemplatione ardentiſſimæ devotionis valde ſuſpenſa ſtaret, ſonitum deambulantis audire cœpit, neminem tamen vidit. Unde inquirens ait: *Quis es tu?* Et facta eſt vox ad eam dicens: *Ego ſum idem ipſe, qui heſternæ noctis tempore apud te fuit apparens tibi.* Ipſa verò ex piiſſimi Conditoris præſentia continuò repleta eſt omni plenitudine ſpiritualium gratiarum, ex qua infuſam quoque ſibi copiosè perſenſit ſanctarum intelligentiam literarum, cujus ante omnino ignara

erat, nec ab homine aliquando literas didicerat. Mirifico autem hujus gratiæ dono per duorum continua annorum ſpatia potita eſt. Poſt hæc causâ verbi unius, incautè ab ea per arrogantiam prolati, mox eâdem gratiâ ſibi præſtitâ miſericorditer à Domino privata eſt, qui *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Dixit namque quadam vice Sororibus valde dulciter colloquentibus de divina conſolatione & præcipuè de ſpeciali gratia, quam Dominus nuper cuidam Sorori contulerat, ita reſpondens: *Talis gratia etiam hominibus non multùm bonis aſſolet frequentiùs evenire.* Statim ut illud verbum ſolum de ore ſuo emiſit, ſpoliatam ſe ſenſit illo divino munere, quo perſpicaci intellectu usque ad illam horam ac dilucidò intellexit, quicquid in divino officio, ſeu in lectionibus menſæ quotidie legebatur. Sanè lux divinæ gratiæ, qua illam Deus mirabiliter illuſtrârat, ſicut præmiſimus, nunquam tamen defuit cordi ipſius.

Præ-

Præterea alio quodam tempore rapta fuit in exceſſum mentis, ac duce gratia videre meruit gaudia cœleſtia, adeò quidem mira & ineffabilia, quòd nullus ſermo ſufficeret enarrare: quibus in tantum delectabatur, totaque in Deum abſorpta eſt, quòd ſeipſam corpore exutam credidit, ac æternaliter fruituram fore illa felicitate & dulcedine, quam guſtabat. Tunc incidit illi repente cogitatio, quòd extremam unctionem minimè percepiſſet. Et dum hoc mente quaſi in puncto revolveret, continuò corruptibilis vitæ motibus & ſenſibus ſe vallatam ſentiens tantam beatitudinem nondum ad fruendum ſibi collatam, ſed ad excitandum in ſe cœleſte deſiderium prærogatam eſſe agnovit.

Orans quadam die devotiſſimè infra Miſſarum ſolennia pro filio ſuo naturali graviter ægrotante, vidit viſibiliter in ipſa hora, qua ſacerdos immolabat ſacroſanctam hoſtiam Patri, dictum filium ſuum, tanquam in ipſius præſentia eſſet poſitus, ſpi-

ritum exhalare. Tunc commota ſunt materna viſcera illius ſuper eum, & prorupit in clamorem & ejulatum immenſum, eò quòd tenerrimè diligebat eum. Sororibus verò accurrentibus, cauſamque tanti fletus ſciſcitantibus, reſpondit: *Noveritis filium meum jam hâc horâ de corpore migrâſſe.* Quibus contradicentibus illa conſtanter affirmabat, quòd viderit oculis ſuis. Miſerunt autem nuntium in civitatem, ut perquireret rei veritatem. Qui veniens invenit eum eâdem horâ, ùt illa prædixerat, exſpirâſſe.

Fertur quoque orâſſe ad Dominum pro filio ſuo alio, qui in malò ſtatu fuit, vivens diu contra animæ ſuæ ſalutem, ut illum ipſe Dominus de præſenti eriperet vita, ſi ſciret ipſum perſeveraturum obſtinato animo in peccatis. Cujus preces miſericors Dominus illicò exaudire dignatus eſt. Mox enim, ut orationem finierat, febris peremptoria eundem filium ſuum arripuit, & in brevi de medio ſublatus eſt. Fuit enim procul

cul dubio ſancta ejus oratio magnæ efficaciæ & virtutis, per quam de facili à benignitate Domini impetrare valuit, quod petebat.

Cæterùm ſancta illa Soror demum vinculis corruptibilis vitæ abſoluta migravit ad Dominum, omnium Salvatorem, qui eſt benedictus in æternum & ultra.

CAP. XXXIII.

De B. Sorore Gertrude de Rhinfelda bonæ memoriæ.

VEnerabilis ac Deo dilecta Soror Gertrudis de Rhinfelda octennis à parentibus divino officio* mancipata, in Monaſterio ſub Tilia Ordinis B. Dominici, almi Confeſſoris, innocenter & religiosè degens, ſub regulari tramite ab infantia usque ad ſenectutem ſuam ſtrenuè & devotè Domino militavit. Literis quoque valde benè & competenter imbuta, ſcribendique tenens officium, multis annis libros Chori ad divi-

* *fortè:* ſervitio.

divinum officium pertinentes, & alios quàm plures magno ſtudio & eleganter nimis conſcripſit.

In his ergo cæteriſque hujus Monaſterii neceſſariis, & præcipuè in literarum dictamine, in quo plurimùm excellebat, quàm diu vixit, ad communem utilitatem ſolicitè laborare non deſtitit. Cujus manus dextera, quâ etiam ſcribere ſolebat, inſtar claritatis Solis mirabiliter refulgens, demonſtrata divinitus eſt matri ſuæ carnali, Sorori iſtius Monaſterii valde devotæ, cujus ſuperiùs * fecimus mentionem. Quæ novitate miraculi hujus non modicùm ſtupefacta ex claritate cœlitus oſtenſæ ſibi manûs veraciter intellexit ejusdem filiæ ſuæ laborem, quo in ſcribendo ſedulò deſudavit, gratum multùm & acceptabilem Deo fore.

** Cap. XXIII.*

Denique huic Sorori Beatæ Gertrudi, de qua loquimur, magnam conſolationis gratiam contulit quodam tempore immenſa benignitas Conditoris. Adveniente nempe aliquando feſtivitate ſacratiſſima Natalis

talis Domini, ipſa noctem illam ſanctiſſimam in Dei laudibus & orationibus ardentiſſimæ devotionis pervigilem ducebat. Matutinarum quoque ſolenniis aſſiſtebat, pſallens tota animi alacritate atque vigilantiâ ſacras illas vigilias peregit in pinguedine ſpiritûs & fervore. Inchoato verò Reſponſorio Miſſæ, in nocte illa ſecundùm morem celebrandæ, videre cœpit repente lectum pulcherrimum, in medio Chori poſitum, ornamentis optimis decoratum, in quo reſidebat ſingularis illa puerpera, & tanta venuſtate, tantaque claritate vultûs & habitûs radiabat, ut ex fulgore de ipſa procedente, totus Chorus mirabiliter coruſcaret. Fovebat quoque in gremio parvulum ſuum, benedictum fructum ventris ſui, pannis infantilibus involutum, qui ita corpore exiguus apparebat quaſi eâdem horâ nuperrimè eſſet natus. Igitur ad tam glorioſum ſpectaculum illa, quæ hæc beatis oculis ſuis videre meruit, mira ſuavitatis dulcedine & gratia continuò perfun-

perfundebatur, & tota in jubilum cordis rapta eſt. Porrò eadem apparitio tam diu duravit, quousque idem Reſponſorium moroſitate ſolitâ â ſancto conventu usque in finem valde ſolenniter cantabatur.

Eadem Soror ſcire plurimùm deſideravit, veritatem illius Verbi, quod B. Auguſtinus dicit, quòd omnia membra hominis poſt Reſurrectionem fulgebunt ſicut Sol in regno Dei, & ipſius laudes pariter reſonabunt. Cujus deſiderium benignus Dominus exaudivit. Nam cùm Antiphona illa: *Adeſt dies celebris*, in feſto ejusdem Sancti in Choro valde ſolenniter cantaretur, ſubitò in ſtupore & extaſi poſita veritatem illius verbi, quod dictum eſt, qualiterve implebitur in futuro, ſcire & intelligere veraciter meruit & experiri. Quo facto ſtatim ad ſe rediit, & certitudinem hujus Myſterii, quemadmodum acceperat, poſtmodum verbis expreſſis minimè potuit explicare.

Deinde oravit multo tempore valde

valde devotè pro quodam viro Religioſo, qui, ùt ipſa firmiter credidit, fuerat falsò de crimine accuſatus. Ex corde illi compatiens miſeratione ſuper eum plurimum movebatur. Cumque orationes plurimas, nimiumque profectò laborioſas ac difficiles pro illo diutiùs peregiſſet, acceſſit quadam die tempore Paſchæ retrò Altare, atque ibidem pro ipſius ſalute & liberatione de inſtanti infamia preces valde importunas ad Dominum fundere non ceſſavit. Tunc ſubitò audivit deſuper vocem terrificam inſtar quidem tonitrui magni terribiliter intonantem & dicentem: *Vis omnino: quòd exaudiaris?* Ad hanc vocem illa exterrita valde & compuncta comiſit omnem illam cauſam humiliter divinæ voluntati. Quo facto denuo audivit corporeis auribus vocem blande leniterque dicentem ſibi: Amodo certa eſto, quoniam ego orationes tuas & lachrymas exaudivi, & ille, pro quo poſtulas, ſalvabitur. His itaque divinis à Deo perceptis conſolationibus

nibus & reſponſis, ineffabili gaudio replebatur, immenſas deinceps gratias divinæ referens bonitati.

Denique beata illa Soror ad ultimum, curſum vitæ ſuæ fine laudabili conſummavit, hominem exuens mortem perdidit, & vitam invenit. Hæc quoque per annos ferme quindecim, priusquam diſcederet, tempus obitûs ſui prædicere conſuevit, videlicet quòd circa vindemiarum tempus in autumno foret de corpore migratura: ſicque per idem tempus obiit, ùt prædixit.

CAP. XXXIV.

De felici Sorore Sophia de Rhinfelda.

NUnc inſerere huic attentabimus operi Sororem dulcis memoriæ nomine Sophiam de Rhinfelda, quæ ab ipſis infantiæ rudimentis divinis obſequiis dedicata, & in ſanctuario Domini, Monaſterio ſub Tilia locata, virtutum multâ

multâ gloriâ florens jugum Domini ſuave & onus ejus leve usque in finem vitæ ſuæ infatigabiliter portavit.

Miræ puritatis ac innocentiæ gratiâ pollebat, ab omni peccati contagione divino munere â pueritia usque ad obitum ſuum mundiſſima conſervata, nec lethalis criminis aliquando ſenſit contactum, ſecundùm ſuorum Confeſſariorum teſtimonium. Unde peccatum ſuum, quòd pejus graviusque cæteris æſtimavit, cuidam Sorori in hæc verba triſtis referebat dicens: *Concupivi aliquando in ſæculo, ſimplicitate tamen puerili, ornari aureis ornamentis, vocariq; ab omnibus Domina, quemadmodum puellæ nobiles, quando nuptui tradebantur.* Iſtam autem cogitationem ſolebat poſtea ſemper in generali confeſſione nimis dolenter & cum magna verecundia confiteri. Hæc idcirco dixerim, ut munditiæ ipſius innocentia ſingularis comprobetur, & Deus in fidelibus ſuis, quoniam bonus eſt, laudetur perpetuò & ametur.

 Deni-

Denique in obſervantiis Ordinis valde ſolicita extitit & devota, Conventum ſequens in omnibus, in Choro & in Refectorio, quamvis ipſa pulmentum de olere, quod ſolùm diebus illis Sororibus apponebatur, omnino guſtare non valeret, ſed ſiccum tantùm panem frequentiſſime edens, & illo humillimo & tranquillo animo contenta gratias egit Deo. Rarò namque tunc temporis ova, rariusque piſces in Refectorio videbantur. Verùm tamen tantæ neceſſitatis ac penuriæ inopiam cum cæteris ſanctis Sororibus ipſa in primævo tempore propter ſpem, quam in Deum habebat, patientiſſimè ſuſferebat: Quod tamen valde laudabile in illa fuit, eò quòd nimis delicatè in ſæculo fuerat enutrita, nimirum de parentibus nata multùm locupletibus & generoſis, quorum
*Cap. 23. felicem memoriam ſuperiùs * brevi ſermone expreſſimus & ſuccinctо.

Sanè inter cæteras animi ipſius virtutes, humilitatis atque obedientiæ gratiam in ea vidimus admirandam,

lam, ita quòd nec uno ſaltem verbo xcuſationis ad obediendum difficilem unquam ſe exhibuerit, ſed abſque contradictione voluntati in omnibus paruit imperantis.

Denique in ipſius obitu grande miraculum benignus Dominꝰ oſtendere dignatus eſt. Cùm enim in extremis jaceret, mortisque ſigna evidenter apparerent, corpuſculi ipſius reſolutionem imminere nunciantia, legerunt ſolito more devotæ Sorores continuò lytaniam. Tunc ipſa, neſciò, quid ineffabile de ſuperna dulcedine, ad quam ſine fine fruendam in proximo admittenda erat, prægustare meruit. Qua guſtata, tanquam muſto cœleſti inebrieta, protinus erupit in jubilum preconii cœleſtis, ſerenata facie quosdam hymnos & modulos delectabiles cantare cœpit per aliquanta horarum ſpatia de Deo ac Virgine glorioſa. Facta autem hac voce convenit multitudo Sororum videre cum grandi miraculo Sororem illam beatam in ipſo mortis acceſſu ſic tri-

pudiantem & pſallentem, cui tandem potum aquæ refocillandi gratiâ offerebant. Quibus illa reſpondit: *Ego in præſenti vita de cætero non bibam, donec de fonte vitæ bibam æternaliter in futuro.* Ad ultimum verò, reſolutionis ipſius hora jam jamque imminente, indeſinenter modulatis vocibus *Amen* dicere non ceſſavit. Requiſita ergo à Sororibus, cur id ſolùm toties repeteret, reſpondens ait: *Jam loqui non valeo, neq;, quàm diu vixero, pſallere deſinam, idcirco Amen ſic repeto modulando, quatenus per hoc illud, quod mente de cæleſtibus concepi, modo exprimere valeam aliquali.* Sicque lætabunda & pſallens beatam animam exhalavit felici abſorptione in abyſſum æterni luminis ſine fine perpetuò abſorbenda. Quam poſt obitum ſuum infra diem triceſimum quædam devota Soror in lecto ſuo quadam nocte quieſcens, & tamen benè vigilans, ſplendore immenſi luminis circumdatam coram lecto ſuo propiùs aſſiſtere conſpexit, vultum illius in eodem

ſplen-

ſplendore per aliquantulam horam diligentiùs intuens & agnoſcens. Mox verò diſcedente lumine illa defuncta Soror ſimul diſparuit coram oculis hæc videntis.

CAP. XXXV.

De duabus Sororibus felicibus uterinis, ſcilicet Mechtilde & Agnete de Apiaco.

DUæ dilectæ Sorores, in quas Deus omnem plenitudinem contulit ſpiritualium gratiarum, videlicet Mechtildis & Agnes de Apiaco*, ejusdem loci vocabulum ambæ pariter ſortitæ, in primævo ætatis ſuæ flore venerunt ad Monaſterium hujus ſanctæ Congregationis, vitamque ibidem per omnia laudabilem peragentes, quaſi duo cœli luminaria floruerunt. Charitate quoque mutua animis ſuaviſſimè colligatæ, utpote quibus non ſo-

* Apiacum, *vulgò* Efficĥ / *pagus Alſatiæ.*

lùm natura originis, verùm etiam unanimitas Domino famulandi germanitatis affectum multò effecerat dulciorem. Erant enim in divinis exſequendis promptæ & alacres nimis, tantâ piæ ſolicitudinis inſtantiâ nocturnum in Choro officium & diurnum, quod moroſitate magna valde à Sororibus quotidie peragitur, frequentantes, quòd ſtupori & admirationi eſſe quidem poterant omnibus, vix verò imitationi. Finitis denique Matutinis & Completorio, per longiſſimum quotidianumque illius temporis ſpatium, quod conceditur Sororibus usque ad ſignum ſacris ad vacandum meditationibus & orationibus privatis, illæ interim in precibus lachrymisque devotis immobiliter perſeverantes, nullatenus de Choro ante ſignum propter hyemis algorem aſperrimum, ſeu æſtatis ardorem nimium diſceſſerunt. Similiter Dominicis diebus omnibus & feſtivis faciebant, ſine intermiſſione orantes, divinam miſericordiam devotiſſimè implorabant,

bant, nunc diutiſſimè ſtando, nunc genua flectendo, nunc verò in faciem ſe humiliter proſternendo. Exceptâ horâ refectionis, in oratorio jugiter commanebant. Unde & Chorus, cui nunquam deerant, quam diu illis licuit, præcipua ipſarum devotione & præſentia veneranda videbatur optimè adornari. Gerebant procul dubio ſolicitudinem jugiter de cœleſtibus & æternis, præſentium rerum affectum penitus reſecantes, ſolo divini deſiderii calore conſtrictæ, & ideo in Dei laudibus poſitæ die ac nocte non poterant ſatiari. Nimirum agentes vitam Angelicam ſuper terram, veræ Religionis extiterunt in vita ſua ſpeculum & exemplar.

E quibus una, Mechtildis nomine, ab utero matris ſuæ corpore debilis & contracta duobus baculis ſuſtentata incedens, nulli tamen in obſervantiis diſtrictiſſimæ vitæ inferior fuit, obſervans integrè & perfectè in vita ſua omnia Ordinis inſtituta, ſequebatur Conventum in omnibus & ubique. Sanè incredibili vigilia-

rum & orationum labore ſupra modum & continuè afflixit debile corpus ſuum, pernoctando frequenter in orationibus, lachrymisque devotis. Ad Matutinum nihilominus ſtans devotè & alacriter pſallens vociferata eſt usque ad cœlum. Dederat namque ei Dominus vocem magnam nimiumque ſuavem, quam fideliter expendere curavit in ſervitio largitoris. Fuit quoque cantrix incipiens in Choro annis triginta & ultra ex injuncto ſibi officio, cui ſummâ vigilantiâ continuè intendebat, circuiens ſedulò utramque partem Chori, tam in nocturno officio, quàm in diurno, excitando ac ſolicitando Sorores non tam verbis, quàm exemplis, ut altè ſolenniterque canerent pſalmodiam. Cæterarum autem negligentias & defectus cautè prævenire ac ſupplere ipſa cura pervigili ſatagebat, ita quòd omnia in Choro dicenda ſeu cantanda valdè ordinatè & expeditè absque quolibet defectu tunc temporis perficiebantur. Unde Sorores univerſæ, quæ eam in carne viderant, adhuc

huc beatam ipſius memoriam dignis laudibus proſequuntur.

Tanti fervoris & devotionis extitit ad Deum, quòd ſæpiſſimè in orationibus ſuis rugiebat à gemitu cordis ſui, nec continere ſe poſſet, quin devotiſſima vox fletuum ipſius eminus audiretur. Erat enim oratio ejus fervida & lachrymoſa, ita quòd ſolùm binæ pupillæ oculorum ejus raró quieſcerent, ſed tanquam de gemino fonte lachrymæ erumpentes ferè ubique in orationibus ſuis ipſius faciem irrigarent. Idcirco caligaverunt oculi ejus à fletu in tantum, quòd in libris legere vix poterat. Denique certitudinem ſalutis ſuæ perpetuæ ante obitum ſuum accepit per reſponſum cujusdam hujus Monaſterii Sororis valde devotæ & ſanctæ, cui Dominus hoc revelare miſericorditer dignatus eſt.

Cæterùm cùm beata illa Soror Mechtildis in extremis laboraret, cum magna loquebatur confidentia dicens: *Ego luctam hanc mortis pœnamque purgatorii non timeo, vivere tamen,*

men, ſi Deus conceſſerit, deſidero & exopto, ut paſſionem ejus ſacratiſſimam lachrymarum compaſſione defleam ampliori, ſerviamque illi aliquantulùm diutiùs ſtudio propenſiori. O beatam Sororem, & in die obitûs ſui benedictam, quæ mortis acerbitatem, dæmonumque crudelitatem non expavit, ſed confidens de miſericordia Dei ad mortem fiducialiter properavit!

Germana autem ipſius Soror Agnes, bonorum certè memoriâ digna, in officio bis extitit Supprioratûs, in quo quàm modeſtè & religiosè ſe habuerit multis annis laudabiliter, nimisque utiliter laborando, non facilè dixerim. Erat namque manſueta valde & matura in omnibus actibus ſuis, & omni denique morum elegantiâ & virtutum tam in naturalibus, quàm in gratuitis mirabiliter excellebat. Quæ quamvis miræ puritatis & innocentiæ à pueritia extiterit, nec mortalis peccati aliquando maculâ contaminata ſecundùm ſuorum teſtimonium Confeſſariorum,

rum, incidit tamen illi in primordio converſionis ſuæ quædam diffidentiæ impugnatio adeò gravis, quòd penè in deſperationem lapſa, metuens æternis ſuppliciis ex occulto Dei judicio ſe poſt ſuum obitum deputandam. Igitur ſub pondere hujus tentationis tota die contriſtata incedebat. Augebatur namque indies hujus moleſtiſſimi conflictûs anguſtia, nec invenit requiem. Intravit itaque quadam vice Chorum, & coram altari ad orationem ſe contulit, & quaſi præſentem Dominum cerneret, cum multis lachrymis & ſingultibus ex immo cordis ſui erumpentibus, taliter Dominum compellare cœpit dicens: *Benigniſſime Domine, qui contritorum non deſpicis gemitum, & mærentium non ſpernis affectum, qui miſerias & neceſſitates miſerorum non ſuperficietenus, ſed de ipſa radice miſeriæ penſas, pie Domine, miſerere mihi miſeræ, ſuccurre in anguſtia poſitæ, conſolare mærentem, & plue mihi mitigationes in cor, ut ad ſpem veniæ & ſalutis valeam*

leam reſpirare. Si autem (quod abſit à te mitiſſime Domine) in finem iratus reſervare decreviſti mala mea, & oportebit me perditum iri, nunquam tamen avertam cor meum à charitate tua, nec minùs ſeu negligentiùs tibi ſerviam in æternum. Vix verba piæ devotionis compleverat, & ecce continuò ſe mirabiliter conſolatam à Domino perſenſit: jamque multò firmiorem ſpem ac certitudinem de ſalute animæ ſuæ habuit, quàm priùs dubitaverat, ita deinceps firmiter confidens in Deo, quòd ſi unus ſolummodo homo eſſet ſalvandus in Mundo, hunc ſeipſam profectò fore minimè dubitaret.

Cæterùm de duabus iſtis Sororibus beatis, de quibus perpauca, & meritis ipſarum non condigna hucusque locuta ſum, ulteriùs proſequi non intendo, quoniam intentio mea ad alia nunc feſtinat. Verùm tamen hæ ſanctæ Sorores ſimul à pueritia in Monaſterio converſatæ pari voto atque ſtudio usque ad obitum ſuum Domino ſervierunt, inter quas Supprioriſſa

prioriſſa beata prior obiit, deinde paucis evolutis ſeptimanis germana ſua ſanctiſſima vocante Domino in pace pariter obdormivit. Et ſicut in vita ſua valde germanitus dilexerunt ſe, ita & in morte quoque non ſunt diutiùs ſeparatæ.

CAP. XXXVI.

De beata Sorore Hedvvige de Laufenberg felicis memoriæ.

ERat inter primitivas hujus ſanctæ Congregationis Sorores quædam magnæ ſanctitatis ac Religionis Soror, nomine Hedwigis de Laufenberg *, cui Dominus in diebus ſuis fecit mirabilia magna valde, mittens illi conſolationes divinas multiplices & frequentes, atque revelans ipſi ſæpius vigilando ſenſibili viſione ſeu mente excedendo profunda myſteria de cœleſtibus & æternis,

* Laufenberga *oppidum Rauracorum ad Rhenum.*

nis, quorum quædam, tamen pauca, mihi nota ſunt facta fideli quidem narratione venerabilium Sororum, quæ hæc ab ore illius, dum vixit, percipere meruerunt: plura verò ita diuturno ſilentio & oblivione deleta ſunt, quòd illa ſcire minimè promerui. Quæ autem absque dubio & veraciter ſcire potui, breviter & ſimpliciter intimabo, ne res tam excellentes, tamque magnificæ ſimiliter oblivioni tradantur. Credo enim firmiter & confido, illas ad ædificationem & profectum plurimis valituras, meque pro iſto opere divinam aſſequi poſſe miſericordiam, pariterque beatas illas Sorores, quarum dignam memoriam ſcripto tradere elaboro, propitias mihi fore apud communem judicem Dominum JESUM Chriſtum. Cætera igitur felicium actuum hujus beatæ Sororis, de qua modò loquor, prætermittens, explicare tantùm debeo, quæ promiſi.

Quodam ſero poſt cœnam Sororibus minutionis tempore pariter con-

confabulantibus in communi, illa nuper habitu Soror induta etiam affuit. Sed audiens eas cogitare cœpit, quòd conſolationem recreationis illius propter Dominum relinquere, Chorumque intrare deberet, quod & continuò fecit. Cumque ad orationem ibidem ſe contuliſſet, factâ continuò manu Domini ſuper eam, venit in mentis exceſſum, & in quemdam locum plenum cœleſtium gaudiorum pacemque æternitatis protinus introducta eſt, ubi ab ubertate Domûs Dei repente ſuavitate ac dulcedine inæſtimabili tota perfuſa, ſpeculari ad horam promeruit ſummæ gloriam Majeſtatis. Vidit quoque in illo æternitatis ſtatu animas beatorum, inter quos quoſdam ſibi, dum viverent, notos conſpexit, & eos illic etiam recognovit, qui omnes claritatis gloriâ ineffabiliter refulgebant, læta Dei viſione perpetuò perfruentes. Viſione illa ſupercœleſti citiùs finita ad ſe rediens ſibique reddita, exinde formavit ſibi modum converſationis cujuſdam cœleſtis, & illi

illi veritati, illique æternitati, ad quam divinitùs ad horam aſſumpta fuerat, conformare ſe, in quantùm potuit, nitebatur: agens profectò vitam ſanctam deinceps & perfectam, facillimè poſtmodum caruit cunctis conſolationibus alienis.

Quæ multis infirmitatum moleſtiis in vita ſua attrita, usque ad exitum ſuum continuis & diverſis corporis incommodis laboravit, ſufferens tamen cum patientia magna valde manum Benigniſſimi Domini, qui percutit & medetur. Ad quam ægrotantem & in dormitorio ſeu infirmaria decumbentem cùm humani ſolatii auxilium non haberet, ſolebant defunctæ Sorores viſibiliter venire, eam placidè viſitantes, horas quoque Canonicas, cùm neceſſe fuit, ſimul cum illa pariter alta voce dixerunt, alternatim ſibi ad omnia reſpondentes.

Alio tempore, ſcilicet in inſigni die ſolennitatis Dominicæ Nativitatis, ſedens illa in domo Laborerii infra Matutinum in orationibus devotis

tis valde ſuſpenſa, ſubitò corporeis oculis viſibiliter conſpexit cœtum ſanctorum Patriarcharum, ex quorum germine Chriſtus Dominus ſecundùm carnem duxit originem, ſplendido cum lumine advenire, qui quodam novo & inæſtimabili gaudio tripudiantes, veluti eidem feſtivitati pariter congauderent, illam Sororem, quæ hæc vidit, hinc & inde circumdabant reverenter. Cumque læta illa viſione & præclarâ fuiſſet aliquamdiu plurimùm delectata, nonum ſolennium illarum Matutinarum reſponſorium Sorores inchoabant in Choro. Quo audito ſurrexit continuò, relinquens ibidem beatam illam ac jucundam Sanctorum, qui ſibi apparuerant, ſocietatem, ad chorum illico properavit mirabili devotionis dulcedine indeſinenter revolvens altitudinem conſilii divini ſuper ſalutem generis humani. At ubi intravit in Chorum, audivit Dominum clara ac ſenſibili voce dicentem ſibi: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo complacuit mihi.* Et

poſt puſillum iterum benignus Dominus loquitur ſecundò huic famulæ ſuæ dilectæ: *Aperi cor tuum & intellige, in quanto charitatis affectu Unigenitum meum chariſſimum incarnari conſtitui, miſique Mundum redimere.* Facta autem hac voce Domini gratiſſima & dulciori ſuper mel & favum in auribus corporeis hujus beatæ Sororis, repente per ſpiritum ipſius Domini extra ſe in extaſim rapta fuit, & ad contemplandum intellectualibus oculis arcana conſilia ſecretorum Dei, duce gratia in divinum lumen profundiſſimè introducta, in quo revelata facie brevi quidem hora contemplari meruit inæſtimabili modo & omnino incognito inexpertis, in quanta charitate & dilectione Deus Pater Filium ſuum Unigenitum, factum hominem, miſit in terras, ſimilemque illum nobis per omnia fieri diſpoſuit ab æterno. A divino quoque illo Conſiſtorio iterum ad ipſam verè beatam Sororem mirabili dignationis gratiâ facta eſt paterna vox placidiſſimè dicens: *Sci-*

to

to & vide, quàm pronus & facilis ſum ad ignoſcendum homini omnia ſua peccata in iſto & propter iſtum Filium meum chariſſimum. Denique viſio illa cœleſtis nimiùm glorioſa citiùs finita eſt. Et quamvis brevis ac momentanea fuerit, tamen adeò manifeſta & efficax extitit, quòd magnitudo intimæ devotionis, jucunditatis ac lætitiæ in corde videntis hæc ulteriùs deleri non potuit.

Præterea quadam die, dum divina in Choro Myſteria agerentur, eadem ſancta Soror ſubitò mente excedens, extra ſe facta in illa hora, quâ ſacerdos immolabat Deo Patri hoſtiam ſalutarem, vidit per interioris luminis radios profundiſſima myſteria individuæ Trinitatis, quam ſcire, nôſſe & intelligere vita eſt procul dubio ſempiterna. In illam dulcedinem, in illam pacem, quæ exſuperat omnem ſenſum, duce gratia ſublimiùs introducta, prælibare quodam modo ac prægustare meruit illa ineffabilia bona, quæ Deus electis ſuis in Patria reſervat in præmium æternum.

Sicque adeò illuminato & liquido intellectu manifeſtiùs tunc intellexit, & apprehendit luminoſæ Deitatis Trinitatem, quòd omnia dicta ſcriptaque S. Auguſtini, egregii Doctoris, quibus illam in libris olim pulcherrimè dilucidaverat, comparari ad unius temporis punctum minimè potuerint clariſſimæ ipſius intelligentiæ, qua in divinam agnitionem in illa hora incomparabiliter illuſtrabatur per supercœleſtis unctionis gratiam. Sic enim poſtea, quando de extaſi in ſe reverſa fuit, cum omni fiducia, quibus voluit, referebat. Audivit ſanè & vidit in illa viſione diviniſſima, ùt dictum eſt, ſummæ Majeſtatis arcanum, quod non licet, neque fas eſt homini loqui. Ex contemplatione verò ſummi boni tanta ſapientia Dei repletam & perfuſam ſemetipſam perſenſit, quòd de ineffabilis Trinitatis eſſentia toti Mundo tunc prædicare potuiſſet lucidiſſimè & præclarè, quemadmodum poſtea firmiter aſſerebat.

Alio quodam tempore, ſcilicet feriâ

feriâ quintâ, officio Miſſæ de Spiritu Sancto in Choro à Sororibus ſolenniter inchoato, illa Soror beata, de qua loquor, interim rapta in ſpiritu vidit mentalibus oculis Dominum JESUM Chriſtum coram altari ornamentis ſacerdotalibus inſignitum, Miſſarum ibidem ſolennia peragentem, cui ſanctorum Angelorum adſtitit frequentia glorioſa more miniſtrantium, hinc & inde circa eum ſedulò diſcurrentium, qui miniſterium ſuum cum gaudio inæſtimabili perficere videbantur. Miſsâ verò illâ per ordinem ſic peractâ, convertit benigniſſimum vultum ſuum pius Dominus JESUS ad Conventum Sororum, ut univerſæ accedentes participationem Sacramenti perciperent de manu ipſius Domini Salvatoris. Tunc imperialis Virgo mater Domini, vultu & habitu incomparabiliter reſplendens reverentiſſimè proceſſit cum paranympho ſuo ſingulari, ſancto Gabriele Archangelo, ad altare, flectens ibidem ad dexteram partem altaris humiliter genua

ſua ſancta, ad lævam autem S. Gabriel Archangelus ſimiliter flexis genibus conſiſtebat, cui regalis Virgo mappam valde nitidam & plicatam, quam manu virginea tenebat, porrexit. Qui partem illius accepit reverenter. Sicque ambo expanſam eam, quemadmodum moris eſt, tam diu ſacris manibus tenuerunt, quouſque illa Soror, quæ hæc vidit, primò accedens de manu dulciſſimi Domini accepit vivificum Sacramentum. Deinde Sorores univerſæ per ordinem accedentes humiliter ab ipſo Domino JESU Chriſto ſacroſanctam Euchariſtiam devotiſſimè perceperunt. His ita peractis continuò finita eſt illa viſio glorioſa: in corde autem videntis hæc remanſit conſolationis divinæ immenſa jucunditas, ita quòd in cordis jubilo ſtetit diebus plurimis.

Quadam die Completorio more ſolito celebrato prædicta Soror in contemplatione ardentiſſimæ devotionis interim valde ſuſpenſa loquebatur cum Domino ex pia confiden-

cia

tia dicens: *Pie & exorabilis Domine, qui preces invocantium te clementer exaudire dignaris, exaudi me in tua prægrandi miſericordia, ut peccatorum meorum offenſas, quibus bonitatem tuam offendi, ſatisfactione bonorum meorum operum & virtutum, ſi alicujus meriti ſunt apud te, non deleas & abſtergas, ſed ea mihi reſervari volo ac deſidero in futuro ad augmentum potiùs præmiorum. Attamen piiſſime Domine, nolo poſt obitum meum à gloria vultus tui ad momentum temporis retardari.* Sicque in hunc modum pia præſumptione cum Domino diutiſſimè luctabatur, & poſt longam hujusmodi concertationem audivit corporeis auribus Dominum deſuper clara ac manſuetiſſima voce dicentem ſibi: *Craſtina die offeram me ipſum ſacrificium pro peccatis tuis, quando Miſſa celebrabitur, & tunc delebitur iniquitas tua in æternum.* Ad hanc promiſſionem Domini gratiſſimam, ſuavitate ac dulcedine divini amoris intus in anima adeò delibutam ſe ſenſit, quòd tota in gau-

dium vertebatur. Ergo promiſſæ diei exordium expectavit deinceps cum deſiderio inquieto, & valde mane intravit in Chorum præveniens faciem Domini in orationibus fervidis & devotis. Eadem autem die, dum Miſſarum ſolennia apud Sorores feſtivè more ſolito agerentur, atque hora divini ſacrificii inſtaret, tunc benignus Dominus JESUS, Verbum Patris altiſſimi, dignatus eſt huic famulæ ſuæ miſericorditer adimplere, quòd promiſit, & obtulit pro ipſa ſemetipſum Deo Patri in illa hora benedicta ſacrificium acceptiſſimum in remiſſionem omnium peccatorum ſuorum, & abſolutionem perpetuam à pœnis purgatorii poſt hanc vitam. De hac divina indulgentia, quam in prædicta hora divinitus percipere meruit, certificata eſt per Spiritum ipſius Domini, qui hoc tam prægmagnificum donum prærogare illi ante obitus ſui diem multo tempore dignatus eſt.

Habuit quoque beata illa Soror fratrem carnalem, nomine Henricum,

cum, cognomento de Laufenberg, quem unicè diligebat, qui valde benè literatus fuit, & præcipuè medicinæ artis peritus & probatus habebatur, ſæcularibus tamen actibus plurimùm implicatus. Pro cujus converſione ad Ordinem ſanctiſſimi Dominici, ad quam deſiderio incredibili adſpirabat, multâ precum inſtantiâ ſedulò divinam non ceſſabat clementiam invocare. Quapropter B. Petro Martyri de Ordine Prædicatorum, qui noviter per idem * tempus fuerat canonizatus, ad quem devotionem habuit magnam valde, ſpecialem quandam orationem per annum devovit diebus ſingulis ſe facturam, ut ipſe ſuis ſanctis meritis impetrare dignaretur â Domino, quod idem frater ſuus de ſæculo converſus citò bonus frater fieret Ordinis, atque in eo usque in finem vitæ ſuæ devotus perſiſteret piis ipſius interceſſio-

* *S. Petrum Mediolanenſem in numerum Sanctorum retulit Innocentius quartus anno ſui Pontificatûs 10. hoc eſt anno Domini 1263.*

nibus adjutus jugiter & protectus. Cumque orationem illam interim devotiſſimè quotidie faceret, completo jam anno, eadem die ſerò poſt completorium coram lecto ſuo in dormitorio in faciem proſtrata iterum Sanctum Dei cordis gemitibus ac oris precibus, lachrymarumque nimiùm abundantiâ inceſſanter invocavit. Tunc ſubitò adſtitit ei B. Petrus, qui leniter manu benedicta tangendo per ſcapulas, pulſavit eam dicens: Quare ita dolenter ploras? En ecce adduxi tibi fratrem tuum, pro quo me ſedulò rogâſti, & ipſe me interveniente craſtinâ die mane Ordinem intrabit Prædicatorum aſſumendo habitum in Turego. At illa surſùm aſpiciens vidit corporeis oculis viſibiliter S. Petrum quaſi habitu Prædicatorum indutum, roſeo vultu, facie rutilantem, quem & per ſpiritum protinus agnovit, pariterque germanum ſuum juxta ſe ſtantes, in quorum aſpectu vehementer gaviſa putavit ſe debere de ipſorum præſentia delectari amplius

&

& gaudere. Sed ipſi mox declinaverunt, & eos ulterius non vidit. Ipſa autem diem illum diligenter annotavit, plurimùm admirans de tam ſubita fratris ſui converſione, quam antè penitùs ignorabat. Paucis verò poſt evolutis diebus ſupervenerunt fratres de Turego, referentes per ordinem, quòd germanus ſuus Ordinem aſſumpſiſſet, factus ibidem Frater illo die, quo B. Petrus apparuit ſibi & hæc prædixit.

Porro germana ſupradictæ Sororis ſimiliter extitit in Monaſterio hujus ſanctæ Congregationis, nomine Mechtildis ab infantia ſanctæ & innocentis vitæ atque in omnibus moribus ſuis perfecta. Quæ in brevi complevit tempora multa de præſenti vita in ætate florida aſſumpta, quoniam Deo placita fuit anima illius. Quam poſt obitum ſuum vidit illa Soror ſancta frequenter, vigilans in orationibus ſuis ſtantem coram lecto ſuo, ſeu ſedentem in feneſtra ejusdem lecti ſui. Et cùm præ gaudio eam ſibi vellet adſtringere & tenere,

tenere, tunc manus ejus, quibus illam tangere nitebatur, per vacuum äerem defluxerunt, & eam contingere non valebat. Cui defuncta Soror germana ſua ſubridens dixit: *Putas, quòd palpare me valeas, quæ caro non ſum ſed ſpiritus?* Apparuit tamen illi ſemper in eadem forma corporisque habitudine, quæ fuit, dum vixit, de ſtatu quoque ſuo, ac de aliis multis eidem Sorori ſuæ requirenti retulit plura vultu placido & ſereno.

Comes illuſtris de Habsburg, Godefridus * nomine, ſedebat aliquando ad feneſtras Sororum, & prædicta Soror ibidem etiam affuit, cujus orationibus idem Comes attentiùs & humiliter ſe commiſit. Quem divina pietas devotioni ipſius ita impreſſit, quòd memoriæ illius poſtmodum multo tempore in orationibus ſuis non potuit obliviſci. Itaque cùm quadam die pro ſalute animæ

* *Eſt hic* Godefridus *primus qui vixit anno 1271. vide Franc. Guillimanni Habsburgica. lib. 7. cap. 2.*

animæ ipſius Comitis Domino cum lachrymis devotiſſimè ſupplicaret, apparuit illi viſibiliter Dominus JESUS Chriſtus in humanitate ſua ſanctiſſima, ſtans illam, expandensque manus ſuas, quaſi oſtendens ei. Porrò in ejus beatiſſimis palmis & pedibus loca clavorum ac lateris transfixio evidentiſſimè apparebant, in quibus pariter eundem conſpexit Comitem reſidere. Viſo itaque Domino Soror gaviſa eſt gaudio magno valde, ſed obſtupeſcens præ fulgore & reverentia Majeſtatis illius clauſit oculos. Non enim audebat reſpicere contra Dominum. Quæ etiam tunc clauſis oculis ſicut apertis vidit eum, & in ſingulis quibusque vulneribus his ſanctiſſimis Comitem ſupradictum. Hæc tam dulci tamque mirabili revelatione per aliquantulam horam lætificari meruit ab ipſo omnium Salvatore: Certa quoque deinceps de æterna ſalute jam dicti Comitis, quem in hujus tutiſſimi portûs gremio tam dignanter viderat collocatum.

Eadem

Eadem Soror quadam vice ſola in Choro orans ſubitò beatis oculis videre meruit quaſi tres viros reverendiſſimos, vultibus roſeis renitentes, quos Angelos Domini eſſe per ipſius ſpiritum mox cognovit. Quorum unus, qui præcedebat, formâ venuſtior, ſtaturâ procerior, & tanquam Sacerdos inſigniter adornatus apparebat: Alter verò, qui Sacerdotem proximus ſequebatur, veluti Diaconus Dalmatica præfulgida decoratus: tertius autem, quaſi Sub-Diaconus, amictus pretioſa tunica videbatur. Qui per gradus presbyterii altaris moderatis greſſibus pariter aſcendentes, accepta ibi pyxide cum Sacroſancta Euchariſtia reverenter, continuò per eoſdem gradus ſanctuarii deſcenderunt. Porrò Diaconus & Subdiaconus ardentes cereos in manibus præferentes antecedebant Sacerdotem, ſicque recto itinere ad infirmitorium tendebant. Sacerdos ille cum miniſtris ingreſſus eſt ad infirmam quandam Sororem magnæ ſanctitatis, illic graviter ægrotantem,

tantem, quam cum magna reverentia communicavit. Et his ritè peractis Angeli Dei, qui apparebant, mox evanuerunt ab oculis hæc videntis. Quæ poſtmodum à prædicta infirma Sorore ſecretiùs requiſivit, utrum vidiſſet aliquid, aut ſpecialem divinæ conſolationis gratiam percepiſſet â Domino in prædicta hora, qua eam communicari viderat. Illa verò conſiderans, demonſtratum de ſe fuiſſe â Domino ipſi Sorori, noluit eam celare, & dixit: *Exterioribus quidem ſignis per revelationem nihil vidi, percepi tamen intus in anima miræ ſuavitatis dulcedinem, & gratiæ affluentiam, qua me totam ita delibutam perſenſi divina largitate, quòd ulteriùs capere non valebam.* Tunc illa expoſuit ei per ordinem, quæ viderat, quomodo ipſam communicari conſpexerat per ſanctorum miniſterium Angelorum.

Soror illa Sancta, de qua Sermonem primitus incepi, portam Monaſterii frequentare ex officio obedientiæ tenebatur. Quæ quadam die

die ad dictum officium de Choro, divino nondum completo officio, egredi compulſa doluit multùm; quòd ſolitæ devotionis ſuæ contemplationem interrumpere cogebatur, qua quotidie infra miſſæ celebrationem valde dulciter cum Domino fruebatur, complens tamen officium ſuum propter obedientiæ bonum. Et dum iret, apparuit interim ſibi viſibiliter beatiſſimus S. Joannes Baptiſta, qui agnum nive candidiorem in manu dextera præferebat. Reductis ad illam oculis benigniſſimè intendebat in eam. In cujus aſpectu & præſentia glorioſa tantum devotionis & gratiæ ipſa Soror mente concepit, quòd nulla jam triſtitia afficiebatur, ſed potiùs gaudebat, quoniam amplius per ineffabilem Chriſti gratiam adeptam ſe, quam per devotionis ſuæ interpolationem jam amiſerat, intellexit.

Eadem Soror beata ob devotionem & reverentiam paſſionis Chriſti ſacratiſſimæ, ad quam toto fervebat ſpiritu, dira pectori ſuo in modum crucis

crucis magna vulnera impreſſit ligno præacuto, quod ipſa ad hoc aptaverat diligenter. Eisdem quoque vulneribus frequenter recentia vulnera prædicto inflixit inſtrumento, ne ſaucium pectus aliquando reciperet ſanitatem. Quod ſancta illa Soror facere ſolita erat in vita ſua tempore valde longo, ut memoriam paſſionis & Crucis Domini noſtri JESU Chriſti mente & corpore jugiter retentaret.

Cæterùm cùm in ægritudine ultima diutiùs laboraret, apparuit ipſi vigilanti viſibiliter benignus Dominus JESUS Chriſtus cum multitudine Angelorum glorioſa, antequam de corpore migraret, dulciſſimè conſolans eam. Quam etiam diviniſſimis manibus ſuis in eadem hora pretioſi corporis & ſanguinis ſui alimento ſatiare dignatus eſt. Cui extremæ quoque unctionis Sacramentum pariter ipſe Dominus Rex omnium ſæculorum per ſe piiſſimè miniſtravit. Poſt hæc mandavit illi manſuetiſſimè dicens: Quamvis hæc tibi

à me collata ſuſceperis Eccleſiaſtica Sacramenta, tamen illa ſuſcipere à presbyteris ſecundùm ritum Eccleſiaſticum ne refutes. Inſuper promiſit ſe affuturum illi in hora tranſitus ſui, ut ſecum eam transferat ad ſempiterna gaudia. Et his dictis continuò benedixit illi, atque receſſit ab ea dulciſſimus conſolator.

Die autem altera cuidam Sorori devotæ, ſibi admodum familiari, quæ dudum in officio extiterat Prioratûs, hanc revelationem per ordinem patefecit, & qualiter ſacram communionem atque ſacram unctionem à Domino ſuſceperit Salvatore, & quòd ipſe Dominus JESUS Chriſtus ſibi dederit in mandatis, ut eadem Sacramenta denuo recipiat à ſacerdote. Tandem illa bona Soror & ſancta in Domino obdormivit, promiſſa ſibi gaudia veri Sabbathi poſt hujus vitæ ſuæ veſperam cum electis Dei perenniter ſortita.

CAP.

CAP. XXXVII.

De venerabili ac bonorum memoriâ digna Sorore Eliſabetha de Senheim.

ERat in hujus Monaſterii felici congregatione Soror ſancta, ac totius gratiæ & virtutum bono repleta, Elizabeth nomine, de Senheim*, cujus memoria in corde ſororum omnium, quæ illam in carne viderunt, ſicut mel in ore adhuc mirabiliter dulceſcit. In ſanctitate enim & virtutum redolentia adeò præcellere videbatur, quòd divinam ſuper ipſam effloruiſſe ſanctificationem fiducialiter profitemur. Cujus nimirum converſatio & vita, quàm plena virtutibus & bonitate extiterit, ipſis rebus evidentiſſimè monſtrabatur. Præcipuè tamen fulſit in ea obedientia eximia & humilitas immenſa. In humilitatis namque & abjectionis operi-

T 2

* Senheim *oppidum ſuperioris Alſatiæ propè Thann.*

operibus cunctis diebus vitæ ſuæ delectabatur ſicut in omnibus divitiis. Deſpectiones & injurias perpeti non refugit, ſemper vultu placido & tranquillo animo perſiſtebat. Nunquam irata viſa eſt, nunquam litigavit cum aliqua, nulli unquam detraxit, ſeu injurias alicui verbo aut opere irrogavit. Inerat verò ei econtra larga benignitas ac ſuavis pietas erga omnes, & in cunctis neceſſitatibus tam mentis quàm corporis omnibus ſubvenire pro viribus ſatagebat. Verùm ipſe benignus Dominus, qui dicit: *Ego, quos amo, arguo & caſtigo*, permiſit illam in ægritudinem quadam vice incurrere valde gravem, de qua tanquam in frixorio miſerabiliter afflicta, & diuturno languore contabeſcens periculosè plurimùm laboravit. At ubi infirmitas illa cœpit aliquantulùm remitti per miſericordiam Domini Salvatoris, ſtatim ad conſueta orationum ſuarum ſuffragia devotiſſimè recurrebat. Cumque quadam die valde eſſet intenta orationi, ſubitò datum

eſt

eſt ei divinitùs audire corporeis auribus voces pſallentium, harmoniam cœleſtem dulciſſimè ac præclarè nimis in æthere perſonantes: quarum videlicet vocum ſuavitas ac jucunda amœnitas tanta tamque ineffabilis erat, quòd omnimodum genus organorum & omnia denique carmina hujus Mundi illis minimè potuiſſent comparari. In hac ergo cœlica ac præclara melodia plurimùm delectata, mira devotione ac dulcedine afficiebatur.

Altera quoque die adhuc valde debilis & infirma orationi devotione ſolita intendebat, & ecce repente corporeis auribus audire meruit Dominum JESUM Chriſtum clara voce deſuper dicentem ſibi: Scias, quòd commendavi te Lucæ Evangeliſtæ medico, Capellano matris meæ, ut ipſe ex nunc curet omnes infirmitates tuas. Ex illa ergo hora omnis dolor ejus fugatus eſt, & ſanitatem integram extemplò recuperavit. Porrò inſpirata quoque divinitùs in eadem hora, & novo ferè miraculo

illuminatus eſt intellectus ejus, cœpitque ſenſu profundo ac lucido intelligere ſacram Scripturam illius libri, quem in manibus tenebat, in quo horas de die dicere conſuevit; quæ ante intelligentiam ſanctarum non habuerat Scripturarum. Denique S. Lucam Evangeliſtam, cui ab ipſo Domino ſpecialiter commendata fuerat, ex tunc in veneratione ac devotione maxima habebat, quem etiam in ſui auxilium deinceps fiducialiter invocabat.

Cùm tempus tranſitus ejus adveniſſet, acceſſit ad lectum ipſius quædam Soror hujus Monaſterii, quæ per annum & amplius gravi & intolerabili capitis ac dentium dolore continuò vexabatur. Et cœpit devota mente cum fide divinam miſericordiam exorare, ut per merita hujus ſanctæ Sororis ſanitatis ſibi conferre remedium dignaretur. Statimque ut felicem animam exhalavit, accepit cervical, ſuper quod illa obierat, adhuc calidum ac totum madefactum ex ſudore lethali, quem in extre-

extremis deſudârat, atque impoſuit capiti ſuo, adſtringendo illud ſibi fortiter circumquaque. Quo facto ſentire cœpit protinus ſublevamen. Denique tulit digitos utriusque manus defunctæ Sororis, & immiſit illos ſucceſſivè in os ſuum, ſuper dolorem dentium ponens eos. Qui continuò conſolidati atque confirmati ſunt, qui antè fuerunt attriti & quaſi de propriis ſedibus evulſi. Et ita à dolore tam capitis, quàm dentium plenè liberata per merita hujus beatæ Sororis percepit ſanitatis beneficium utriusque.

CAP. XXXVIII.

De felici Sorore Eligenta de Sulzmat.

IN Congregatione ſancta hujus Monaſterii fuit quædam religioſa Soror & ſancta, nomine Eligenta de Sulzmat*, quæ in ætate puellari à

* Sulzmat *eſt Alſatiæ pagus.*

parentibus ſuis in matrimonium viro tradita eſt, ſtrenuo Militi & honeſto. Poſt cujus obitum tres filias Virgines, quas genuerat, divino obſequio in eodem Monaſterio mancipavit, quæ ſanctitatem maternam ſolicitè æmulantes ſoli Domino vivere contendebant, quarum converſatio Deo procul dubio fuit accepta, & grata Sororibus univerſis. Quas illa pia mater citiùs ſecuta cum omni ſubſtantia ſua ſemetipſam hoſtiam ſanctam obtulit Domino Creatori. Per ſemitas juſtitiæ indeclinabili mentis propoſito incedebat, omnia ſancti Ordinis atque Monaſterii inſtituta conſervans omni tempore integrè & perfectè, totius gratiæ muneribus repleta. Erat quippe ſummæ humilitatis & obedientiæ, & pia ſemper geſtans viſcera. Didicerat enim per divinæ gratiæ magiſterium eſſe mitis & humilis corde. Pacem quoque cum omnibus habere ſtuduit. Ita namque benigna & manſueta omnibus apparebat, ut nunquam aliqua noſtrûm viderit eam iratam ſeu turbatam, ſed

inter

inter proſpera & adverſa ſemper tranquillo animo perſeverans in medio Sororum velut agna manſuetiſſima verſabatur. Porro in orationibus aſſiduis, vigiliis & abſtinentiis debile corpus ſuum incredibiliter affligebat.

Omni denique die de oblatis ſibi in menſa nunc ab uno, nunc ab alio præcipuè ſibi delectabili & ſapido abſtinebat, licèt menſa Conventualis illis diebus fuerit valde parca. Nempe quicquid ſibi ita ſubtraxit, noluit dilectis filiabus ſuis, proximè ſibi aſſidentibus impertiri, ſed potiùs ad alias transmittebat. Igitur ſuper hoc Sororibus admirantibus, cauſamque requirentibus reſpondit: *Si, quod mihi adimo pro nomine Salvatoris, dedero filiabus meis, de quarum multò plus, quam de mea refectione gaudeo & exulto, quid mercedis ultrà ab ipſo accipiam?* Hoc audito Sorores ædificatæ ſunt plurimùm in illo verbo.

Denique ipſa & alia antiqua Soror, illi ſpecialiter familiaris, condixerat ſibi, ut pariter venientes ſin-

gulis diebus certâ horâ poſt Matutinum in Capitulum ibi acciperent diſciplinam. Quod multis annorum ſpatiis pio ſtudio egerunt, ſemetipſas quotidie cum flagello graviter verberantes. Diabolus verò terrere & impedire ſuis aſtutiis conatus eſt. Finitis enim quadam vice Matutinis in Choro, venit dæmon in ſpecie hujus beatæ Sororis, innuens manu illi antiquæ Sorori, ut veniret, ſubmiſſa voce vocando eam, *Commater*, *Commater*. Sic etenim ſe dictæ Sorores appellare conſueverant. Illa autem vocantem ſe continuò ſecuta eſt, veneruntque pariter ad Capituli oſtium. Mox illa ſimulata Soror velut fumus evanuit & nuſquam comparuit. Antiqua illa Soror plurimùm mirabatur; ſuſpicans tamen, quòd illa, cum qua venerat, ad alium locum divertiſſet, & ipſa ſimiliter ſine effectu operis rediit ad locum, in quo ſe ad orationem primitus collocârat. Verùm diabolus quod cœperat, ſecundò & tertiò iteravit, ſemperque coram oſtio Capituli disparuit,

paruit, & ingredi non præſumpſit, & illa ad loca orationis toties reverſa diſciplinam non recepit. Ad ultimum autem venit ad illam hæc beata Soror, de qua loquor, annuens manu, ut veniret. Ipſa iterum concitò ſurgens ſecuta eſt eam. Et intrantes pariter Capitulum acceperunt more ſolito diſciplinam. Mane verò facto requiſivit eadem antiqua Soror ab illa, cur ſibi poſt Matutinum toties illuſiſſet. Ipſa autem econtra firmiter aſſeruit, ſe nunquam veniſſe, niſi tantùm illâ horâ, qua intrantes in Capitulum acceperunt pariter diſciplinam. Tunc manifeſtè cognoverunt inimici fuiſſe deceptiones & fallacias, qui toties ipſi apparuerat impedimentum eidem in ſuis orationibus inferendo.

Huic B. Sorori erat cum Deo familiaritas ac fiducia magna valde, ſuæ ſalvationis indubitatam ſpem conſtanter absque alicujus hæſitationis formidine tenens, de benignitate pii Conditoris firmiter præſumendo, ſe ab ipſo prædeſtinatam fore miſeri-

cordi-

corditer ad ſalutem. Cujus menti deſperationem ſeu puſillanimitatem diabolus incutere ſuis tentationibus nitebatur. Apparuit enim illi in viſu noctis per ſomnium quadam vice in ſpecie cujusdam matronæ dudum defunctæ, dicentis ſibi: *Tu nunquam ſalvaberis. Jam enim locum tuum paratum habes tum damnatis perpetuò in inferno.* Quo audito tota contremuit, ſubitò evigilans à ſomno præ anguſtia & pavore. Nempe à voce tonitrui hujus formidabat adeò vehementer, quòd quaſi tempeſtate convulſa omnem penè conſolationem & ſpem perdiderat. Timebat enim nimiùm, ùt per ſomnium audierat, ſe ex occulto Dei judicio à facie ipſius dulciſſimi Domini perpetuò reprobari. Cumque ſpiritu diffidentiæ graviter tentaretur, accidit quodam tempore infra Matutinarum vigilias, quibus ſolebat in Choro continuè intereſſe, ipſam acribus ejusdem diffidentiæ ſtimulis impugnari. Tunc internis clamoribus invocabat divinam clementiam dicens: *Miſe-*

Miſericordiſſime Domine Deus miſerere mihi indignæ, & ne projicias me à facie tua in præſenti & pariter in futuro. Et iterum quaſi requirendo voce flebili ajebat: *Piiſſime Domine, poſſumne aliquando ſalvari? aut quid decreviſti mihi dare poſt hujus vitæ meæ exitum?* Tunc motus miſericordiâ benignus Dominus piè reſpiciens tribulationem ancillæ ſuæ, dignatus eſt eam dulciſſimè conſolari dicens: *Me ipſum tibi tradam, & omnia, quæ ego & Pater meus cæleſtis habemus, tibi dabimus in æternum.* Hæc verba Domini Salvatoris ita manifèſta fuerunt, quòd corporeis auribus ea apertiſſimè audivit. Porrò ad hanc digniſſimam divinæ miſericordiæ promiſſionem inenarrabili gaudio repleta, atque de animæ ſuæ ſalute per divinum reſponſum mirabili dignationis gratiâ certificata, fuit ab omni tentatione protinus liberata. In tanta denique animæ jucunditate & lætitia deinceps continuè verſabatur, quòd ex ſententia potuit dicere cum Pſalmiſta:

Secun-

Pſal. 93. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

Alio tempore ad Matutinum ſtans in Choro devotione ſolitâ, cœpit infra lectiones valde dulciter meditari de ſanctiſſima Dei Genitrice Virgine glorioſa, & in ſemetipſa loquebatur in corde ſuo dicens: O Mater Dei clementiſſima, quid tibi debeo ego indigna, quæ non niſi per aridum *Ave MARIA* novi quotidie præſentare? Verùm necdum hæc verba finierat, & ecce mox tactu ſenſibili ſentiebat manum blandè leniterque mentum ipſius ſtringentem quaſi blandiendo ſibi, & inſuper audivit corporeis auribus in inſtanti vocem manſuetiſſimam dicentem ſibi: *Mea dilecta, tuum Ave MARIA valde bonum eſt & acceptum mihi omni tempore.* His auditis commota ſunt omnia viſcera illius ad clementiſſimum ſanctæ Dei Genitricis reſpectum, quem ſibi adeſſe evidenter conſpexit, talemque ac tantam cœleſtium gratiarum dulcedinem menti il-

ti illius illabi ſentiebat, qualem quantamque antea nunquam fuerat experta.

Denique venit ad eam aliquando non multo tempore, priusquam de corpore migraret, quædam Soror magnæ religionis, tunc temporis Prioriſſa, quæ ſanctam illius converſationem optimè noverat, non dubitans illam ſæpius à Domino viſitatam. Sciſcitari ab ea cœpit ac petere magnâ inſtantiâ, quòd ſibi panderet, ſi quid conſolationis & gratiæ ſpiritualis in vita ſua à Domino percepiſſet. Illa verò, ut erat obedientiæ magnæ valde, non præſumpſit ei aliqualiter contraire, ac prædicta per ordinem patefecit. Cui etiam inter cætera hoc ſecretiùs referebat, dicens: *Nunquam petii aliquid à Domino in vita mea intimo cum affectu, quod non continuò aſſecuta ſim juxta votum.* In argumentum autem hujus rei retulit hæc, quæ ſequuntur. Ita enim ajebat: Deprecata ſum adhuc in ſæculo exiſtens attentis precibus Dominum Salvatorem, quòd me

me citò abſolvere dignaretur à jugo copulæ maritalis, ut tantò liberiùs ipſi poſſem intendere & vacare. Et continuò exaudivit Dominus vocem orationis meæ. Nam febris prævalida mox arripuit maritum meum, qui paucis diebus poſtea ſupervivens Eccleſiaſticis Sacramentis devotè ſuſceptis de corpore emigravit. Deinde rogavi Dominum JESUM Chriſtum, ut per ſuæ gratiæ largitatem pecunia quinque librarum nunquam mihi deeſſet ad uſus neceſſarios pro expenſis. Et ita per gratiam ipſius Domini ſufficientiam in bonis temporalibus modo habui competenti, ita quòd quinque libræ denariorum ex tunc minimè in domicilio meo ac deinceps defuerunt. Præterea poſtulavi divinæ bonitatis clementiam toto corde, quòd ego cum tribus filiabus meis ad hujus ſanctæ Congregationis conſortium citiùs pariter promoveremur, quod poſtea obtinui in brevi Domino opitulante.

Denique eadem Soror ſancta retulit mihi quoque jam diu in Monaſterio

ſterio converſata, quòd ipſa tres denarios pro emendo *Pater noſter* habere deſideravit valde quadam vice. Cumque illos à Procuratrice ſeu à Prioriſſa petere non auderet, dixit in ſemetipſa: *Utinam pie Domine Deus, haberem nunc iſtos denarios, quos affecto!* Mox conſpexit ad pedes ipſius tres denarios divinitus poſitos, quos veraciter ſcivit, quòd ibidem ante non jacuerant, præſertim cùm jam pridem eundem locum ſcopis mundaverat diligenter. Poſtremò illa verè beata Soror naturæ debitum ſolvens, de hujus valle miſeriæ ad regna cœleſtia transmigravit, poſſidens cum gloria bonorum omnium affluentiam in Chriſto JESU, Filio Patris, qui eſt Deus unus in tribus Perſonis benedictus in ſæcula

Amen.

CAP. XXXIX.

De Sorore bonæ memoriæ Heilrade de Horburg.

FUit in hac Congregatione ſancta quædam Soror laica, nomine Heilradis, admirandæ procul dubio ſanctitatis, quæ infra annos juveniles viro honeſto in villa, quæ dicitur Horburg*, reſidenti in matrimonium copulata eſt. Ambo juſti coram Deo, bonum teſtimonium ab omnibus vicinis ſuis habentes, devotè miſericordiæ operibus inſiſtebant. Porrò cives forenſes tunc temporis prædictam villam nocturnis incurſibus graviter infeſtabant, irruentes armati in illam, & populum illic repertum cum præda pariter auferentes. Cujusdam verò noctis horâ iterum ad eandem villam venientes armata manu irruerunt etiam in domum prædicti viri, quærentes illum

* Horburg *Latinè* Argentuaria *vicus Alſatiæ propè Colmariam ad Ellum.*

lum cum ardentibus faculis, ubique crebrò diſcurrentes ante cubiculum quod tamen nutu Dei minimè intraverant, in quo ipſe cum uxore ſua erat, ambo invocantes adjutorium Altiſſimi maximo cum timore. Sicque illo per Dei gratiam minimè invento quicquid ibidem repererunt, rapuerùnt, ſcilicet equos, oves, boves, vaccasque quàm plurimas, quas coram ſe minantes, itinere, quo venerant, rediêre, Poſt quorum receſſum ille ſtatim Eccleſiam intravit, ibique in orationibus nihilominus pernoctavit. Circa verò diei auroram animalia pecudesque omnes ab hoſtibus ſibi ablatæ ordinatione divinâ ante portam curiæ ſuæ ſtantes numero integro inventæ ſunt. Hæc, quæ præmiſimus, tantùm poſita ſunt ad teſtificationem ſanctitatis & meriti apud Dominum utriusque. Tandem uxor illius viri, mulier ſancta cum filia ſua, virgine juvencula, ad collegium ſanctarum hujus Monaſterii Sororum recepta, & eis, ùt diximus, adunata in manſuetudine & humi-

humilitate præcipua Domino usque ad obitum ſuum ſtrenuè deſervivit.

Habuit quoque conſuetudinem vigilandi & orandi creberrimè. Mille ferè *Pater noſter* cum totidem *Ave MARIA* plurimis ſolebat annis diebus ſingulis orare cum occupationibus & miniſteriis Sororum continuis & diverſis, & etiam, cùm acutâ, ſeu febribus graviter æſtuavit. Denique laborans illa aliquando ægritudine valde gravi, quadam die tunc temporis audire meruit corporeis auribus harmoniam cœleſtem in æthere ſuaviſſimè reſonantem omnium muſicorum genera ſua dulcedine incomparabiliter exſuperantem.

Ad hujus revera cœleſtis melodiæ dulcedinem, quam audivit tantummodo brevi horâ, excepit eam inenarrabilis quædam jucunditas ac ſuavitas, cunctis etiam animæ ſuæ affectibus protinus nectare Sancti Spiritûs adeò ſuperfuſis, quòd præ immenſitate lætitiæ exultare in gaudio, & quaſi extra ſe ſalire cœpit anima intra corpuſculum. Sentiebat quoque in

in ipſa hora quaſi quandam cœleſtem virtutem ſenſibilem in ſe ipſam introëuntem & penetralia cordis ejus adeò ſuaviſſimè perungentem, quòd viribus corporeis extemplò reparatis de lecto continuò ſana ſurrexit. Nempe illud tam excellens donum terrena deſideria in ipſius beata anima potenter extinxit, & ſpiritualia vehementer accendit, & illam igne divini amoris totam liqueſcere fecit. Neque hoc ad momentum tantùm conceſſum ei eſt, ſed tribus continuis poſtea diebus his divinis renovari ac perluſtrari influxionibus & irradiationibus gaviſa eſt. Porro ejuſdem conſolationis gratiam poſtmodum Prioriſſæ tunc temporis per ordinem referebat, maximo devotionis affectu, ita inquiens ad eam: *Dico vobis bona Prioriſſa, quòd tantæ magnificentiæ gratiam à benignitate Domini percepi in illa hora benedicta, quæ mihi ſatis ſuperque verè fateor recompenſatum fore pro omnibus laboribus, quibus unquam in illius ſervitio deſudavi, etiamſi per quadraginta annos*

continuos fuiſſem ſuſpenſa in equuleo pro ipſius Salvatoris nomine.

Deinde vigilans eà & orans ſeu aliud quippiam operis faciens audivit ſimiliter corporeis auribus duabus aut tribus vicibus, ſed diverſo tempore, ſanctorum multitudinem Angelorum, melodiam ineffabiliter ſuavem in aëre modulantium, qui crebrò *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth* cum ſummo lætitiæ tripudio modulatis vocibus reſonabant. Porrò in hóc glorioſo concentu Angelorum delectata vehementer nimis ac in jubilum lætitiamque cordis mirabiliter concitata ad conſortium civium ſupernorum votis omnibus aſpirabat.

Præterea feſtivitate aliquando ſacratiſſimâ Natalis Domini adveniente, ipſa noctem illam ſanctiſſimam more ſolito inſomnem ducebat, orationibus interim ardentiſſimæ devotionis inſiſtens ac laudibus pueri JEſu nunc diutiſſimè ſtando, nunc verò genua flectendo per tanti temporis ſpatium non ceſſavit. Tandem illuceſcen-

ceſcente die ipſa, his divinis operibus fatigata, ſuper ſcabellum reſedit, aliquantulùm requieſcens. Tunc repente audire meruit Dominum JESUM clara ac benigniſſima voce dicentem ſibi: *Pete à me, quod vis.* Verùm ad hanc vocem Domini Dei, plenam totius gratiæ omni feſtinatione ſurrexit, ſe ipſam in ſereno cordis, in fervore ſpiritûs & in ardore liquefactæ charitatis totam effundens in conſpectu altiſſimi, cauſas ſuas, ſuorumque in illa hora tantò efficaciùs finaliusque proponens, tractans definiensque apud divinæ miſericordiæ pietatem, quantò ab ipſo jubente Deo mira dignationis gratiâ fiduciam petendi acceperat & meritum impetrandi.

Denique die quadam Communionis tempore accedens ad Altare percepit cum debita devotionis reverentia vivificum Sacramentum. Quo percepto ſubtraxit ei ipſe benignus Dominus omnem devotionis & conſolationis dulcedinem, qua per ipſius gratiam in perceptione Dominici Sa-

 cramen-

cramenti ſemper valde dulciter fruebatur. Quapropter ſupra modum exterrita & turbata eſt, metuensque nimis, ne fortè hoc ſuis culpis exigentibus pateretur, cœpit inconſolabiliter plangere ad aures pii Conditoris. Tunc miſericors Dominus, humilium Conſolator, piè reſpexit afflictionem ancillæ ſuæ, dicens illi voce manſuetiſſimâ & apertà: *Quid ultrà debui tibi facere? Dedi enim tibi hodie chariſſimum Filium meum.* Et ſubitò ipſe pius Dominus effudit ſuper eam in beneplacito miſericordiæ ſuæ ſpiritualis conſolationis dulcedinem magnam valde, replens animam illius delitiis cœleſtium gaudiorum. Denique peracto tandem curſu vitæ ſuæ, felicique agone conſummato mortem fiducialiter ſubiit, non ab ipſa conſumenda, ſed de ipſa glorioſè in perpetuum triumphatura.

CAP.

CAP. XL.

De religioſa Sorore Rinlinde de Biſeck piæ memoriæ.

NOn putamus ſilentio eſſe transeundam matronam venerabilem, bonorumque memoriâ dignam, nomine Rinlindem de Biſeck, nobili genere exortam, virtutibus autem ac religione animi multò nobiliorem. Hæc divinitus à Deo inſpirata maritum ſuum, militem nobilem, ac in rebus hujus ſæculi conſpicuum ac potentem, venuſtate quoque ac pulchritudine valde decorum cum octo liberis ſuis, quos illi genuerat, æquè pulcherrimis, in ætate parva ac tenera pro nomine deſeruit Salvatoris. Et quamvis ſummo amoris affectu tam liberos, quàm maritum diligeret in tantum, quòd vitâ illos gratiores ac ſuper ſalutem omnemque jucunditatem atque pro luce haberet, attamen pro tantis af-

fectibus non poterat amor Dei ingens & hac in re modum excedens in corde illius tepeſcere, ſed conſtanter eis valedicens commiſit illos omnipotenti Deo tota perfuſa lachrymis. Ipſa mundo funditus moriebatur, & in monaſterio hujus felicis Congregationis Chriſto Domino vivere feliciter cœpit, converſationem procul dubio ſanctam agens, virtutum morumque redolentiâ decorata.

Porro miles prædictus de Biſeck, vir magnificus, Sancti Spiritûs gratia ſimiliter illuſtratus, Mundi pompam & voluptatem deſeruit, leni jugo Chriſti ſe ſubjiciens, Ordinem Dominorum Venerabilium Teutonicorum cum duobus filiis parvulis intravit, eorum ſanctum habitum aſſumendo; ſex autem filias ſuas Virgines juvenculas Chriſto Domino dedicavit: tradens eas in diverſis Sororum Monaſteriis Ordinis FF. Prædicatorum in omni vitæ ſanctimonia imbuendas. Pia verò mater & ſancta à dulci liberorum & mariti conſortio

ſortio ſeparata duas tantùm filias in ſolatium ſibi retinuit, cum quibus Religionis & virtutum ſtudium gerens devotum famulatum Chriſto Domino quotidie exhibebat. Erat enim circa Ordinis obſervantias & cuſtodiam cordis ſui ſolicita nimis & timorata, conſcientiam ſuam per Confeſſiones lavans aſſiduas & frequentes.

Mirabantur igitur Sorores & præcipuè Confeſſarii ſui tantam inſtantiam vel potiùs importunitatem ipſius, qua eos quieſcere non ſinebat, ſicut nec ipſa quieſcere poterat, plangendo & plorando de levibus minimiſque exceſſibus, ſi quando vel raro illi ſubreperent, ſeipſam ſcrupuloſiſſimè dijudicabat. In multis quoque, in quibus nullam omnino culpam contraxerat, ſemetipſam miſerabiliter plangens quaſi de crimine arguebat. Sanè de oculis ſuis quaſi quendam fontem lachrymarum effecerat: in omni loco orationum ſuarum lachrymas fundere non ceſſavit. In Matutinis verò, & in Miſſa ſtans

ſtans in Choro in ordine ſuo flebat uberrimè & pſallebat.

Finitis quadam vice Matutinis intravit in domum laborerii causâ orationis, ibique ſolito more immenſis lachrymis & ſingultibus implevit aures piiſſimi Redemptoris. Tunc repentè & ſubitò ſentire cœpit manifeſtè quendam ſuaviſſimum motum tactumque ſenſibilem, qui divinitus in interioribus animæ ſuæ fiebat. Audivit quoque pariter ipſum Dominum ſummæ pietatis voce benigniſſima de intimis animæ ſuæ dicentem ſibi: *Cur ploras, & quam ob rem affligitur anima tua; Ego enim præſto ſum tibi & in æternum tecum ero, nec te deſeram, eroq́ merces tua ſempiterna.* Hæc verba Domini plena omnium gratiarum, ita clara & aperta fuerunt, quòd ea Soror illa beata corporeis auribus etiam audivit. Omni denique priſtina trepidatione & metu continuò depulſo requievit ſuper eam Spiritus univerſæ conſolationis, & utrumque hominem ſuum rore cœleſtis gratiæ totum adeò ſenſit

ſit delibutum, quòd præ immenſitate lætitiæ ſeipſam capere non valebat. Porrò hujus cœleſtis gratiæ conſolationem poſtmodum cum magno gaudio retulit filiæ ſuæ per ordinem in ſecreto.

Præterea poſt diutinos agones, quibus in divino ſervitio conſtantiſſimè deſudârat, appropinquante vitæ ſuæ termino dignatus eſt eam Dominus benignus denuò in ſuo exitu mirificè conſolari, ùt inferiùs poſtmodum pleniùs dicetur. Referam tamen nunc, quod in conſpectu noſtro factum eſſe novimus & lætatæ ſumus. Cùm enim in extremis agonizaret ultimum jam trahens ſpiritum, vultu placido & ſereno intimè aliquoties ridere cœpit. Quam filiæ ſuæ rogabant, ut eis cauſam ſuæ diceret lætitiæ atque riſûs. Quibus ipſa manu innuit, ne jucunditatis ſuæ gaudium interrumperent vel impedirent. Paulò poſt convertit ſe ad filias ſuas & dixit eis: *Quid voluiſtis requirere?* Cui reſpondentes dixerunt: *Mater chariſſima deprecamur,*

ut

ut reveles nobis, utrum acceperis aliquam conſolationem à Domino ſpecialem. Quibus illa nutu capitis innuit, ſe eſſe à Domino conſolatam. Poſt paululum verò cœpit iterum ridere, & poſt modicum exſpiravit. Sicque beata illa anima gaudens & exultans corpore reſolvitur, perceptura promiſſum ſibi præmium ſempiternum, Dominum JESUM Chriſtum, in quo eſt tota merces & beatitudo Sanctorum omnium.

Denique F. Wernerus de Erlebach, vir religioſus, in Ordine probatus, Confeſſarius ſuus, qui pridie eam inunxerat oleo infirmorum, audito ſonitu tabulæ defunctoriæ in morte ipſius, ſurrexit continuò ad orationem, devotè commendans animam illius Domino. Ipſa verò mox ut beatam animam exhalavit, apparuit eidem vigilanti & oranti viſibiliter in ſimilitudine habituque Sororis ſtans coram illo placida facie & jucundâ. Quam de ſtatu ſuo ac præcipuè quomodo ſibi in exitu ſuo de corpore fuerit, requirere ſolicitè cœpit.

cœpit. Cui defuncta Soror reſpondens ait: *Piiſſimo reſpectu miſerationis ſuæ reſpexit me Dominus in illa hora expirationis meæ, & contulit mihi firmam certitudinem ſalutis meæ perpetuæ, pariterque ſuam benigniſſimam indulgentiam omnium peccatorum meorum. Inſuper de torrente voluptatis ſuæ tanta dulcedine replevit, quòd ſi ego ſola omnium hominum mortes & univerſa deniq; Martyrum Chriſti genera ſuppliciorum in meo pertuliſſem corpore, pro his omnibus verè pleniſſimè illâ unâ horâ retribuiſſet mihi Dominus, nec eſſent omnino condignæ paſſiones ad illam dulcedinem, illamque ſupercæleſtem conſolationem, qua tunc ineffabiliter fruita ſum.* Tunc ille iterum requiſivit ab ea, utrum absque pœnis foret ſtatim ad regna cœleſtia volatura. Ad hæc ipſa inquiens dicebat: *Triginta dierum ſpatiis, trium autem minus, in pœnis ſecundùm divinam ſententiam demorabor; poſt hæc absq; omni dilationis obſtaculo perveniam ad Creatorem meum, gloriâ vultûs ſui*

ſui perpetuò ſatianda. Quam idem frater attentiùs rogavit, ut poſt circulum illorum dierum ad ſe rediret. Et pollicita eſt illi, ſe poſtmodum redituram. Finitis verò diebus prædictis venit iſta defuncta Soror ad dictum fratrem, Confeſſarium ſuum, apparens vigilanti illi viſibiliter, induta veſte luminis ultra Solis valentiam coruſcantis, unde reverberatis oculis ipſius in eam nullo modo intendere prævalebat. Splendor namque claritatis ejus, ſicut eidem fratri videbatur, tantæ immenſitatis extitit, quòd etiam de facili potuiſſet per murum ferreum transparere. Porrò illa verè beata anima clarâ quoque voce locuta eſt Confeſſario ſuo dicens: *En præſto ſum, ùt vobis promiſeram. Et ecce nunc venit hora, qua ad cæleſtem ſum patriam tranſitura.* His dictis ſtatim ad regionem ſine fine feliciter viventium evolavit. Nempe frater iſte, cui prædicta revelata ſunt, poſtmodum ſorori Gertrudi, filiæ ejusdem defunctæ Sororis ſecretiùs ad feneſtram confeſſionum per ordinem patefecit. CAP.

CAP. XLI.

De B. Sorore Adelheide de Muntzenheim, dulcis memoriæ.

EXtitit quondam in Briſaco puella quædam juvencula, virgo ſancta, nomine Adelheidis, pulchra & decora facie, corpore decens, & oculis omnium gratioſa. Quam utroque parente orbatam conſanguinei & amici ejus viro diviti & honeſto in matrimonium tradere nitebantur, eò quòd parentes ejus amplam rerum ſubſtantiam reliquiſſent. Ipſa autem conceperat Deo inſpirante, virginitatis propoſitum. Et ideo nequaquam voluit illis conſentire. Virgo igitur hæc tenera & delicata tertium decimum ætatis annum agens ſtatuitur à ſuis cognatis & propinquis ante conſpectum quondam Venerabilis Domini Epiſcopi Tridentini, qui per idem tempus

ibidem morabatur, ut per eum ageretur, quòd ipſa in matrimonialem copulam conſentiret. Conveniunt multi de civibus ac religioſæ quoque ac literatæ perſonæ, ipſius certamen ſpectaturi. Cujus mentis conſtantiam volens idem Epiſcopus probare, cœpit eam verbis, quantùm poterat, à ſuo propoſito revocare. Mens verò hujus beatæ puellæ ita in Deo ſolidata erat & fundata, quòd ab intentione ſua ſancta penitus moveri non potuit. Tanta quoque diffuſa eſt gratia in reſponſis verborum ejus, tantaque in corde ipſius inventa eſt conſtantia, quòd verſa eſt omnibus mirabilem in ſtuporem. Tunc Venerabili Domino Epiſcopo judicante & omnibus præſentibus ibidem pariter conſentientibus ſervire permiſſa eſt Domino Creatori, felici Collegio Sororum hujus Monaſterii ſociata.

Mox verò, ut ingreſſa eſt Monaſterium, in ætate teneriori gravitatis & ſapientiæ canos cunctis mirantibus induit, nec in verbis aut factis

ſuis

ſuis geſſit aliquid puerile. Erat enim ſanctis moribus & optima converſatione decorata, cœleſtium chariſmatum gratiâ tanquam cœli ſydus relucens. Sanè diebus ſacris, quibus per licentiam lectionibus non vacabat, in Choro ab hora nona usque ad veſperam remanebat, diutiſſimè ſtando ſeu genua flectendo ſanctæ contemplationis ſtudio ſine mentis tædio invigilans.

Ab ipſis converſionis ſuæ rudimentis ſilentium ſecundùm regularis formæ traditionem ſtrictiſſimè tenuit; nec aliquando modico quidem ſermone audivimus eam legem ſilentii transgredi, nec reprehenſibilis ſeu negligens in aliquo apparebat.

Quædam alia devota Soror vidit quadam vice per ſomnium beatiſſimam Dei Genitricem in quodam loco Monaſterii in throno ſublimi conſedentem, & ineffabili decoris gloria radiantem. Ante cujus conſpectum glorioſum ſtabat illa Soror beata, de qua loquor; quam Virgo illa ſublimis benigniſſimè reſpexit, pro-

ferens de ſinu ſuo ſancto tres coronas, auro & lapidibus pretioſis mirabiliter intextas, quas manu ſua virginea poſuit ſuper caput ejusdem Sororis decentiſſimè coronans eam, & dixit illi: *Hoc anno ibis ad gaudia ſempiterna.* At illa Soror, quæ hæc vidit & audivit, admirans plurimùm requiſivit dicens: *Clementiſſima Domina mea, dic mihi, obſecro, in quo promeruit Soror hæc has coronas pretioſas?* Cui B. Virgo: *Unam*, inquit, *ex merito pudicitiæ Virginalis promeruit: alteram verò ex ſingulari certamine, quo pro amore caſtitatis fortiter decertavit: tertiam autem ex devota Ordinis obſervantia lucrata eſt.* Poſt hæc illa Soror à ſomno protinus excitatur. Et mane facto retulit eidem Sorori per ordinem, quæ de ipſa viderat & audierat. Sicque eodem anno illa beata Soror felici defunctione de præſenti miſeria ſublata eſt, quemadmodum per ſomnium de ipſa fuerat revelatum, percipiens coronas perpetuas, promiſſas ſibi per Virginem glorioſam.

Porrò

Porrò in ipſius exequiis viderunt pariter corporeis oculis duæ fide dignæ Sorores globum immenſi jubaris ſuper altare in ſublimi ineffabiliter coruſcantem, qui paulatim per chori teſtudinem in cœlum conſcendere videbatur. Verùm Sorores hæc videntes firmiter crediderunt, hujus defunctæ Sororis animam beatam tali fore lumine divinitus illuſtratam.

CAP. XLII.

De felici Sorore Eliſabeth de Rubeaco ſanctæ memoriæ.

HOneſta Domina quædam vidua, juvenili ætate florens, dives & delicata nimis, nomine Eliſabeth, habens domicilium in Rubeaco, à Spiritu Sancto præventa ſprevit univerſas Mundi pompas ac voluptates. Seculo igitur cum actibus ſuis renuntiavit, petens ad felix Sororum hujus monaſterii conſortium admitti, quod & Domino concedente citiùs impetravit.

Ingreſſa itaque Monaſterium in humilitate & manſuetudine Domino ſincero corde ſervire ſtuduit, tantò perfectiùs in omnibus ſemetipſam deſpiciens & abjiciens, quantò in ſæculo in delitiis vivens delicatior extiterat. Porrò diebus ſingulis vaſa coquinæ & ſcutellas propriis abluebat manibus cum ancillis, adjuvans eas ſedulò, in quibus potuit, in cæteris ibidem etiam faciendis. In his & ſimilibus operibus delectabatur ſicut in omnibus divitiis. In tanta namque manſuetudine radicata erat, quôd quælibet ipſius verba & facta ſanctæ humilitatis indicia redolebant. Habuit quoque inceſſanter orandi ſtudium, & in oratione mirabilem affluentiam lachrymarum.

Huic in primo anno converſionis mirabilem ac magnificam conſolationis gratiam largiri dignata eſt immenſa pietas Salvatoris. Nempe quodam tempore, cùm eſſet novitia, adverſa valetudine correpta, aliquamdiu febribus laboravit. Cumque quadam nocte ardore febrium urere-

ureretur graviter, & ſitiret, aquam frigidam, ut refocillaretur, ardenti deſiderio concupivit. Et cùm à nullo in tali neceſſitate præſtari ſibi auxilium cerneret, graviter ingemiſcens lachrymata eſt. Tunc repente affuit ei benignus Dominus Deus, humilium conſolator, apparens illi viſibiliter in ſpecie pulcherrimi pueri ac decori nimis benigniſſimè viſitavit eam. Porrò lampas accenſa prope lectum ipſius pependit, ex cujus lumine clarè in faciem ejusdem pueri beatiſſimi intendere prævalebat. Puer autem ſuper lectum reſidens ægrotantis, manibus ſuis ſanctiſſimis tetigit labia illius, crebrò ducens eas per vultum ejus more blandientis. Interdum quoque ſuper grabatum hinc & inde deambulavit, multisque modis ac geſtibus puerilibus per totam noctem illam conſolationes eidem multiplices faciebat, auferens ab ipſa omnem dolorem febrium atque ſitis ſuâ præſentiâ gratioſâ.

Verùm ipſa omnino neſciebat, quia Dominus eſſet. Idcirco cum

admiratione requirens ait: *Unde præter conſuetudinem aliorum parvulorum intrare potuiſti monaſterium puer optime?* Ad quam puer divinus: *En ego*, inquit, *cùm eſſem magnus & ſublimis in excelſis, propter te factus ſum humilis & parvulus ſuper terram.* Statimque tinnitum fecit horologium ad Matutinum. Et ait iterum puer Dominus JESUS: *Ecce modo intrabunt ad te Sorores, habebisque conſolationis humanæ auxilium, ideo me amplius non videbis, tecum autem manebo per gratiam in æternum.* Et hæc dicens ulteriùs minimè ſe illi præbuit ad videndum. Mox Novitiarum Magiſtra veniens viſitavit eam, cui per ordinem enarravit, quanta ſibi in nocte illa fecit Dominus atque oſtendit.

Verùm quia veraciter ſcriptum *Apoc. 3.* eſt: *Quem diligit Dominus, corripit & flagellat*, nunquam huic devotæ Sorori paternæ miſericordiæ correptio defuit, ſed cunctis diebus, quibus vixit in monaſterio, usque ad extremum ſuum de corpore diſceſ-

ſum

ſum gravibus & diuturnis incommodis flagellata eſt. Ad ultimum hydropica effecta, ac monſtruosè inflata diu languit in grabato miſerabiliter cruciata. Erat enim doloris immenſitas patientis animi intolerabilis, & quot horis vivebat, totidem interitionibus ſubjacebat. Sed repoſita ei erat copioſa retributio pro tantis doloribus penes Dominum Salvatorem. Sanè antequam de miſeria, & de luto fæcis educeretur, rapta eſt in viſu in quoddam cœlicum palatium miræ pulchritudinis & ſplendoris, in quo odor ſuaviſſimus & delectabilis nimis ſpirabat, ex quo ipſa in tantùm delectata eſt, quòd omnium, quos pertulerat, dolorum obliviſceretur. Vidit quoque Dominum cœli & terræ in ſolio Majeſtatis ſuæ ſedentem & Reginam à dextris ejus in throno gloriæ conſedentem, quibus ſanctorum Angelorum, aliorumque Sanctorum multitudo infinita aſſiſtebat, vocibus altiſonis laudem Domini reſonantes. Throni & ſedes ſublimes ac glorioſæ erant etiam ibidem diſpo-

diſpoſitæ circumquaque, auro & gemmis pretioſis coruſcantes, ſuper quas nullus præſumpſit adſtantium reſidere. Inter quos unus erat thronus eminens pulchritudine & ornatu incomparabiliter univerſos, ſuper quem ad imperium Domini Regis illa Soror, quæ hæc vidit, per ſanctos Angelos eſt protinus ſublimata. Illa autem renitens, ac ultimum ſibi eligens locum dixit ad Dominum: *Non ſum digna tanti honoris gratia, nec unquam iſta promerui.* Ad quam Dominus blandè locutus eſt dicens: *Si non meruiſti; ſuſtinuiſti tamen in vita tua miſerias & dolores, quibus multipliciter te afflixi.* Tunc ipſe Spiritus Sanctus, qui eſt Magiſtrorum optimus, repentè & ſubitò immiſit in os ejus canticum novum, carmen Deo noſtro, videlicet quoſdam hymnos rhythmicos delectabiles valde de Deo, & de patria illa cœleſti Hieruſalem, quos nunquam antè audierat, ſeu didicerat. Et illos, poſtquam ad ſe rediit, ac ſui compos effecta eſt, benè tenuit, &

in

in memoria jugiter retinuit. Sicque futuræ manſionis ſuæ locum gloriæ antè oſtendere illi dignata eſt mira benignitas Creatoris, ad quam mox carnis mole depoſita piè eam credimus per ineffabilem Chriſti gratiam exaltatam, cui eſt laus & gloria per omnia ſæcula ſæculorum Amen.

CAP. XLIII.

De quadam devota Sorore Laica, Mechtilde nomine, de Columbaria, piæ memoriæ.

VIrgo quædam devota, Mechtildis nomine, in ſuburbio oppidi Columbarienſis reſidebat, quæ virginitatem ſuam Domino conſecrârat. Hanc quidam de civibus ejusdem oppidi in uxorem legitimam concupivit. Quodam igitur ſero aſſumptis ſecum ſociis quibusdam adoleſcentibus venit armatus cum illis ad domum Virginis, & effractis foribus circa horam conticinii in ipſam irruit violenter, & intravit

vit in cameram, ubi puella quieſcebat, accedensque propiùs ad lectum promiſſis ac blandimentis multis inſtat, perſuadet ac exorat, ut ſibi velit in matrimonium conſentire. Cui ipſa reſpondit, ſe nullatenus velle conſentire, adjiciens, quòd nec illi, nec alicui alii vellet aliquatenus maritali copula ſociari. Cumque ille videret, quòd nihil proficeret, minis & terroribus ſævis eam aggreditur, mortem eidem graviter comminans, ut ipſam induceret ad matrimonium contrahendum. Tandem gladium excutiens de vagina poſuit illum ad guttur virginis dicens: Niſi illico mihi conſenſeris, immergam gladium in guttur tuum. Inter hæc nihil aliud poterat ab ea extorquere, niſi votum virginitatis, quod fecerat, inviolabiliter ſe velle ſervare, & potiùs mortem ſubire, etiam crudeliſſimam, quàm decus amittere virginale. Virgo itaque in ſupremo neceſſitatis articulo conſtituta, & ut mortem evaderet, atque ille homo malignus ab ea diſcederet, pro-

promiſit ei, quòd ſi unquam ad matrimonium contrahendum conſentiret, illi potiùs vellet præ omnibus copulari. Quo audito ille continuò ſurgens reſumptis ſociis receſſit. Sicque Virgo fidem caſtitatis inter gladium & minas hoſtis atrociſſimas intrepida conſervavit.

Homo ille iniquus fraudis ſuæ commenta adversùs virginem impigrè agere cœpit, jurans ſe cum illa matrimonium contraxiſſe, falſis ſuper hoc teſtibus accerſitis. Puella econtra acerrime negavit. De judicio ad judicium citatur: ad ultimum autem cauſa delata eſt ad Curiam Baſilienſem, & ipſa Virgo compulſa eſt ſe conſpectui Domini Epiſcopi præſentare. Ibidem causâ diligentiùs pertractatâ, examinatum eſt & probatum, Domino auxiliante, hominem illum nihil juris habere in Virginem. Et ita cum gaudio ad propria eſt reverſa.

Cujus tribulationes & anguſtias Sorores hujus Monaſterii miſerantes, in ſuum eam conſortium pro Sorore laica

laica receperunt. Quæ ſæculum perfectè deſeruit, & ſe totam divinis obſequiis mancipavit, in juſtitia & ſanctitate veritatis usque ad exitum ſuum Domino deſervivit. Hæc inter cætera multa bona & virtutes, quibus non mediocriter pollebat, orare ſolebat creberrimè & indeſinenter, etiam in quolibet officio & labore, ſpecialiter pro defunctis orationes aſſiduas & devotas ad Dominum fundere non ceſſabat, pro ipſarum liberatione legens ſine intermiſſione Vigilias & Pſalteria, quorum non erat numerus. Et ita orationibus, jejuniis, vigiliisque ſupra modum corpus ſuum caſtigabat.

Ad ultimum multis variisque infirmitatum incommodis attrita, cœpit diu ac graviter ægrotare, ita quòd defectum cordis ferè quotidie & multo tempore pateretur. Et hujus doloris moleſtiam in præſentia Sororum in tantum diſſimulavit, quòd ſe continuit à gemitu, ne ex compaſſionis ipſarum affectu conſolationem reciperet aliqualem, & ob hoc

hoc detrimentum præmii cœleſtis aliquantulum incurreret in futuro.

Huic conſolationem ſuavitatis ſupernæ valde magnam, ob meritum devotionis ſuæ, largitas divina prærogare dignata eſt. Nam, cùm in oratione pura & devota ſurſum mente à phantaſiis vanarum cogitationum per ſanctam contemplationem elevata, divina deſuper aſpirante gratia, ſoli Deo intenderet, ſuaviſſimo nectare cœleſtis dulcoris & gratiæ ſæpius ita perfundebatur, quòd utrumque hominem ſuum etiam ſentiebat mirabiliter delibutum tantâ revera affluentiâ, quòd ulteriùs, ùt ſibi videbatur, nequiverit perferre.

Cuidam quoque Sorori ſibi ſpecialiter familiari, prædixit obitum ſuum per annum, antequam de corpore emigraret. Denique ſtabat etiam aliquando cum eadem Sorore in cœmiterio defunctorum, loquens illi iterum de diſſolutione corporis ſui in proximo imminenti, cui pede oſtendit locum ſepulturæ ſuæ, inquiens

quiens ad eam: *Hoc in loco procul dubio ſepelietis me.* Et ita impletum eſt verbum illius. Non multo poſt tempore obiit, & in eodem loco, ùt prædixerat, ſepulta, in Domino requieſcit à laboribus ſuis amodo & usque in ſempiternum.

CAP. XLIV.

De quadam Sorore Converſa devota, nomine Agnete de Blotzenheim felicis recordationis.

FUit in Conventu hujus beatæ Congregationis ſpiritualis quædam Soror Converſa, nomine Agnes de Blozenheim*, magnâ Dei procul dubio gratiâ prædita, cui Dominus conſolationes de ſupernis & cœleſtibus magnas & multiplices mittebat, revelans illi ſecreta plurima & futura. Hæc inter alia bona, quæ pura devotione faciebat, erat in

* Blozenheim *Vicus Alſatiæ.*

in ſublevandis debilium & infirmarum Sororum neceſſitatibus promptiſſima & miſericors nimis, quibus tanquam Chriſti membris per annos plurimos ſedula miniſteria ſolicitè exhibebat. Siquam morbidam, ſiquam ulceroſam, aut ſanie defluentem aſpiceret, huic omnem pietatis operam impendebat abluendo, tergendo, atque refocillando, tanquam mater ægrotanti filiæ jugiter aſſiſtebat.

Solebat etiam omni tempore vitæ ſuæ circa horam nonam ſecretiorem locum causâ orationis adire, in quocunque detinebatur miniſterio & labore, gratias de omni corde ſuo agens Domino Redemptori, quòd mortem ſubire, & in Crucis patibulo illa hora expirare pro hominibus dignatus eſt. Vitam quoque ſuam & exitum divinæ clementiæ diligentiſſimè commendavit. Cumque quadam vice iterum gratias Deo agendo more ſolito & tempore ſic oraret, vidit repente corporeis oculis lucis radium ſplendidiſſimum, lu-

ci corporeæ omnino diſſimilem, à cœli faſtigiis prodeuntem, & usque ad pectus ipſius immediatè veluti virgulam quandam directivam, ſplendore nimio attingentem: qui etiam continuò cordis ipſius penetralia ſuaviſſimè introiens igne divinæ charitatis illam ſuccenſam liquefecit mirabiliter & refecit. Erat nempe miri ferporis & devotionis erga Deum, orans diutiſſimè ſtando, tota ſuſpenſa atque in amorem dilecti ſui abſorpta. Cui ipſe Dominus, gratiarum omnium benigniſſimus diſtributor, dulcedinem mirabilem & gratiam in orationibus ſuis jugiter infundebat, theſaurizans ſuper eam tantam cordis jucunditatem & exultationem, quòd videbatur ſibi, ſicut ipſa interdum ſecretiùs referebat, quaſi in corde Altiſſimi ſederet, & tanquam ipſe omnium oblitus illi ſoli intenderet. Talibus ſiquidem divinis influxionibus, de promptuariis ſupernis eructantibus, feliciter inebriata, meruit in hac lachrymarum valle creberrimè relevari.

Omnia

Omnia denique, quæ Redemptor noſter JESUS Chriſtus tempore glorioſæ paſſionis ſuæ pro nobis perferre dignatus eſt, fuerunt huic Sorori beatæ in quadam viſione circa obitum ſuum divinitus demonſtrata. Vidit namque in prædicta viſione manifeſtè Dominum JESUM Chriſtum, quaſi iterum pateretur, à Judæorum multitudine comprehenſum, crudeliter ligari atque viliſſimè tractari. Qui diris clamoribus & tumultu traxerunt eum de judicio in judicium, illudentes ei colaphis, & alapis frequentibus cædentes & conſpuentes in faciem ejus, ſpinis quoque coronatum, flagris acerrimis, usque ad ſanguinis effuſionem flagellabant eum. Ad ultimum verò pœnis innumeris afflictum, ſaturatumque opprobriis & deriſionibus perfidorum cruci illum crudeliſſimè affixerunt. Ipſa autem Soror, quæ hæc vidit, etiam corporeis audivit auribus apertè, crebris atque diris malleorum ictibus, tunſionibusque ipſius Domini manus pedesque ſa-

cratiſſimos perforari. Finita verò viſione diu velut exanimis effecta præ animi dolore jacuit ſine motu. Nempe gladius Paſſionis Chriſti amariſſimæ, quam in viſione prædicta mentalibus oculis conſpexerat univerſam, tanto compaſſionis dolore ipſius animam pertranſivit, quòd poſt hæc diutiùs vivere non valebat. Arripuit namque eam in inſtanti febris peremptoria, cœpitque gravi corporis ægritudine langueſcere, & erat languor fortiſſimus, ex quo non multò poſt ad hujus labentis terminum perducta, ad perennis vitæ introitum feliciter properavit.

CAP. XLV.

De devota Chriſti famula Adelheide de Sigoltzheim beatæ memoriæ.

IN villa, quæ dicitur Sigoltzheim prope Columbarienſe oppidum ſita, quædam ſancta fœmina & devota, Adelheidis nomine, reſidebat.

debat. Quæ cum viro ſuo, cui à parentibus ſuis invita infra annos juveniles in conjugium fuerat copulata, degens, annis viginti & amplius virginitatem ſuam perpetuò incorruptam, magno Dei munere conſervavit. Elongavit enim ſe à viri thoro ſingulis noctibus, in orationibus devotis perſiſtens devotiſſimè vigilando. Quando verò præ laſſitudine ſomni corpore depreſſa eſſet, ſuper nudam humum ſeu ſuper ſcamnum dormire ſolita erat in hyeme & æſtate, & lecti mollitiem non quæſivit. Propter hoc ergo vir ille exoſam eam habuit, fame, ſiti, frigore & nuditate continuè affligens illam, innumeris injuriis moleſtavit. Ipſa verò Sancti Spiritûs gratiâ roborata, patienter cum gaudio hæc omnia ſuſtinebat propter ſpem retributionis æternæ, & deſiderium caſtitatis. Mente ſiquidem Deo infatigabiliter adhærens à bonis operibus non ceſſavit, corpus ſuum duris laboribus abſtinentiiſque jugiter conterens, ſpiritui ſervire cogebat.

Cumque virtutum exercitiis gratanter polleret, accidit quadam die, tempore vindemiarum, quòd Fratres de Ordine Prædicatorum & Minorum venirent ad eandem villam, in qua ipſa morabatur, diſcurrentes laſſi valde petendo vinum à mane usque ad veſperam oſtiatim: quorum verecundiæ ac labori ipſa piè compaſſa allatas quatuor amas* vini continuò de carrota** dedit Fratribus prædictis viro ſuo penitus ignorante. Cujus furoris ſævitiam plurimùm pertimeſcens infudit ſtatim aquam in vas prædictum, implens usque ad ſummum. Quo impleto prece ſupplici deprecata eſt Dominum dicens: *Domine Deus, qui non derelinquis præſumentes de te, invoco & flagito divinam clementiam tuam, quatenus aqua iſta, in hoc vas nunc infuſa, protinus in vinum virtute tuæ potentiæ convertatur, ne paterfamilias veniens in ira ſua interſiciat*

* *Ama* amphora continens octo congios ſeu 24. menſuras.

** *Carrota*, biga.

ciat me, ſi recognoverit factum meum. Statim ad preces ejus aqua illa à Domino converſa eſt in vinum tam nobile & pretioſum, quòd plus eidem patrifamilias poſtmodum valuit apud mercatores, quâm vina reliqua, quæ habebat. Et ita res geſta virum latuit, ipſa autem ſancta fœmina per miraculum ibidem divinitus operatum imminens ſibi evaſit periculum.

Defuncto autem prædicto viro ipſa Columbariam properavit, vocans Prioriſſam hujus Monaſterii obtulit ſibi & Sororibus univerſis omnia mobilia & immobilia, quæ habebat, tradens ea in æternum ſimpliciter & abſolutè pro amore Domini Salvatoris. Poſtea petivit humiliter & inſtanter, ut reciperetur in Monaſterium ad coquinæ ſervitium, quamdiu degeret in hac vita, quòd & continuò impetravit, licèt admitti pro Sorore laica ſi deſideraſſet, procul dubio à Prioriſſa & Sororibus de facili obtinuiſſet. Elegit tamen potiùs abjecta eſſe in præſenti, ut in

cœleſtibus apud Dominum ampliori gloria radiaret. Quæ in coquina & in aliis Sororum ſervitiis cunctis diebus humiliter ſerviens ad magnam vitæ perfectionem ſanctitatemque divina gratia opitulante pervenit. Cibum unà cum ancillis ſumens, vilibus ſemper & abjectis veſtibus utebatur.

Huic profectò beatæ pius & miſericors Dominus cumulatiùs in hac vita exſolvit, quod in Evangelio repromiſit, videlicet pro quolibet ſimplo, propter ſe relicto, centuplum ſe daturum. Contulit namque illi multas divitias ſpirituales, conſolationes de cœleſtibus & æternis admirabiles, ſecuritatem quoque de remiſſione peccatorum ſuorum, nec non & de dimiſſione pœnarum omnium, inſpirans etiam illi regni cœlorum certitudinem. Et hæc ſanè ſuper omnia tranſitoria centuplicìter, millies, & incomparabiliter ampliùs ponderavit. Inſuper dulcedine mirabili gratiarumque affluentiâ in orationibus ſuis ſæpiſſimè ſe-

Matth. 19.

met-

metipſam in tantum ſenſit ſuperfuſam, quòd videbatur ſibi, quòd omnia membra corporis ſui ipſo Deo forent repleta, quemadmodum ipſa hæc omnia ac ſuperiùs expreſſa, & etiam ſequentia, quibus voluit, ſecretiùs patefecit. Habuit quoque frequentiùs tantum cordis fervorem ad Dominum, quòd erumpebat exteriùs in pectore & in membris aliis per ſudorem. His itaque donis cœlitus ſibi collatis divinæ miſerationis reſpectum ipſi adeſſe certiſſimè deprehendit.

Fuit quoque ſupra modum ſibi ipſi aſpera atque dura, multis vigiliis, laboribus & operibus bonis affligens corpus ſuum incredibiliter & caſtigans. Flagellis ſpineis nimis aſperè usque ad ſanguinis effuſionem corpus ſuum debile quotidie flagellavit, ita quòd crebris ſpinarum punctionibus laceratum & conſciſſum miſerabiliter conſiſtebat. Siquidem prædicta flagella, quibus ſeipſam verberabat, poſt ipſius obi-

tum inventa ſunt cruore ipſius planè intincta & reſperſa.

Porrò novum diri ſupplicii ac afflictionis genus exæſtuantis ipſius animi devotio excogitavit, quo non ſemel, ſed pluries obtulit ſe ipſam holocauſtum gratuitum Domino: Tempore ſiquidem hyemis, quando frigus maximè eſt intenſum, veſtimentis ſuis depoſitis in flumen, glacie coopertum, priùs facto foramine, nudam ſingulis pene noctibus ſe immerſit, moram ibidem tam diu faciens, donec carnes ipſius congelarentur. Poſtmodum de aqua aſcendens, unica tantùm tunica reinduta, ante Chori oſtium, nudis pedibus ſuper lapidem ſtans in contemplatione ardentiſſimæ devotionis ſuſpenſa, usque ad matutinum, ſive usque ad auroram diei continuè perſiſtebat. Interim ſanè habuit divino munere tantum cordis calorem, quòd erupit exteriùs in pectore, & in aliis membris per ſudorem in tanta copia, quòd omne corpus illius ſudoris guttis uberiùs perfundebatur.

Sunt

Sunt autem & plura alia nobis de ſanctitate hujus Dei famulæ comperta, quæ legentium devotionem excitare poſſent: Sed ea ſilentio premo, & faſtidioſis lectoribus conſulens nolo ſermonem ulteriùs prolongare. Hæc ergo beata & ſancta ſicut fideliter vixit, ita feliciter obiit, & migravit ad Dominum JESUM Chriſtum, qui eſt merces ſuorum fidelium magna nimis.

Denique poſt obitum ejus quædam ſancta Soror, Adelheidis nomine de Rhinfelda, cujus ſuperiùs * mentionem feci, vidit illam aliquoties viſibiliter corporeis oculis, clara diei luce in äere â terra ſublimiùs elevatam, quæ etiam miri decoris gloriâ circumamicta, adinſtar claritatis Solis refulſit, inæſtimabili tripudians gaudio & exultatione.

* *Cap. 23.*

CAP.

CAP. XLVI.

De devota Sorore Gertrude, orta de Civitate quadam Weſtphaliæ, Provinciæ Saxoniæ.

SErmone brevi & admodum compendioſo, quantùm mihi donaverit bonorum omnium diſtributor; & ingenii mei parvitas permiſerit, huic inſerere operi procurabo quædam pauca de multis mihi comperta de converſione ac laudabili vita Sororis Gertrudis de Saxonia, nuper de noſtro Conventu defunctæ, admirandæ procul dubio ſanctitatis. Quam divinæ pietatis providentia de remotiore regione Weſtphaliæ, Provinciæ Saxoniæ ad peregrinum & omnino ſibi incognitum locum, videlicet Monaſterium Sororum de Underlinden in Columbaria Ord. S. Dominici egregii Confeſſoris mirabiliter evocavit. Siquidem ipſa Soror beata exemplum illius

illius quondam præclari Abrahæ Patriarchæ ſancti, ad vocem jubentis Domini exeuntis de terra & cognatione ſua, ac venientis in terram ſibi ab ipſo Domino demonſtratam, per omnia eſt pleniſſimè imitata.

Nam cùm eſſet adhuc ætate florida ac juvenili, videlicet quinto luſtro nondum plenè peracto, divinitus inſpirata, omni Mundi hujus voluptate & gloria ſpreta, exivit corde & corpore de terra & de cognitione & progenie ſua nobili atque præclara, venitque in dictum Monaſterium Columbariæ, ùt præmiſi, locum ſanctum, divinitus ſibi, haud dubium, præparatum. Proprios quoque duos filios ſuos ac filiam, quos affectu ſummo diligebat, in Provincia Saxoniæ parvulos & orphanos dereliquit, deſerens inſuper inibi maritum ſuum, virum bonum & honeſtum, ab ejus conſortio & ſolamine deinceps usque ad obitum ſuum elongata.

Ipſe verò in terra ſua ſimiliter in eodem Ordine divino ſervitio manci-

cipa-

cipatus, Laicorum habitum humilem aſſumpſit, in quo & perſeveranter usque ad obitum ſuum Domino militavit. Cui adhuc in ſæculo degenti bonisque operibus ac virtutum ſtudiis ſolicitè inſiſtenti admirandam divinæ conſolationis gratiam dignatus eſt miſericors Dominus prærogare, quam etiam breviter indicabo. Quadam ſiquidem die juxta conſuetudinem ſuam propiùs adſtans Sacerdoti, Miſſarum ſolennia celebranti, ecce corporeis oculis videre meruit manifeſtè in ipſa hora elevationis diviniſſimæ ac Sacro-Sanctæ hoſtiæ Dominum JESUM Chriſtum in ſpecie pueri parvuli quaſi trium annorum, præ filiis hominum ſpecioſi, in cruce clavis manibus & pedibus perforatum, manibus ejusdem ſacerdotis in altum ad conſpectum omnium ibidem præſentium elevari. Puerum quoque illum beatiſſimum, qui ſibi apparuit, ex crebris oculorum ſuorum motibus, quos benigniſſimè ſæpius ad populum convertebat, certiſſimè vivere liquidò deprehen-

prehendit. Sicque certificatus eſt, viſionem illam non eſſe imaginariam ſed veracem. Viſionis hujus cœleſtis dulcedine deguſtata, ſuaviſſimo charitatis divinæ ardore ſuccenſus, magnificas gratias egit Domino Salvatori, qui eum dignatus eſt tam glorioſo miraculo conſolari.

Præterea dum adhuc uterque, ipſe videlicet & uxor ejus, Soror illa beata, de qua pridem loqui incepi, ſimul in terra nativitatis ſuæ commanerent, accidit quadam vice, Domino permittente, quòd cuncta domûs illorum ædificia circumquaque cum omni ſuppellectili & rebus, ignis conſumpſit incendium & vaſtavit. Ipſi autem ex illo caſu plurimùm apoℓiati neceſſitatem ex bonorum inopia non modicam pertulerunt. Quapropter reverendus Pater beatæ memoriæ Hermannus, dictus de Havelberg, de Provincia Saxoniæ, quondam Provincialis per Teutoniam, ejusdem felicis Sororis patruus, vir eximiæ ſanctitatis, qui fertur etiam poſt obitum miraculis claruiſſe, cœpit

pit pro hujusmodi infortunio non mediocriter contriſtari, metuens, ne ipſa maritusque ejus ab ingreſſu Religionis, quem mente conceperant, propterea tardarentur.

Cumque de his tractaret ſecum animo gemebundo, ſubitò totus extra ſe raptus vidit per interioris hominis radios juvenem ſplendidiſſimum, cœleſtique gloria decoratum, ad ſe venientem, qui ſibi obtulit pannum candidiſſimum diligentiùs complicatum. Idem verò Prior Provincialis requiſivit dicens: *O juvenis, cur mihi pannum iſtum defers?* Cui ille mox inquit: *Expande & vide.* Quo expanſo conſpexit in eo crucifixum aureum, pulcherrimè in eo depictum panno: faciem quoque ejusdem neptis ſuæ, nequaquam imaginariè depictam, ſed verum vultum ejus cum cute, carne, oſſibusque ſuper cor ipſius crucifixi clavis undique confixum fortiter intuebatur. Quo viſo B. Prior Provincialis, cui hæc videre divinitus conceſſa ſunt, vehementer nimis obſtupuit, nec ultra

ultra jam habens ſpiritum cum admiratione clamavit dicens: *O Domine Deus, quem cœli terræq; fabrica contremiſcit, quid eſt homo, quia tanti reputas eum, ut ponas illum proximè juxta te, cùm ſit terra & cinis? Et dignum ducis ſuper hujuſcemodi pietatis tuæ oculos aperire? Eja dic mihi, quæſo, benigniſſime Domine JESU, utrumne homo inhæreat tibi, qui ſolus habitas lucem inacceſſibilem, tanto taliq; agglutinationis compagine unitus, quanto qualiq; conſpicio eum nunc connexionis vinculo tibi inſeparabiliter colligatum?* Cui benignus Dominus JESUS de cruce, mitiſſima claraque voce reſpondens ait: *Noveris pro certo, multò mihi propiùs fore hominem conjunctum, quàm unquam videre valeas, qui tantùm foris vides in facie. Ego enim ſecretiſſimè in divinitatis meæ theſauris abſconditis reconditum habeo hominem, quem creavi.* Finitâ citiùs viſione illa cœleſti magnitudo conceptæ devotionis in corde videntis & audientis hæc deinceps finiri non potuit. Unde

 dum

dum aliquando eadem Domini verba, omni ſuavitate & gratiâ plena, devotione ſolita ruminaret, præ immenſa divini amoris dulcedine ſpiritu deficiens, nec ulteriùs ſufferre valens tantæ devotionis ardorem, pallidus & exſanguis corruit super terram, ſine voce & ſine motu, velut mortuus diutiùs permanebat. Cæterùm quomodo vel cum quibus comitibus de terra ſua longinqua remotaque ad nos Columbariam pervenerit B. Gertrudis, ſuperiùs memorata, ſeu quanta ſibi in itinere conſtitutæ bona contulit benignitas Conditoris, nunc breviter indicabo.

Præfatus Frater Hermannus de Havelberg, patruus ejus, tunc temporis Prior Provincialis, comes itineris ipſius fuit individuus & laboris, adhærendo illi inſeparabiliter, donec eam hujus Monaſterii Sororibus præſentavit, per cujus ſanè beatam comitantiam ac ſanctarum orationum ſuarum ſuffragia perventionem habere meruit optato itinere cum ſalute. Ipſe quoque fuit vir prudens &

provi-

providus in agendis cum viatoribus quibusque honeſtis ac mercatoribus. Interim cautè comitabatur cum ſuis ſociis Prædicatoribus, pariterque cum curru, ſuper quem eadem neptis ſua ſedebat, ut illorum conſortio in via, qua ambulabant, protecti exiſterent tutiores.

Accidit proinde, ut ipſe & ſui quadam vice adjuncti quibusdam mercatoribus, & euntes pariter tendebant ad oppoſitam civitatem ante ſolis occaſum maturiùs pervenire. Die verò ad veſperam vergente mercatores illi propter nocturni temporis timorem ad oppidum, unde recesserant, ac hoſpitium ſunt regreſſi. Prior Provincialis autem, & qui cum ipſo erant, nolentes regredi, progredi, licèt fruſtra, potiùs nitebantur. Nam tenebræ paulatim ingruentes omnem extemplo progrediendi copiam denegabant. Tunc illi animo conſternati, ac neſcientes, quidnam in tali neceſſitatis articulo agerent, ſeu quò ſe verterent, circumſpicere ſollicitè cœperunt, ſicubi divertendi

locus congruus appareret. Et ecce ſubitò nutu Dei in ipſa ejusdem loci planitie, in qua erant, quandam aulam miræ pulchritudinis eminus contemplantur. Gavisi ſunt Fratres illuc continuò properantes. Mira res! Quò cùm veniſſent, cernunt omnes portas & ſeras pariter patefactas penitus & apertas. Verùm totum illius palatii ædificium erat intus & exteriùs nitidum & fulgidum nimis, quaſi de novo in illius diei curriculo conſurrexiſſet. Ingredientes autem illi neceſſaria quidem ad uſum vitæ invenerunt illicrepoſita copiosè, nullum tamen omnino ibidem hominem repererunt. Porrò ipſi pariter conſederunt, præſtolantes adventum dominorum illius ædificii. Cumque diutiùs expectâſſent, ecce Matrona quædam, quaſi valde nobilis, vultu roſeo renitens decora regalibus indumentis, ingreditur ſola, benigniſſimeque ſalutando eos dixit: *Benè ad me veniſtis hoſpites mei chari.* Cui reverenter aſſurgentibus Fratribus ac prædicta Sorore Gertrude,

de, & cum humilitate exponentibus ei, quòd causâ hoſpitii obtinendi venerint illâ horâ, illa læto vultu reſpondens inquit: *Gaudium mihi eſt, quòd ad me divertere voluiſtis.* His dictis hortari cœpit eos ad cœnandum, ponens ipſa menſam, propriiſque manibus eisdem neceſſaria adminiſtrans. Protulit quoque idem Prior Provincialis piſces & caſeos de pera ſua, quos in itinere ſecum detulerat, ac poſuit ſuper menſam. Poſt hæc converſus ad matronam dixit: *O Domina, ſi præcipere dignaremini pullum aſſum præparari juvenculæ ad edendum* (loquens de nepte ſua) *hoc enim neceſſariò indigeret.* Ipſa enim de regione longinqua proficiſcendo, & ad iſtos applicando terminos plurimùm laboravit. Ad quem matrona illa extenta manu ad mancipium neptis ipſius dixit: *Jube ſervum illum, qui hìc præſtò eſt, ire in talem locum, accipereq; pullum, quem voluerit, ac dominæ ſuæ præparare.* Prior Provincialis ergo dixit ad ſervum: *Vade & fac citiùs, quod*

Domina dicit. Qui feſtinus ad deſignatum locum perrexit, fecitque, quod ſibi fuerat imperatum. Allatam gallinam appoſuit diligentiùs paratam dominæ ſuæ. Diſcumbentibus quidem illis matrona quoque cum eis cibum pariter deguſtavit.

Cœnantibus autem illis ſubitò juvenis quidam ſolus ingreditur ad eos ſplendidus, qui ſupra humanum modum mirabilis apparebat, & cui ſimilem in omni elegantia ipſi nunquam viderant. Facies enim illius ſingulari venuſtate refulgens, Angelum potiùs quàm hominem indicabat. Porro idem juvenis Priorem Provincialem & ipſius ſocios, pariterque neptem ejus cum gaudio ſalutavit, invitans eosdem benigniſſimè, ut comederent ſatis. Poſt hæc converſus eſt ad matronam illam, familiariter tanquam ad matrem ſuam, diutiusque ambo pariter loquebantur Fratribus & eadem Sorore Gertrude audientibus quidem vocem colloquentium, ſenſu verò ſermonum eorundem minimè percepto.

Nec

Nec etiam attendere voluerunt propter verecundiam & honorem. Finito quoque ſermone juvenis ille dulciter hoſpitibus ſuis vale faciens exivit continuò, nec viſus eſt ulteriùs ab illis. Matrona illa benigniùs confabulando cum ipſis conſolationem mirabilem exhibebat. Verba enim oris ejus omni ſuavitate & gratiâ plena erant.

Et cœnâ factâ, cùm de menſa ſurrexiſſent, præfata matrona introduxit Priorem Provincialem & ejus ſocios in cubiculum ad quieſcendum, in quo erant lecti operimentis bonis ac nitidis præparati. Quibus benedictione datâ, & admonitis blandè, ad ſomni requiem deguſtandam protinus recedebat. Deinde apprehenſa manu hujus beatæ Sororis Gertrudis, de qua loquor, duxit eam ſecum per gradus ad ſuperiorem pulcherrimam domum, ubi ſimiliter lectus fuit de plumis ſericisque coopertoriis præparatus. Quem ut ipſa aſcenderet, innuit ei benignè matrona prædicta, quam veſtibus

cooperiens propriis manibus diligenter, pariterque benedicens illi, inde illico deſcendebat.

Porrò diluculo facto prætaxata domina ingrediens in cubiculum, in quo idem Prior Provincialis cum ſuis ſociis quieſcebat, leniter excitavit eos dicens: *Surgite, ne tardetis. Ecce enim appropinquant mercatores, cum quibus heſterno die proficiſcebamini, & eſtote parati, ne prætereant.* Quibus auditis Prior Provincialis gaviſus valde ſurrexit cum ſociis ſuis feſtinanter, parati ad proficiſcendum cum mercatoribus ſupradictis. Matrona ſimiliter poſt hæc aſcendebat domum, in qua manebat beata illa Gertrudis, & à ſomno blandè excitando illam dixit: *Surgè citiùs, ecce aurora eſt, ut proficiſcamini cum mercatoribus, veſtris comitibus: jam propè ſunt.* Qua velociter ſurgente ac currum ſuum protinus aſcendente, tam ipſa quàm Prior Provincialis & Fratres devotè gratiarum actiones eidem dominæ referentes pro multimodis beneficiis ſibi ab ea collatis & exhi-

exhibitis, valedixerunt ei humiliter abeuntes. Nunc mirandis plus miranda ſuccedunt.

Cùm de aula prædicta paulò longiùs receſſiſſent, reductis poſt tergum oculis contra idem palatium mirantes ſuper his, quæ ibidem viderant, quæque ſibi acciderant, ecce tota machina illius nobilis palatii ita in nihilum repente fuit redacta, quòd nec veſtigium alicujus ædificii illic apparuit. Quo viſo ſtupore & admiratione nimia repleti cernunt obviam ſibi venientes quosdam equis ſedentes nobiles terræ illius, á quibus idem Prior Provincialis attentiùs requirere cœpit, utrum in loco illo, in quo præclarum illud palatium conſpexerant, aliquando viderint ſeu audierint à narrantibus ædificium aliquod extitiſſe. Qui firmiter aſſerebant, nullum omnino ibidem aliquando ædificium extitiſſe. His auditis ipſe, & qui cum illo erant, ſtupore miraculi, quod fecit Dominus, & oſtendit eis, magis magisque attoniti reddebantur, voce unanimi

laudantes magnalia Salvatoris. Credidit ſanè dictus Prior Provincialis, matronam illam fuiſſe Matrem Domini noſtri JESU Chriſti, quæ tantâ benevolentiâ eos in ſuum palatium ſuſceptos miſericorditer in ſuis neceſſitatibus procurârit. Denique
Pſal. 134. ipſe Dominus, qui producit ventos de theſauris ſuis, ipſe quoque pro ſolamine ac ſalute ſuorum fidelium, videlicet ejusdem viri ſanctiſſimi & neptis ejus, hujus felicis Sororis Gertrudis, regale illud palatium voluit ſubitò fieri & conceſſit, quod ſicut ſub unius noctis tempore repente absque humano opere eſſe cœpit, ita craſtina diei luce exorta ad nutum imperantis in nihilum eſt redactum. Sicque tandem, ùt præmiſimus, multis terrarum ſpatiis peragratis cum difficultate & labore Columbariam pervenerunt. Ipſa verò ad conſortium hujus ſanctæ Congregationis recepta eſt cum gaudio in Sororem ob reverentiam & honorem ejusdem ſancti patrui ejus, qui nos paternè in vita ſua rexit, atque fovit ſpe-

ſpecialis dignationis gratiâ & favore.

Mox ut Monaſterium eſt ingreſſa, novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induit, de priſca converſatione, licèt valde laudabili, multò melior effecta, in veritate ſanctitatis & juſtitia omnibus diebus vitæ ſuæ ex tunc Domino deſervivit, ejus pro amore advenam & peregrinam ſe conſtantiſſimè exhibens huic Mundo.

Verùm quia quem diligit Dominus, corripit & caſtigat, ipſi nunquam ferè, ex quo ad nos venit, paternæ miſericordiæ correptio defuit. Per plures namque annos gravibus ac diuturnis eſt incommodis flagellata. Nullâ tamen infirmitatis moleſtiâ potuit à curſu deſiderii ſui, quo tota in Deum pergebat, aliquatenus retardari. At invaleſcente aliquando infirmitate corporis, & ipſa quadam animi præter ſolitum depreſsâ anguſtiâ & mœrore, pro eo, quòd Ordinis obſervantias, ùt vehementer deſiderabat, exequi non valebat, *Apoc. 3.*

aures

aures benigni Conditoris querelis pii murmuris pulſavit, dicens: *Nonne propter tuum nomen, Domine Deus meus, terrâ omniq́; cognatione meâ relictâ huc peregrinata ſum, ut tibi ſoli ſerviam & inhæream totâ mente? Nunc verò quotidiano languore tabeſcens inutilis facta ſum, minimè valens aliis Sororibus in laboribus Ordinis coæquari.* Tunc repentè divino ad ſe facto oraculo audivit corporeis auribus vocem dicentem ſibi: *Nondum eſt finis preſſuræ tuæ, anguſtiæ & doloris. Scias pro certo, ſcias, quia ſicut leo captam feram ſuis conterendo ungulis atque morſibus crudeliter laniat: ſic, ſic revera Dominus Omnipotens ſalubri diſpenſatione ſua non ſolùm aufert ſalutem corporis, verùm etiam nudum reddit hominem ab omni hujus vitæ delectabili & jucundo, cui guſtum internæ ſuavitatis in præſenti decreverit elargiri, & in futuro gloriâ vultus ſui in perpetuum ſatiare.* His ſanè divinis verbis ſuſceptis cum gaudio magno valde, tantam ſecuritatis gratiam de ſalute ſua perpetua

à Deo

à Deo ſibi cœlitus infundi ſentiebat, quòd ſe ab æterno prævisſam miſericorditer ad ſalutem à Domino ulteriùs minimè dubitavit. Manum quoque Domini ex tunc, quantumvis graviter ſe tangentis, portavit humiliter ac devotè.

Alio tempore ſedebat in lecto ſuo in dormitorio, utpote debilis & infirma, & ſubitò audire cœpit ſenſibiliter divinum quiddam voce mitiſſima nomine proprio ſe vocans & dicens ſibi: *Deſolata, deſolata, Gertrudis absq; conſolatione!* Et eadem ſecundò vox illa divina repetiit verba. Tunc illa, cui hoc audire divinitus eſt conceſſum, ſuſpiciens, ſcire volens, quæ eſſet, quæ ſibi talia loqueretur, ſciſcitando dixit: *Quid eſt hoc?* Cui protinus per divinum oraculum reſpondetur: *O ſi ſcires, quàm bonum, utile & ſalubre eſt homini deſolatum eſſe ſuper terram, & carere conſolationibus infirmorum!* Hac cœleſti voce admonita terrenas conſolationes, præter neceſſaria, ſine quibus iſta vita aliter tranſigi non poteſt,

poteſt, devoto animo recuſavit. Unde veraciter dicere potuit cum Pſalmiſta: *Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectata ſum.*

Pſal. 76.

Porrò ſatìs admirabilem divinæ dignationis ſuæ gratiam benignus Dominus huic in primordio converſionis ſuæ prærogare miſericorditer dignatus eſt. Admirabatur ſanè tunc temporis multùm nimis, cur hoc nomen *JESU* præ aliis nominibus impoſitum fuerit immenſo & excelſo Domino, quando viſibilis in terra apparuit factus homo. Cui cum admiratione ſæpius hoc tractanti ſuavis ac mitis Dominus, clarâ ſenſibilique voce loquens linguâ Teutonicâ injunxit, ut imponat ſibi nomen aliud, videlicet nomen novum, quod os Domini nominavit: *Tu*, inquiens, *vocabis me: Æternus, paternus amor plurimus.* Et dixit: *Hoc mihi nomen eſt.* His mellifluis Domini verbis gratiſſimè perceptis cor ejus in ſemetipſa liquefiebat præ immenſa divini amoris dulcedine, nec ſuavitate illius ſanctiſſimi Nominis Salva-

Salvatoris, tantâ dignatione ſibi commiſſi, potuit aliquatenus ſatiari.

Accidit præterea ei in inſigni die ſolennitatis Dominicæ Nativitatis quoddam miraculum per omnia memoria dignum largâ Dei benignitate. Nam cùm ſacratiſſimæ illius noctis vigilias in longum nimis, ùt moris eſt, protelatas pſallendo & orando in Choro cum Sororibus devoto animo transegiſſet, finitis omnibus ad divinum officium pertinentibus lectum intravit ante auroram parvâ temporis horâ, ut divinum diei ſervitium deinceps peragendum exſequeretur animo promptiori. Sicque in ſomnum quidem tenuem, & quaſi ſemivigilans reſoluta, audire cœpit vocem excitantem ſe & dicentem: *Surge velociter, ne moreris, quia agape ſeu larga eleemoſyna nunc in Eccleſia largietur.* Ad hanc vocem à ſomno protinus excitatur, & reſpondens voci excitanti ſe dixit: *Non eſt verum. Agape enim nunquam eſt apud nos aliquando, præſertim in Eccleſia noſtra, & hac horâ temporis, diſpen-*

diſpenſata. Cui iterum per divinum oraculum voce ſenſibili reſpondetur & dicitur: *Absque dubio verum eſt, quia F. Wernherus de Erlebach* (qui etiam Confeſſor tunc temporis Sororum hujus Monaſterii fuit) *Agapen mox in Eccleſia miniſtrabit, &, ſi continuò non ſurrexeris, fraudaberis illa.* Et idem divinum oraculum adjecit iterum, & ait: *Scias, quòd Agape ſive ſolennis Eleemoſyna poſtmodum de die vobis in Choro ſimiliter diſpenſetur.* Quibus auditis citiùs ſurrexit, & feſtinatò venit in Chorum audiens Miſſam ad auroram: *Lux fulgebit*, jam inceptam fuiſſe in Choro à Sororibus ac cantari, & eundem nihilominus Fratrem, de quo dictum ſibi fuerat divinitus, quòd foret in Eccleſia Agapen diſpenſaturus, eandem Miſſam pariter celebrare. Ex quo apertè cognovit per largam eleemoſynam tam in Choro, quàm in Eccleſia miniſtrandam ſecundùm cœleſtis oraculi denuntiationem, veraciter deſignari vivificum Altaris Sacramentum, quod in Miſſis omnibus

bus ritè celebratis conſecratur & offertur nobis gratis liberali munificentia Redemptoris.

Accidit ei præterea altera vice huic quiddam ſimile non minùs forſitan memorabile & motivum. Ipſa namque die quadam retro Chorum ad orationem ſe tempore divini officii collocârat, non valens ex infirmitatis ſuæ crebra moleſtia cæteris Sororibus ad pſallendum ſtantibus coæquari. Canone verò Miſſæ incipiente repente ſomnus arripuit eam. Et vidit per ſomnium ſacerdotem quendam inſigniis ſacerdotalibus indutum de Eccleſia chorum intrantem, qui tenebat in manibus ſuis calicem eburneum candidiorem nive, in quo carnes erant aureæ pariterque colore roſeo gratiſſimè micantes, in parviſſimas tales inciſæ minutias, quales carnium minutiæ ſolent in die Paſchæ in Eccleſia benedici. Et hunc his delectabilibus refertum epulis calicem eidem Sorori ſacerdos ille benignè obtulit ad videndum. Quas ut vidit, ardenter nimis ex eis

refici deſiderans, multis inſtabat precibus ſupplicando dicens: *Obſecro vos Dei pro amore, Domine Reverende, quòd præbeatis mihi de his nimiùm delicioſis carnibus ad edendum.* Cui ille reſpondens ait: *Modò ad veſcendum tibi minimè concedentur.* Verùm ipſa potiùs inſtabat obnixiùs implorando. Econtra ſacerdos ſemper denegabat ei, quod petebat: *Non enim fas eſt*, inquit, *tibi, quòd modò eas accipias & manduces.* At illa: *Cur deguſtare eas modò mihi non licet?* Tum ſacerdos ait illi: *Propterea his carnibus non veſceris, quoniam dum excoctæ fuerunt, illic præſens minimè extitiſti.* His auditis ſtatim viſio illa diſparuit, & ipſa à ſomno protinus excitatur. Intellexit utique per aureas roſeasque carnes, ſibi per ſomnium demonſtratas, divinæ & humanæ naturæ ſubſtantiam certiſſimè deſignari, quæ in Altaris vivifico Sacramento veriſſimè continetur, ſeque fore donis illis cœleſtibus defraudatam: quia in hora conſecrationis & oblationis hu-

jus

jus diviniſſimæ hoſtiæ ſopor ſibi irreperat, nec debitâ vigilantiâ divinis, ſicut oportuit, intendebat.

Mirificavit adhuc benignus JESUS miſericordiam ſuam in illa ſua ſolita pietate. Quodam namque ſero, finito quidem in Choro Completorio, conſpexit duas juvenes Sorores ſeorſum in ſecreto multo ſtudio pariter colloquentes. Quo viſo plurimùm mirabatur, quòd illæ in hora extraordinaria conferrent ad invicem ſic attentè. Et dixit: vadam & auſcultabo procul dubio, quid loquantur: ſeipſam tamen cohibuit propter Deum, nec acceſſit ad illas, ne & ipſa ſimiliter transgrederetur ſilentii diſciplinam. Sicque diu multumque reluctando evicit curioſitatis ſuæ deſiderium, & fugiens feſtinatò lectum intravit. Tunc repente effudit ſuper eam ſpiritum conſolationis & gratiæ mira largitas Conditoris, replens omnia interiora ejus ſuaviſſimo nectare dulcedinis divinæ, ita quòd præ immenſitate hujus gratiæ ſpiritualis ore fortiter obdurato, veſtibus

applicatis vix ſemetipſam continere aperto valuit à clamore. Cui inſuper totius confabulationis cauſam & verba colloquentium poſt Completorium Sororum ipſe benignus Dominus condeſcendens mitiſſimè revelare dignatus eſt. Verùm ipſa hæc omnia poſtmodum cuidam fide dignæ conſorori ſuæ ſecretiùs patefecit. Qua nimirum cauſam hujus extraordinariæ collocutionis attentiùs requirente, illa reſpondit & dixit: Nihil aliud fuit, quod ad invicem conferebant, niſi verba frivola & vana, & confabulatio fuit puerilis.

Denique apparuit aliquando viſibiliter eidem Sorori ſedenti in lecto ſuo quædam juvenis nuper tunc temporis defuncta Soror de noſtro Monaſterio, vultu hilari & jucundo, & in anteriori parte ejusdem lectuli ſedebat, ad ipſam ſubridendo dicens: *Dilecta Soror Gertrudis, noveritis indultum mihi eſſe ad vos à Domino redire. Loquamini ergo mihi, obſecro, quicquid vultis: mea enim præſentia procul dubio minimè vobis nocebit.*

Verùm

Verùm ipſa nimio terrore correpta, nec unum verbum loqui poterat. Videbat quoque diabolum ſub ſpecie tetri nimis clericuli ac deformis eandem defunctam Sororem à longe ſequentem, qui ſe abſcondit latitans ſub veſtibus ibi ſuper perticam dependentibus, quaſi videri erubeſceret. Cumque defuncta Soror aliquantulum expectâſſet, ut ſibi loqueretur, & illa nihil omnino reſpondere poſſet, dixit ei: *Caveatis vobis, bona Soror Gertrudis, ne de cætero brachia veſtra de manicis exuta, ſuper nudum corpus veſtrum ponatis, ſicut hactenus facere conſueviſtis, & orate pro me, quia nondum promerui videre faciem Salvatoris.* Et his dictis ſtatim receſſit ab ea. Clericulus autem, qui videbatur, confeſtim ſubſecutus eſt eam.

Sanè illa beata, de qua loquor, in divinis conſolationibus & gratia chariſmatum plurimùm eminebat. Sedens namque propter continuas infirmitates ſuas in grabato ſuo die ac nocte, interim meditans atque orans,

 fre-

frequentiùs perſenſit utrumq; ipſius hominem ineffabili ſuavitate cœleſtis conſolationis & gratiæ totum ita mirabiliter delibutum, quòd nullum membrorum ſui corporis ſeu etiam minimum movere digitum prævaleret præ immenſa, ùt dixi, hujus gratiæ dulcedine, qua feliciter debriabatur de torrente voluptatis divinæ, ſuperna deſuper aſpirante gratia. Videbatur ſanè inſuper ſibi in illa hora felici, quaſi totus circumquaque lectus ejus, in quo ſedebat, divinæ charitatis ardore ac dulcedine pariter plenus foret. Dumque tali fruitione divinitus ſibi conceſſa felix potiretur, repente immiſit in os ejus largitas divina quædam mirifica nova rhythmyca verba, profectò jucunda nimis & melliflua de ſummæ Trinitatis gloria & de Humanitate Chriſti ſanctiſſima & de gaudiis cœleſtis Hieruſalem, quæ antea non noverat, nec in cor ejus aliquando aſcenderant, quæ tamen poſtmodum firmiùs retinens dulciſſimè ruminabat. Unde non immeritò & ipſa

dicere

dicere quoque potuit cum Propheta: *Immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro.* *Pſal. 39.* Eadem tamen verba illi divinitus inſpirata poſtmodum à nobis attentiùs rogata cum devotione nobis maxima diſſerebat. Erant enim verba procul dubio fervida & ignita flaminis * Sancti Spiritûs, corda omnium noſtrum, cùm audivimus ea de ipſius ore, incendentia vehementer. Inerat quippe ei cum Deo familiaritas magna nimis, & tanta de ipſius pietate confidentia, quòd humanis verbis nequeat explicari.

* *f. leg.* flammis.

Tandem beata illa Soror vitam ſuam in bona converſatione conſummavit, illique eſt conjuncta, quem in terris poſita tota devotione concupivit ac jugiter requiſivit.

CAP. XLVII.

De Sorore Gertrude de Hattſtat, bonæ memoriæ.

EXtitit quoque in hujus Monaſterii ſacrario, quædam ſanctæ memoriæ Soror, nomine Gertrudis, dicta de Hattſtat*, à pueritia divino ſervitio à parentibus tradita, in quo ſub cura Ordinis & patrocinio almi Patris noſtri S. Dominici usque ad obitum ſuum Domino deſervivit. Fuit revera miræ puritatis & innocentiæ, & virginitatem mente & corpore integrè Dei munere conſervavit: erga Deum devota & timorata valde, conſcientiam ſuam ſcrupuloſiſſimè examinans & dijudicans, etiam in minimis negligentiis & peccatis, quæ dilluere ac purgare per confeſſiones aſſiduas non ceſſabat. Mira-

* Hattſtat *arx fuit in Alſatia uno miliari diſtans à Rubeaco civitate, in alto monte ſita, ſed anno 1466. deſtructa. Hodie vicus eſt.*

Mirabili quoque ingenio erat prædicta, prudens, diſcreta, decens & compoſita in moribus, affabilis & in omnibus gratioſa valde, prolesque nobilior illuſtrium Comitum Phirretorum.

Huic beatæ, cùm in ultima ægritudine, qua & mortua eſt, diutiùs laboraret, ante plures defunctionis ſuæ dies, accidit per divinæ conſolationis gratiam quoddam admirandum & omni acceptione dignum miraculum, quod verbis perpaucis breviter intimabo. Cùm ergo morbi violentia de die in diem graviſſimè invaleſceret, & ipſa in defectione magna quadam die decumberet in grabato, repente ſentire cœpit, non per ſomnium, ſed plenè vigilans, ſenſuque per omnia vigens inæſtimabilis dulcoris ſuavitatem faucibus ſuis infundi, ſuper mel & favum incomparabiliter dulciorem, quæ veluti fons vivus in ore illius ſcaturiens, utrumque ipſius hominem mirabiliter penetrando ſuaviſſimè perungebat. Tunc illa eandem infuſam ſibi cœli-

tus dulcedinem labiis & linguâ quaſi ſugendo cœpit ſæpius transglutire cum admiratione dicens: *O Domine Deus Pater miſericordiarum, unde eſt mihi hujus ineffabilis, & prorſus antè inexpertæ ſuavitatis dulcedo, quam experior?* Cui mox benignus Dominus clara & manſuetiſſima voce deſuper reſpondens ait: *Ego, Ego ipſe conſolabor te.* Ad hanc benigniſſimam Domini & impreciabilem promiſſionem tota in ipſa liquefacta eſt anima ejus igne divini amoris, & tantâ jucunditatis affluentiâ perfuſa, quòd præ immenſitate lætitiæ ſeipſam vix caperet.

Alio quoque tempore ante paucos dies, quàm de corpore emigraret, dignatus eſt eam iterum benignus Dominus mirificè conſolari. Quadam nempe die in doloribus ſuis ad Deum clamans, conſpexit ſubitò ſe involutam denſiſſimis tenebris ac vallatam. Cumque paveret nimium ac doleret, mox ſtella præfulgida, aureos de ſe radios emittens, exorta emicuit, quæ lucis ſuæ fulgore ex-

templò

templò prædictas tenebras effugavit, locum, in quo beata illa Soror erat, magno lumine perluſtrando. In cujus conſpectu ipſa exultavit lætitiâ magna ſuſpiciensque vidit Angelum Dei ſplendidum & coruſcum facie apud eandem ſtellam propiùs conſiſtere, quem cùm admiratione diutius intuebatur, in ipſius viſione plurimùm delectata. Ipſe verò Angelus dulci ac ſuavi nimis melodiæ incepit altiſſimè canere: *Abſterget Deus omnem Lachrymam ab oculis Sanctorum, & jam non erit ampliùs neq; luctus, neq; clamor, ſed nec ullus dolor.* Tria autem verba, quæ ſequuntur, videlicet: *Quoniam priora tranſierunt*, intermittens idem Angelus non cantavit. Quo apertè dabatur intelligi eidem Sorori divina gratia inſpirante, quòd adhuc oporteat eam pati acerbitates, mortis anguſtias & dolores, quibus ſuperatis fugeret ab ea dolor & gemitus, deincepsque gaudium & lætitiam ſempiternam obtineret Dei gratia opitulante. Iſta viſio glorioſa, quæ huic Sorori divinitus

nitus eſt conceſſa, duodecim vicibus eſt repetita, quam toties vidit tenebris dictis præcedentibus, & luce ſtellæ cum fulgore & cantu Angeli pariter ſubſequente.

Hæc beata Soror gravibus infirmitatum moleſtiis pœnè omnibus diebus vitæ ſuæ multipliciter afflicta durum nimis & diuturnum martyrium duxit. Curſu tandem præſentis vitæ peracto ſalutis ſuæ certitudinem tali prognoſtica viſione, quemadmodum præmiſi, meruit prævidere, atque Paradiſi gaudia nunc poſſidet cum gloria. Amen.

CAP. XLVIII.

De Sorore Hedvvige de Gevviler, felicis memoriæ.

DIcere vel breviter quædam, admodum pauca de multis, mihi comperta, cogit me laudabilis converſationis ſanctitas beatæ hujus quondam Monaſterii Sororis

Hedvvi-

Hedwigis de Gewiler *, cujus felix memoria tanquam favus mellis adhuc in noſtris cordibus indulceſcit. Agebat ſanè à prima die, qua intravit Monaſterium, usque ad obitum ſuum ſtrictam & arduam nimis vitam admirandam multis, paucis reverà imitabilem, quietem corpori ſuo minimè accomodans. Ordinem Patris ſui S. Dominici devota ſemper ſolicitudine conſervavit, nec retrò receſſit cor ſuum â tramite juſtitiæ, quam incepit. Mitis tamen erat omnibus & benigna, affabilis & jucunda, bonis denique moribus & virtutibus decorata.

Porro ad divinum officium in Choro ſummâ ſtabat ſemper vigilantiâ, devotè intendens pſalmodiæ altè canendo ſine intermiſſione: ſtudioſo ſuo ac jucundo cantu replevit Chorum, & dum vixit, præcipuè ſublevabat, & aſtantes Sorores ad pſallendum pariter excitabat. Dederat

* Gewiler *Vicus Alſatiæ non longè ab Ursvvier.*

derat etenim ei Dominus vocem bonam & ſonoram, quam in ejus ſervitio expendere pro viribus ſatagebat. Et licèt in multis ſemper foret officiis occupata, divino tamen officio in Choro intereſſe devota ſolicitudine continuè nitebatur.

Multâ & aſſiduâ profectò abſtinentiâ, aliisque pœnitentiæ operibus Soror hæc beata, de qua loquimur, corpus ſuum acriter caſtigavit, ſibi, minimè condeſcendens pro nomine Salvatoris. Raró namque pitantias, ſeu ova ad refectorium ſibi oblata, ſicut & cæteris Sororibus, comedebat, niſi interdum per obedientiam compulſa: tunc guſtavit parùm de eis potiùs quàm edebat, ſed ſimplici pulmento, cum butyro condito, ſeu legumine contenta. Sanè in ætate tenera monaſterium iſtud ingreſſa eſt, in quo per quadraginta annos Domino laudabiliter deſervivit, omnia ſtatuta Ordinis jejunia, & Eccleſiaſtica interim ſervans, nec cibos mutavit refectorii. Carnes quoque interim non edebat, niſi acutâ ſive aliâ

aliâ gravi ægritudine laboraret. Tamen per decem & ſeptem annos continuos, ante obitum ſuum omnino carnibus nunquam veſcebatur, licèt interim ſæpius doleret, eſſetque debilis & infirma, & tali recreatione pluries eguiſſet, niſi quod propter Deum vim ſibimet intulit vehementer.

Habebat bonam conſuetudinem atque ſanctam, quam in vita ſua indeclinabiter ſervavit, videlicet quòd in ſacratiſſima Dominicæ Nativitatis nocte, neque poſt completorium, neque finitis matutinis lectum intravit ad pauſandum, ſed in devotis orationibus atque hymnis per totam noctem illam & diem immobilis & pervigil perdurabat: Sicque in ſanctiſſima Paraſceve nocte ac die ſimiliter faciebat, tamen in Choro nocturno officio & diurno interfuit, cum multa vigilantia & devotione pſallens & vociferans inceſſanter. Pietas quidem Domini contulit ei in prædictis bonis operibus & his ſimilibus magnam perſeverantiæ virtutem,

tem, quibus illi profectò accrevit multiplex in futuro cumulus meritorum.

Inſuper pius Dominus ſæpe conſolatus eſt eam dulciter in ſecreto in ſuis orationibus, quas illi creberrimè obtulit & devotè. Orans namque ea quadam vice devotiſſimè coram Altari proſtrata pro anima fratris ſui, nuper defuncti, multis lachrymis & ſuſpiriis invocavit diutiùs ipſius clementiam, ut parcere illi â pœnis, quas promeruit, dignaretur, culpas ejusdem, quas contraxit in præſenti, miſericorditer relaxando. Cumque diutiùs ſic orâſſet, protinus audire cœpit corporeis auribus ſenſibiliter Deo largiente de Altari in ſublimi tanquam vocis fratris ſui cum gaudio dicentem ſibi: *Portio mea in terra viventium.* Facta hac voce in auribus ejus ineffabili gaudio exultavit, totis præcordiis gratias agens Domino, qui eam per illud divinum oraculum certificare voluit de ſalute animæ fratris ſui, de qua deinceps dubitare minimè potuit.

Prio-

Prioriſſa noſtra tunc temporis in quadam animi poſita fuit triſtitia non modica & dolore causâ Monaſterii, cui tunc præfuit. Eidem verò illa ſancta Soror, de qua hactenus locutæ ſumus, totis præcordiis medullitus compatiebatur, modis omnibus eam, quibus poterat, conſolando, quia illam valde ſpecialiter diligebat propter admirandam vitæ ipſius innocentiam & optimam converſationem à pueritia. Unde omni precum inſtantiâ cœpit indeſinenter Domini miſericordiam implorare devotiſſimè ſupplicando, quatenus eandem Prioriſſam ab omni tribulatione dignaretur clementiùs liberare, cauſam ſuæ mœſtitiæ in gaudium ſibi convertendo. Et cùm â precibus omnino non ceſſaret, affuit illi benignitas Salvatoris ſuâ ſolitâ pietate, dicens ei piiſſimè his verbis: *Cur ſic inceſſanter inſtas importunis precibus obtinere, ut Prioriſſa, pro qua rogitas, hac tribulationis adverſitate careat, quæ illi ad ſalutem procul dubio â me impoſita eſt, præſertim cùm illi ſit utilis & ſalu-*

ſalubris. Sanè illa Soror beata, quæ hæc verba Domini pretioſiora ſuper aurum & lapidem pretioſum audire meruit corporeis auribus, dictæ Prioriſſæ poſtmodum conſolationis gratiâ per ordinem enarravit. Ut autem ipſa audivit omnem tribulationem, quam patiebatur, piâ ſibi diſpenſatione Domini accidiſſe, qui quos diligit, miſericorditer corripit & caſtigat, ineffabiliter extitit conſolata, devotiſſimè gratias referens pro adverſitate prædicta, quam & poſtmodum lætanter & patientiſſimè ſufferebat.

Tandem beata illa Soror Hedwigis de Gewiler, quæ pretioſum monile in iſto Monaſterio extitit, cujus religioſam converſationem & ſanctam brevi ſermone deſcribentes finivimus, migravit ad Dominum Redemptorem, qui eſt merces ſuorum fidelium magna nimis.

CAP.

CAP. XLIX.

De beata quondam hujus Monaſterii Sorore, Margareta de Briſaco felicis recordationis.

INſerere huic operi neceſſarium duxi quædam mira & memoriâ procul dubio digna, veridicâ mihi relatione comperta, ad præconium admirandæ ſanctitatis, feliciſſimæ quondam Monaſterii de Underlinden in Columbaria Sororis Margaretæ de Briſaco* prædulcis memoriæ, quæ tamen multo tempore ſcribere diſtuli contra animi mei propoſitum, diverſis cauſis ab his, quæ mente conceperam, in iſto opere ſæpius impedita. Fuit enim Soror hæc beata, de qua loquor, fortis columna Dei, forma & exemplar prælucidum totius Religionis ac perfectionis, Regularis obſervantiæ conſervatrix præcipua & Zelatrix.

* Briſacum *civitas Brisgoia, in monte poſita ad Rhenum.*

Non piguit ergo eam ponere ſe murum pro domo Domini inſurgendo acriter contra cunctas Sororum hujus Monaſterii transgreſſiones & negligentias arguendo, admonendo, & inſtanter in Capitulo proclamando, modis omnibus elaborans, ut ſtatus ſanctæ Religionis in hoc loco, quem Dei dextera procul dubio plantaverat, inviolabiliter in perpetuum conſervaretur.

In primo ſiquidem ingreſſu ſuo in Monaſterium de ſub Tilia ſupradicta Soror Margareta viam perfectionis ita arripuit, ut meritò poſſit in perfectorum numero computari. Porrò ab omni recreatione, ſolamine & confabulatione hominum penitus ſe ſubtraxit, ut quaſi peregrina eſſe ac ſolitaria videretur. Silentium namque, quod ſanctæ Religionis eſt fundamentum præcipuum & ornamentum, in omni vita ſua ſtrictiſſimè tenuit. Præterea arctum nimis ſilentium per unius anni ſpatium ſibi indixit, in quo nec unum quidem modicum verbum locuta eſt, licet in officiis

ciis gravibus eſſet interim continuè occupata, exceptis duntaxat horis Canonicis aliisque orationibus ſuis devotis & Confeſſionibus, tempore debito faciendis.

Erat Soror hæc beata, de qua loquimur, in contemplatione divina ad Deum jugiter ſuſpenſa, licèt ſe dare per obedientiam exterioribus actionibus continuè deberet. Exteriores namque & interiores ſenſus ejus omnes ita indeclinabiliter in Dei ſervitio captivârat, quòd nunquam in omni vita ſua permiſit ſcienter in corde ſuo varias cogitationes & inutiles pervagari, quemadmodum ipſa ante obitum ſuum ſecretiùs retulit firmiter aſſerendo.

Rigidam profectò nimis & arduam vitam duxit. Corpus ſuum continuis vigiliis, jejuniis aliisque abſtinentiæ operibus incredibiliter caſtigavit, in nullo ſibi condeſcendens, de quibus pauca ſubjungam, ut ſciatur, quanto labore ac corporis caſtigatione, nec non perenni animi puritate hæc Deo dilecta Soror

regnum Dei legitimè certando expugnaverit & acceperit per gratiam
Matt. 11. Salvatoris ſecundùm illud: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ipſa namque ſingulis noctibus ſuper lapides prægrandes, poſitos cautè in lecto ſuo, unâ tantùm ſuperſtrata matta, quieſcere ſo-
Gen. 28. lebat inſtar Jacob Patriarchæ. Somni requiem maluit ita commutare ſibi in laborem potiùs & dolorem ſuper lapides duros cubando, quàm quietem aliquam ſuo corpori comodare.

In virtute abſtinentiæ incomparabiliter eminebat. Erat enim in cibo & potu temperantiſſima. In prandio ſiquidem pariter & cœna tantùm tribus vicibus perparum valde bibebat, & his contenta ſitim ſuam poſtmodum nullatenus aliquo potu ſedare voluit. Sanè in refectione ſua ſemper aut cinerem prælibabat, aut uvarum vinacia atque acinos vel pomorum aliorumque fructuum purgamenta projecta de ore cujusdam infirmæ Sororis, cui ipſa ex obedientiæ officio miniſtravit, in cibum

ſum-

ſumpſit in ſcutellæ ſuæ edulium ſecretiùs permiſcendo. Hoc revera ideo faciebat, quatenus tali facto cibus, quem ſumptura erat, magìs ſibi fieret horrori quàm delectationi, ſemetipſam durè nimis pro nomine Domini affligendo. Denique in prandio Sororibus duo pulmenta ſibi appoſita edentibus, ipſa uno tantummodo contenta, aliud in omni vita ſua, ſcilicet per quadraginta annorum ſpatia, abſtinendo ſibi ſubtraxit pro nomine Salvatoris. Interim verò per tanti temporis ſpatia nunquam piſces, nunquam pitantias aliquas, ſibi in menſa oblatas, nec racemos, neque aliorum quorumcunque fructuum poma guſtare voluit, ſed de omni cibo delectabili, quod palatum poſſet allicere, abſtinuit diebus omnibus vitæ ſuæ, niſi cùm nimis graviter ægrotaret.

Finitis Matutinis in Choro ſtatim nudis flexis genibus ſuper lapides prope Altare procumbens, diutiſſimè in oratione ad Deum maxima fervoris devotione ſuſpenſa immobili-

biliter permanebat usque ad ſignum, quod ſolet dari Sororibus, ut intrent locum dormitionis. Illud autem tempus, ſcilicet poſt Matutinarum finem usque ad dictum ſignum tantæ prolixitatis eſt, quòd integrum pſalterium interim dici poſſit, præſertim tempore hyemali. Verùm prædicto ſigno dato dormitorium ipſa aſcendit, nullum calefaciendi ſe poſtmodum requirens remedium tempore brumali. Sicque per multos annos etiam in nimio caumate æſtatis ſimiliter faciebat. Recreationem refrigerandi ſe ad ventum habere noluit. Sanè omnibus diebus Dominicis & feriatis tam in hyeme quàm in æſtate nunquam de choro recedebat, ſed in devotione præcipua ibi, quamdiu ſibi licuit, permanebat, ita ut Chorus videretur quodammodo adornari ex ipſius veneranda præſentia. Poſtmodum diebus aliis ſedens in laborerio intenta ſemper ac fideliter nimis operi manuum ad communem utilitatem ſerviendo, nunquam interim per quadra-

draginta annos voluit ſe ad parietes ſeu ad aſſeres appodiare.* ** i. e. reclinare.*

Præterire ſilentio non debemus magnam nimis & admirandam divinæ conſolationis gratiam, perpaucis, ùt credimus expertam, quam huic Sorori, verè beatæ, de qua loquimur, benignitas conceſſit Salvatoris. Raptam namque ſe usque ad præſentiam ſummæ Majeſtatis firmiter, quibus voluit, ſecretiùs aſſerebat, atque ſupra homines altiſſimè duce gratiâ elevatam usque ad conſpectum ſummæ Trinitatis, ubi experiri ac frui feliciter & deguſtare ſibi conceſſum fuit parvâ horâ & brevi morâ illud incomprehenſibile bonum, quod Deus eſt, & quod ſolum electis in patria reſervatur in præmium. Sanè in illa ſupracœleſti viſione in tantum deificata extitit per unionis Dei conformitatem, quòd miro modo & ineffabili eſſe in illo raptu meruit per gratiam, quod Deus eſt per naturam, & ita felici experientia in ſe pleniùs comprobavit veritatem Sacræ Scripturæ dicentis: *Ego dixi: Dii* *Pſal. 81.*

eſtis, & filii Altiſſimi. Supradicto-rum mirabilium exceſſuum gratiam huic Sorori beatæ veraciter per omnia, ùt retulit, contigiſſe minimè dubitamus, præſertim cùm ſancta ejus converſatio talis extiterit, quòd fidem verbis non adhibere nefas eſſe putaremus.

Reſtat adhuc dicendum nobis de mirificis gratiarum donis, quibus hanc dilectam ſuam multo tempore ante obitum ſuum pius Dominus ſingulariter in ſpe conſtituere dignatus eſt. Ipſa namque quodam tempore in oratione poſita, lachrymoſis cœpit precibus Domini clementiam invocare pro animæ ſuæ ſalute ſempiterna devotiſſimè ſupplicando. Cui humilium Conſolator benignus Dominus affuit ſua ſolita pietate, ac benigniſſimè conſolabatur eam certificando, quòd æternæ felicitatis gaudia, quæ ſibi ab æterno dare diſpoſuerat, foret procul dubio carne exuta corruptibili adeptura.

Adjecit iterum quoque Dominus facere miſericordiam ſuam magnam

gnam cum illa. Apparuit enim ei in Humanitate ſua ſanctiſſima evidenter & apertè, & clementiſſimâ indulgentiâ ſuâ remiſit illi omnia peccata, quæ commiſerat: ſicque omnibus peccatis hujus beatæ Sororis omnino conſopitis & deletis à facie Domini ipſius mitiſſima bonitate veraciter facta eſt una ex illis beatis, de quibus Propheta proloquitur dicens in Pſalmo: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* *Pſal. 31.*

Porrò benignus & ſuavis Dominus omnibus invocantibus eum, iterum divinæ miſerationis ſuæ reſpectu per divinum oraculum magnificè lætificavit eandem, prædicens ei, quòd carnis ſuæ onere depoſito absque pœnis purgatorii ad cœli gaudia foret volatu libero tranſitura, ineffabili ipſius clementia largiente. Verùm ſuper hæc Majeſtatis Dominus repromittere dignatus eſt huic Sorori, verè beatæ, quòd in hora exſpirationis ſuæ divinâ ſuâ præſentiâ adeſſe ſibi vellet, animam quoque ejus admirabili

mirabili dignationis gratiâ in ulnas ſuas ſuſcepturus, dulci Divinitatis ſuæ amplexu ſibi aſſociando in æternum & ultra. Sanè his pro maximis & nimis pretioſis conſolationum donis, divinitus acceptis à Domini benignitate, exultavit Spiritus ejus in Deo ſalutari ſuo in immenſum, nec valens pii amoris lachrymas præ magnitudine lætitiæ continere, multo ſtetit tempore in cordis jubilo.

Denique oratio ejus fuit fervida multùm & efficax coram oculis Salvatoris, per quam de facili obtinuit, quod petebat. Oranti igitur pro matre ſua defuncta apparuit ea ſibi vigilanti viſibiliter & ſtupenti, pœnis graviter cruciata. Super cujus afflictione Soror, quæ hæc vidit, vehementiſſimè movebatur, compatiens medullitus patienti, & cum lachrymis diutiùs oravit ad Dominum devotiſſimè ſupplicando, quatenus matrem ipſius à pœnarum vinculis abſolutam ad requiem perduceret ſempiternam ſua clementiſſima bonitate. Cujus preces & lachrymas benignus Domi-

Dominus, qui non deſpicit gemitus contritorum, continuò exaudivit ſua ſolita pietate. Nam non multò poſt apparuit ei iterum mater ſua viſibiliter ſplendida & gaudens, gratias eidem referens plurimas dixit, quòd propter orationum ſuarum eſſet inſtantiam liberata, moxque in Domini gaudium intratura. Et his dictis ab oculis videntis, & audientis hæc diſparuit, & ulteriùs non vidit eam.

Præterea frater ſuus carnalis, nihilominus defunctus, apparuit viſibiliter eidem Sorori vigilanti & oranti altera vice, quaſi totus igneus ex flammarum incendio, quæ de ipſo erumpebant. Ex cujus viſionis horrore Soror, quæ hæc vidit, tota contremuit timore nimio & pavore. Et interrogavit dicens: *Quis es tu?* Et ille: *Ego ſum frater tuus*, ait, *qui in his flammis peſſimè crucior ſine intermiſſione, & harum moleſtias pœnarum usq; ad diem judicii ſuſtinebo, juſto Dei judicio exigente.* Cui illa pia compaſſione ſaucia vehementer condoluit toto corde, gemituque & lachry-

lachrymis replevit aures Domini, die ac nocte indeſinenter Domini clementiam implorando, ut miſero fratri ſuo in ſuis dignetur anguſtiis & miſeriis ſubvenire; culpas, quibus iram meruit, miſericorditer relaxando. Cujus preces reſpexit miſericors & miſerator Dominus, nec deſpexit lachrymas ejus, ſed fecit miſericordiam celerem ad preces illius cum fratre ſuo, liberans eum de ſævis tormentorum pœnis, quas usque ad diem judicii peccatis ſuis exigentibus debuit ſuſtinere, longiſſimo illo pœnarum tempore in dies pauciſſimos breviato, ſuâ clementiâ largiente. Paucis ſiquidem diebus poſtmodum evolutis idem defunctus apparuit viſibiliter iterum eidem Sorori coruſcus facie, niveis veſtibus indutus de magna Dei miſericordia facta in illum, per ordinem ei, ut prædiximus enarravit, gratias eidem referens valde magnas. Sicque ipſa eum ulteriùs non videbat. Et ita eadem Soror tribus aliis defunctis plenam liberationem de pœnarum tormentis,

mentis, quæ diutiùs pati debuerant in purgatorio, ſuis devotis à Domino precibus impetravit.

Poſtremò ſancta hæc Soror curſum vitæ ſuæ laudabiliter conſummavit & dulciſſimo Domini noſtri JESU Chriſti amplexu felix fruitur ſine fine. Amen.

Sciendum ſanè, quòd ſanctiſſimum Monaſterium de ſub Tilia perfectis & omni Religione conſummatis Sororibus claruit, quas benignus Dominus de futurorum cognitione in hac vita nobilitavit, ac ſuorum effecit participes ſecretorum, de quibus pauca, quæ dicta ſunt, ad præſens ſufficiant.

Ego Soror Catharina ex Gebeswiler, à pueritia in eodem Monaſterio educata, hoc opus exegi.

Finis Libri Dominæ Catharinæ ex Gebesvvviler, de vitis primarum ſanctarum Sororum Cœnobii ſub Tilia.

Summa ſit Gloria Regi.

Appen-

Appendix.

CAP. I.

* *Vita Margaretæ Kentzingenſis, Sororis Laicæ Monaſterii ſub Tilia auctore R. P. Joanne Majero Ord. S. Dominici.*

MArgareta, Kentzingâ oppido Briſgoiæ oriunda, parentes habuit divites & honeſtos, à quibus benè profectò, ſed omnium tamen optimè à Spiritu Sancto, qui eam in benedictionibus dulcedinis ſuæ prævenit, inſtituta & educata eſt. Ut ad nubilem pervenit ætatem, cognati ejus valde pio & opulento mercatori illam nuptui dederunt. Ipſa verò ab infantia Deum timere, ſacramentalem confeſſionem frequentare, ſacris intereſſe concionibus edocta eſt.

Poſt-

* *Exſtat Germanicè in MS. Codice Cœnobii S. Agnetis, Friburgi Briſgoiæ.*

Poſtquam maritus eam domum traduxit, quædam provectioris ætatis virgo gravis, & rei familiaris perita illi adjuncta eſt, quæ curam ejus gereret, ipſam erudiret, & in omnibus dirigeret, cujus inſtructioni & directioni prorſus illi parendum foret. Pia fœmina propriæ ancillæ tam humiliter ſubjecta & morigera fuit, ut nusquam, ne ad propriam quidem matrem ſine ejus permiſſu ire præſumeret. Negatam interdum à Virgine matris inviſendæ licentiam modeſtè tulit, & ita obſequentem ſe præbuit, ut ejusmodi facultatem non peteret ampliùs, ſed expectaret, donec ipſimet Virgini viſum eſſet illam concedere. Hoc modo famulæ ſuæ obedientiam præſtitit, & in ſæculo adhuc matrimonii vinculo conſtricta propriam voluntatem fregit ob amorem & honorem obedientiæ, quam Dominus noſter JESUS Chriſtus Patri ſuo cœleſti usque ad mortem, mortem autem Crucis acerbiſſimam noſtri causâ exhibuit. *Philipp. 2.*

Maritus ejus, vir prudens & Senator civitatis Kentzingenſis æquo animo tulit, quin etiam vehementer approbavit, quicquid illa boni egiſſet. Erat enim & ipſe morum probitate ac pietate inſignis. Hanc quoque gratiam contulerat illi Deus, ut quandocunque in Senatu de flagitioſo aliquo ad ultimum ſupplicium condemnando agebatur, is interim innocentiſſimam Chriſti paſſionem & mortem animo revolveret, adeò ut ad rem propoſitam non multùm adverteret, ac vix interrogatus reſpondere poſſet. Ita inter hanc beatam matronam & maritum ejus ſanctum conjugium fuit, ut Chriſto Domino, omnium mundanarum animarum ſponſa eſſet acceptior. Conſueverat etiam ſingulis hebdomadibus ſemel conſcientiam ſuam exomologeſi perpurgare.

At poſt mariti è vita deceſſum optimam & tutiſſimam ſtrenuè ſanctéque Domino Deo ſerviendi viam eligens, ſaluberrimum Chriſti conſilium, jubentis ad perfectionem aſpi- *Lucæ 18.*

ranti

ranti vendere omnia & dare pauperibus ac ſe ſequi, arripuit. Nam unicam filiam ſuam in Monaſterio quodam Ord. S. Claræ divino mancipavit ſervitio, traditis propter Deum eidem Monaſterio omnibus facultatibus ſuis. Dehinc voluntarium amplexata exilium quinque annis in peregrinis regionibus oſtiatim victum emendicavit, magnamque ſui abjectionem & contemptum cum multifariis tribulationibus & miſeriis perpeſſa eſt. Venit autem Marpurgum, ubi in Noſocomio, à ſancta Eliſabeth extructo, ægrotantibus inſervivit.

Interim vitæ non minùs contemplativæ exercitiis dedita, petiit à Deo gratiam, ut omnium mortalium deſpectiſſima & abjectiſſima fieret. Quocirca ſingularem illi Deus afflictionem & infamiam, ſicut plerumque ſuis amicis ſolet, accidere permiſit. Nam furti & aliorum quorundam criminum inſimulata eſt. Cùm autem nihil opponeret, ſed Domino Deo totam ſe reſignaret, atque ad ipſam etiam mortem offer-

 ret,

ret, capta & ad judices pertracta eſt, qui ſententiâ latâ eam aquis ſuffocandam decreverunt. Dum verò homines, ùt fit, undique concurrerent, divina diſpenſatione contigit quendam venerandum ſacerdotem, popularem ejus, ob cauſas aliquas eò loci agere. Cùm is hanc ſanctam matronam jamjam ad mortem ducendam diligentiſſimè contemplaretur, ſtatim eam agnovit, & de tanto illius infortunio obſtupuit, judicique & aliis dominis retulit, quàm honeſta perſona ipſa eſſet, quamque ſpectati & pii homines parentes & maritus illius fuiſſent: Non igitur veroſimile eſſe tantis ipſam ſceleribus ſeſe obſtrinxiſſe. Illi diligentiore inquiſitione facta, ejusque innocentiâ comperta in pace illam dimiſerunt.

Sed quandoquidem verè humiles gloriam momentaneam fugiunt, & ab hominibus laudari renuunt, immò teſte S. Gregorio, à Mundo prædicari animum ipſorum excruciat, idcirco beata fœmina Margareta ex illa regione diſceſſit, ſecum,

quid

quid poſthæc ſibi faciendum, deliberans. Verùm animum illius ſubiit ſeſe ad magnum Dei amicum cum ſociis ſuis in ſuperiori Germania, in monte Voſago degentem, conferre, de quo ſupra modum multa laude digna inaudierat, nempe, quòd à puero devotiſſimè Domino Deo ſerviiſſet, & jam ſenex omnium rerum divinarum & ad animarum ſalutem pertinentium maximam haberet cognitionem atque experientiam. Et prorſus ita erat. Nam hic vir Dei unus illorum quinque ſanctorum virorum eſt, de quibus libellus quidam tractat, immò ſanctitate & perfectione præcipuus illorum. Hic eſt ſanctus ille vir, qui Magiſtrum* Theologiæ Ordinis Prædicatorum, ſaluberrimum ſpirituale Alphabetum juxta ſeriem literarum edocuit, eumque virum ſanctum effecit. Intimus Ruolmanni Meerſchwini amicus fuit, quem re & conſilio juvit, ut religioſa vita ad ſanctum Joannem in Viridi

* Jo. Thaulerum *Prædicatorem Coloniæ celeberrimum.*

Wærda Argentinæ inſtitueretur. Multa quoque alia ſupernaturalia & ſublimia Dominus Deus per hunc dilectum amicum ſuum operatus eſt, utì magna ex parte Latinè & Germanicè in memorata religioſa domo Wærdæ Viridis literis * conſignatum eſt.

Ad hunc ſanctum virum magno labore B. Margareta profecta eſt, quem ex ſingulari Dei diſpenſatione in propria manſione reperit; aliàs eum adire non potuiſſet. Totam illi vitæ ſuæ ſeriem aperiens conſilium petiit, utì deinceps in via Dei progredi, & quodnam vitæ genus, quod Deo acceptiſſimum & honorificentiſſimum foret, complecti deberet. Reſpondit ille, præter Monaſterium Stainbacenſe in Alſatia aliud Cœnobium monialium eſſe Colmariæ, ſub Tilia dictum, Baſilienſis diœceſis, ad diſciplinam monaſticam juxta omnes Ordinis Prædicatorii conſtitutiones perfe-

* *Quædam etiam habentur in vita Jo. Thauleri, præfixa operibus ejus à F. Laurentio Surio Latinè redditis.*

perfectè reformatum: conſulere ſe, ut ſub obedientia illic viveret, Ordinemque ceu humilis ſoror laica ſuſciperet.

Poſſet hìc quiſpiam cogitare, quo pacto Dei amicus in ſuperiori Germania, qui Ruolmanni Merſchwini familiaris amicus dicitur, huic Sorori æquævus fuerit, qui tamen omni ſanctitate multò antè in florida ſua ætate legitur claruiſſe, videlicet anno Domìni milleſimo trecenteſimo, quinquageſimo, qui fuit jubilæus tempore Clementis * Papæ. Sed ſciendum, hunc amicum Dei diu admodum in hoc ſæculo vixiſſe uſque in profundiſſimam ſenectutem. Longè namque centeſimum ætatis annum prætergreſſus, eſt, quod dudum ei Dominus prædixerat, ſimulque monuerat, ſeſe hac in parte reſignaret, tantamque vitæ prolixitatem libenti animo perferret.

Margareta hujus ſancti viri conſilio acquieſcens, in prædicto Mona-

Cc 4 ſterio

* *Fuit hic Clemens ſextus, creatus anno 1342, mortuus anno 1352.*

ſterio ſub Tilia Soror laica facta eſt anno ætatis ſuæ quadrageſimo, ubi poſtquam aliquot annis religiosè ſanctéque vixit, illinc ab Ordine cum aliquot aliis Sororibus Baſileam miſſa eſt pro Cœnobio ad Lapides ibi reformando. Poſita fuit Senioribus ejusdem cœnobii Sororibus in exemplum Religionis & ſanctitatis. At illa indignam ſe iſto honore duxit. Tam autem conſpicuam virtutibus ibi vitam egit, tantaque univerſas charitate proſecuta eſt, ut de beata ejus converſatione Sorores plurimùm fuerint ædificatæ. Officia Rotulariæ & Vice-Procuratricis illi demandata ſunt. At cùm ſæpius, quando Procuratricem in computis, ſcriptionibus & aliis hujusmodi externis operibus juvare debebat, ex fortiſſima ſui introverſione & Spiritûs mirabili devotione à ſenſibus corporis abſtraheretur, ea illi officia iterum adempta ſunt. Crebras in menſa, & poſt ſumptam S. Communionem ob æſtuantiſſimum ſuperamabilis Dei amorem extaſes paſſa eſt. Die, quo ſacro-

ſacroſanctum Altaris Sacramentum perceperat, parùm comedebat. Pleriſque temporibus in Choro orationi vacabat, ubi propter frequentes mentis exceſſus clauſa illi ſedes conſtructa eſt. Porro paucos aliàs ſingulares modos & conſuetudines præ reliquis Sororibus habuit, niſi quod rarò locuta eſt, neque ad rotam aut feneſtram collocutoriam, etiam à nobilibus & honeſtis perſonis vocata, priùs ſe contulit, quàm id ad conſcientiæ ſuæ pacem & tranquillitatem ceſſurum intra ſe ſenſiſſet. Quando externum vel verba ſaltem promere audivit, ſtatim Dei munere intellexit, quo in ſtatu vel gradu meritorum is apud Deum eſſet. Unde plus minusvè cum illo conferre poterat.

Dum in Vigilia quadam Nativitatis Chriſti magnum Capitulum celebraretur, & verba omni acceptione digna, quibus annuntiaretur ſalus noſtra, ſacratiſſima Verbi Patris æterni Nativitas ſecundùm carnem, altiori voce legerentur, nimirum: *JESUS Chriſtus Filius Dei in Beth-*

leem Juda naſcitur, ipſa Soror dulciſſima hæc verba & mirabile nuntium ſumma percepit devotione, & ſecum ſtudioſiſſimè perpendit, quàm ſtupenda charitate Deus propter nos miſeros peccatores homo factus eſſet, quamque profundè celſiſſima ipſius Majeſtas noſtri causâ ſe demiſiſſet atque exinaniîſſet. Hinc anima ejus è tam ſtupenda divini operis contemplatione, tanta admiratione obruta, tantaque ſuavitate perfuſa eſt, ut eâdem Vigilia in menſa alta voce exclamârit: *JESUS Chriſtus Filius Dei &c.* Interim caput inclinans, & mentis exceſſum patiens. Sicque Spiritu abſorpta usque ad Veſperam ad menſam reſedit.

Cùm autem Dominus Deus chariſſimam filiam ſuam propediem ex hoc Mundo ad ſe vocare deſtinâſſet, priûs eam ſibi optimè præparare voluit. Unde gravibus eam morbis afflixit; maximè autem ſacro igne, ùt vocant, ſeu carbunculo alterum ejus crus fœdè intumuerat, è quo tam putida ſanies diu noctuque emanavit,

navit,ut crebrò Sorores ei inſervientes inde in morbum inciderint. Quantumvis autem acerbos atque intolerabiles dolores pateretur, nunquam tamen ad impatientiam concitata eſt, nec eos ſibi â Deo mitigari popoſçit. Immò ſi ipſi placuiſſet eodem modo etiam alterum crus excruciari, id illi perquam gratum fuiſſet. Quando Sorores eam, alioqui proceræ ſtaturæ fœminam, lecto deponentes fortè fortunâ duriuſculè crus malè affectum contrectâſſent, vel aliquò impegiſſent, & ipſa væ væ! exclamâſſet, admodum ſeverè propter hoc verbum ſe increpabat dicens: *Viliſſima peccatrix, & fætide ſacce, quare non recolis, quàm miſerabiliter & doloroſè Dominus noſter JESUS Chriſtus tribus clavis transfixus in cruce pependerit?* Cùm verò Deus finem doloribus ejus imponere,ſanctamque converſationem in cœlis remunerare vellet, perceptâ SS. Euchariſtià (qui ultimus ejus cibus fuit) nocte ſacratiſſimam Nativitatis Chriſti Vigiliam,qua magnum

Capi-

Capitulum celebratur, præcedente, beato fine quievit Anno à Chriſto nato MCCCC.

CAP. II.

Vita Sororis Eliſabeth Kempfin Colmarienſis, dulcis memoriæ, à quadam ſanctimoniali Underlindenſi, ejus æquali, Latine ſcripta.*

COgitanti mihi nuper ſolicitiùs iterum atque iterum, quomodo & quibus verbis vitam deſcriberem matris noſtræ prædilectæ, felicis memoriæ, Sororis Eliſabeth Kempfin, cogitatuque meo in diverſa vagante, dum in me tandem reverſa eſſem, menti incidit verbum hoc in prologo libri *vitas beatarum Sororum hujus Monaſterii* conſcriptum, hoc videlicet, beatum Monaſterium noſtrum, ſub Tilia dictum, benè

* *Habetur in M. S. Codice Monaſterii Underlindenſis, unde hic datur ſtylo immutato.*

benè nominari poſſe *Hortum concluſum*, & *Hortum delitiarum*, ùt ſcribitur Cantic. 4. *Hortus concluſus es.* Et in eodem libro. Cap. 6. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, ut paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Dilectus hic, quaſi ſæpiſſimè abiens, deſcendit in hunc ſuum hortum aromatum, colligens ac decerpens roſas liliaque, ubi invenit roſam unam odoriferam, omnique ſuavitate redolentem. Roſam velim, intelligas, patientiæ & caſtitatis eam, ùt piè credimus, ſibi aſumpſit, atque cœleſtis Patriæ in gloriam transvexit, transplantandam, conſerendamque in cœleſtis gloriæ coronam, felicem hanc matrem noſtram Eliſabeth Kempfin putaverim, de qua ſermonis noſtri fuit initium.

Beata hæc Soror à ſexto ætatis ſuæ anno usque ad annum ſeptuageſimum vixit in hoc à Deo benedicto Monaſterio ſine quarumcunque Sororum querela. In ætate quoque puellari mirandæ extitit devotionis, atque

atque in Dei, ſupra quàm credi poteſt, ardebat dilectione, quem totis præ cunctis hujus Mundi delitiis gaudiisque optavit conatibus adipiſci. Cumque aliquando, ùt moris eſt, aliis ſuis conſodalibus poſt completum divinum officium, cæterasque ceremonias Ordinis, data fuiſſet licentia à Magiſtra Novitiarum ad hortum, ad habendas recreationes, optavit eſſe cunctis hujus Mundi ſpretis delitiis in choro cum dilecto ſuo crucifixo Chriſto. Et quanquam ab aliis ſæpè rogata atque illecta, eas tamen ſequi noluit, quamvis etiam ſæpius verberata atque tentata. Quæ omnia patienter atque libenter, quia patientiſſima erat, ſuſtinuit. Cùm etiam nonnunquam à Magiſtra ſua correpta, atque diſciplinata propter parvos quoscunque exceſſus fuiſſet, totum hoc in Chriſti ordinabat paſſionem atque flagellationem: quæ ſine fletu ita patienter ſuſtinuit, ut Magiſtra ſæpius admiraretur quàm plurimùm.

Beata hæc Soror Eliſabeth quàm pluri-

plurimis à Deo dotata erat beneficiis & gratiis. Magnæ erat ſapientiæ, magnoque ingenio atque intellectu pollebat vivaciſſimo, ita ut muliebrem intellectu atque ſapientiâ viſa ſit excellere naturam.

Notabiliter etiam erudita erat in Scripturis, uti apparet in quàm plurimis libris, quos de Latino transtulit in vulgarem, in earum conſolationem Sororum, quæ Latinum ignorabant, & adeò magiſtraliter, ut à nullo literas ſciente in aliquo, etiam minimo, queat reprehendi, in quibus non pauca Sororum Provinciæ Teutoniæ Monaſteria conſolantur, illuſtrantur, lætificanturque.

Beata hæc Soror in Magiſtrum ac Doctorem ſanctum elegit Auguſtinum, quem magno habuit in honore, ſummeque dilexit, ita ut brevi temporis ſpatio ſuam præcelleret Magiſtram, ut ſæpius à diſcipula ſua informaretur. Ut autem oſtenderetur, quantùm S. Auguſtino ejus, quam ad eum habuit, placeret devotio; oſtenſum eſt ei in quadam viſione,

ſione, qua vidit S. Auguſtinum ad ſe venientem in ornamento Epiſcopali, qui apprehendens manum ejus dulciter & amicabiliter allocutus eſt eam, dicens: *Tu ſemper mecum eris.* Quæ è contrario reſpondens inclinato capite, hilarique vultu maternâ linguâ dixit: *Hoc mihi det Deus.*

Sed quàm accepta & dilecta fuerit Deo, demonſtratum eſt in tribus annotatu dignis, nobis notis ſignis, quanquam haud dubium majora ei Deus dona, quæ nobis ſubticuit, præſtiterit: plena enim erat omni humilitate, ut eam florem dicere poſſim humilitatis. Quadam vice eâ humiliter in venia jacente in Choro coram Altari, Soror quædam ſtellam pulcherrimam ſupra caput ejus conſpexit. Quæ videns retrò altare proceſſit, ut eò certiùs cognoſceret, quid hoc eſſet. Ubi vidit beatam Sororem Eliſabeth elevatam de venia, & faciem ejus gratioſam ſplendentemque tanquam faciem Angeli. Habuit enim à natura faciem gratioſam; ita ut deſiderabilis valde eſſet cum

cum ea habitantibus. De qua etiam aliquæ Novitiarum, de quibus certitudinaliter comperi, tam magnificè ſunt illuſtratæ ejus in cohabitatione, ut videretur eis, ſe habitare cum Sancta vivente, & eis omnis eò levior fieret labor.

Erat quædam Novitia quàm maximè tentata de exitu Ordinis, ita ut omnino in Monaſterio perſeverare nollet. Quodam igitur tempore ea in ambone coram imagine Virginis glorioſæ orante, & B. Sorore Eliſabetha etiam ante Altare in devotione jacente, vidit columbam nivei candoris ſuper caput ejus ſedentem: & ab eo tempore diſceſſit à Novitia omnis ſua tentatio, ut magno cum gaudio beatam ſe diceret, ſi morari cum tam ſanctis hominibus poſſet, & manſit in Monaſterio usque ad diem obitus ſui.

Tertium ſignum oſtendens, quàm dilecta, quamque fuerit accepta Deo, hoc erat. Soror quædam gravi decumbebat infirmitate, cui videbatur, quòd Angelus ſuus ad ſe

diceret: *Veni mecum ad Chorum, ubi Redemptor, Conſervatorq́ Mundi in propria perſona Miſſam eſt celebraturus.* Et factum eſt Deo Miſſam celebrante, ut unusquisque Angelorum ſibi commiſſam Sororem ad Altare duceret ad offerendum; Angelusque B. Sororem Eliſabeth etiam adduceret. Et accepit eam Dominus JESUS intra divinum ſuum brachium, & vertendo ſe oſtendit eam Conventui dicens: *Iſta eſt, quæ à vobis contemptui habetur, nulliusque eſt reputationis: verumtamen magna eſt in conſpectu meo, mihiq́ acceptiſſima.* Quo dicto amicabiliter eam amplexatus eſt dicens: *Non diutiùs ſic permanebit.* Sicque cum magna reverentia Miſſa finita eſt. Dixitque Angelus ad Sororem illam infirmam, cui hæc oſtenſa ſunt: *Ut ſcias, hæc, quæ vidiſti, non ſomnium, ſed vera eſſe, quinto decimo die ab hoc ſæculo migratura es.* Quod & factum eſt.

Nos igitur timebamus (dixerat enim Dominus: *Non diutius ſic eam permittam*) ne nobis auferretur. Sed voluit

voluit eam Dominus ponere ſuper candelabrum, ut lumine ſuo nobis luceret. Sicque per candelabrum regiminis hujus ſanctæ Congregationis ſedit annis ſedecim continuis in officio Priorissæ, in quo lucebat magna cum reverentia bonorum operum & morum, nobisque præfuit, laudabiliterque rexit, ita quòd adminiſtratio ſua in rebus tam ſpiritualibus quàm temporalibus Sororum diſplicuit nulli. Quam ob rem in magna à Superioribus noſtris habita eſt reverentia & honore.

Accidit quoque quadam vice Magiſtro noſtro Reverendiſſimo Conrado Aſt*, in Monaſterio noſtro viſitante, ac cum ea Latinè loquente (ignorabat enim idiomatis noſtri loquelam) magnificavit eam dicens, ſe non putâſſe, talem poſſe inveniri mulierem. Quæ multa erga eum inſtitit petitione pro ſua abſolutione ab Officio Prioriſſæ. Et cùm eam contriſtare nollet, dimiſit ei in ſcriptis

* *Fuit hic trigeſimus Generalis Magiſter Ord. Prædicatorum, electus anno 1462.*

abſolutionem. Qua perlecta tanta inter Sorores exorta eſt turbatio, ut ſine mora ad Vicarium mitteretur nuntius, reelectaque fuerit à toto Conventu, & denuò confirmata in officio, quanquam multùm reſiſteret, in quo fideliter laboravit, quàm diu vires ſuppetebant.

Cùm autem juxta dictum Salvatoris Apoc. 3. quos amat Dominus, arguit & caſtigat, annis plurimis, multis magniſque decubuit pœnis diverſiſque infirmitatibus depreſſa, ut diceret ſe non majorem habere conſolationem ſuis in infirmitatibus, quàm memoriam inferni & purgatorii pœnarum, ac conſiderare, quòd Deus diſpoſuerit eam ſic hìc caſtigare pœnis temporalibus, ut ei parceret in futuro, eamque cuſtodiret ab æterna damnatione. Omnem autem ſuam infirmitatem doloremque tanta ſuſtinuit patientia, ut plurimùm miraremur, eoque ei ampliùs compateremur, & Sorores omnes ad fletum commoverentur. De tam vehementi autem dolore in tantam bis deve-

devenit infirmitatem, ut nulla eſſet ſpes de vita ipſius. Nos autem tantâ erga Virginem glorioſam, Domini Matrem inſtitimus petitione, quatenus nobis impetrare dignaretur à dilecto Filio ſuo, ut nobis dilectam matrem noſtram diutiùs dimitteret. Quæ benignè reſpondens taliter nos affata eſt: *Dominus iterum exaudivit preces veſtras, vultq́ʒ me diutius vobiscum permanere.*

Beata autem hæc Soror tantæ erat gratiæ & bonitatis, ut omnes Sorores in cunctis ſuis adverſitatibus & tribulationibus ad eam confugium haberent ſingulare, ita ut eam in infirmitate fatigaremus. Ipſa autem patienter & libenter ſuſtinebat, & nullam ſine conſolatione à ſe diſcedere permittebat. Quare eam dilectam Deo & hominibus benè dixerim, cujus nunc memoria in benedictione eſt.

In omni vita ſua illam habebat conſuetudinem, cum quibuscunque eſſet perſonis, aut loqueretur, ut ſemper ſuos ſermones temperaret

cum nomine Chriſti JESU crucifixi, ne à corde ſuo ejus diſcederet memoria. In omnibus etiam ſuis & Conventûs neceſſitatibus primum ſuum confugium habuit ad dilectum ſuum Crucifixum, & ad Matrem ejus, quam in ſumma habebat dilectione & devotione, utì apparet in quàm plurimis pulchris, quos de Latino ejus in honore collegit, libris, ſicuti cùm quis flores odoriferos ex prato colligit ſuperabundanti.

Demum termino vitæ ſuæ feliciter completo in gravem incidit infirmitatem. Sed nos iterum, ùt ante feceramus, pulſabamus & implorabamus miſericordiam Chriſti, infinitam fiduciam habentes ſervandi matrem noſtram dilectam. Quòd cùm vidiſſet, benignè nos allocuta eſt in hunc modum: *O filiæ chariſſimæ quieſcite: Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.*

judex. Dominus Deus & Sancti ejus hac pro cauſa nolunt exorari. Quapropter ſecuriſſimè ab hac diſcedam vita, nec ampliùs ab hac reſurgam infirmitate. Quo dicto præparavit ſe, & ſe ipſam ſine juvamine cujusque ad lectum poſuit, à quo non diſceſſit, donec feliciter Deo redderet ſpiritum, cum quo nunc vivit, & in quo æternaliter fruitur abundantia omnis boni. Benedictus Deus, qui facit mirabilia magna ſolus, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum Amen. Beata hæc Soror diſceſſit ab hac vita in ipſo die beati Dionyſii Martyris Doctorisque egregii, Anno Incarnationis Domini 1485.

CAP. III.

De Elizabeth de Neüſtat, Virgine Adelhuſana Ord. S. P. Dominici.*

SOror Elizabeth ex Neüſtat, pago Herciniæ ſylvæ, vixit ſeptuaginta circiter annos in Monaſterio Adelhuſen propè Friburgum Briſgojæ. Longo tempore paralytica decubuit. Propter diutinam infirmitatem peculiare ei conclave attributum, in quo maxima ex parte ſolitariam vitam egit paucis ad eam venticantibus, & ferme non niſi extrema neceſſitate poſtulante. Deus autem manifeſtè in ea declaravit ſe omnium afflictorum & humano ſolatio deſtitutorum amatorem ac conſolatorem, ùt ipſa cuidam Sorori, frequentiùs eam viſitanti retulit. Hac interdum ſciſcitante, an adhuc rerum

* *Ex MSS. Vitis Sororum Monaſterii Adelhuſani, de quibus vide cap. V. hujus Append.*

rerum ſecularium meminiſſet, reſpondit: *Omnia oblivioni tradidi, Dei verò aſſiduè ſuaviterq; recordor. Ab hominibus derelictam non me dereliquit Dominus Deus. Multa quidem gratiarum chariſmata ſemper mihi contulit. Nunc verò in me tam debili & infirma excellentiùs operatur.*

Quærente altera, num dolores corporis ei moleſti eſſent, reſpondit: *Tam benè habeo atque ullus hominum in terris. Recreavit me Deus afflictam & miſeram, quod deinceps nunquam intermittet. Qui homo Deum conſpiciens moleſtiam ſentiret? Exhilarat me Dominus, & omne tædium à me profligat.* Interrogavit Soror, an interioribus vel exterioribus oculis Deum videret? Reſpondit: *utroque modo.* Uter conſpectus præſtantior, exterior vel interior, & qualis eſſet interior? *Exterior*, inquit ægrota, *nihil eſt reſpectu interioris. Interior valde perfectus eſt & res admodum præclara. Divina viſio eſt, de qua nemo loqui novit, niſi cui contingit, ſed nec hìc facile.* An mente

comprehendi valeat, percontatur altera. Reſpondit: *Tunc temporis non mihi præſens ſum. Ignoro etiam, ubi mens & cor exiſtant niſi in ipſo. Anima mea ſeſe in Deum immergit, in quo omnia amittuntur. Tum animam meam ab omni labe immunem totamque puram conſpicor.*

Quæſivit Soror, an Divinitatem cerneret? *Ita*, inquit. *Patrem & Filium ac Spiritum Sanctum cognoſco, verùm non perfectè ſicut in æterna beatitudine, ſed quantum homini mortali poſſibile eſt. Et quando ad me redeo, impatienti ejus deſiderio crucior. Ipſe autem me conſolatur, aſſerens, ſe brevi accepturum me ad ſe, ut æternùm ſim cum eo, ſuisq́ dilectiſſimis amicis me connumeraturum.*

Quæſivit, qua forma appareret, quando ipſum corporeis oculis intueretur. Reſpondit: *Specie pulcherrimi atque amabiliſſimi juvenis, & conclave hoc Angelis & Sanctis totum repletur. Aſſidet, ac dulciſſimè arridet mihi: Angeli autem omnes coram illo ſtant reverentiſſimè. Nunquam*

ſolus

ſolus venit, ſed ſemper Angelis comitatus, dicitq́ʒ ad me; non deſinam te inviſere: brevî etiam te ad me transferam, atq́ʒ omne in ævum nunquam me à te ſeparabo. Deinde ſuaviſſimè animam meam amplexatur.

Sorore percontante, quo habitu indutus eſſet, & quis in eo color fulgeret, diverſos enumerans colores. At nulli eorum ſimilem dixit, ſed relucere in eo, quidquid ipſe vellet. Interrogavit, quidnam ipſa loqueretur cum eo, tam amanter ſeſe præſentante. Reſpondit: *Anima mea ſe coram eo usqʒ ad terram inclinat, & pro tantis beneficiis gratias agit.*

Circa Primam erat valde quieta in lectulo, tanquam dormiret usque ad Sextam. Sorore poſtea quærente, quando Dominus eam viſitâſſet, reſpondit: *circa Primam. Tum enim non dormiebam, ſed ita quievi, ne ipſum offenderem & expellerem. Nam inquietos & incompoſitos homines non dignatur inviſere, & ſic tractare.* Sorori roganti, aliquid ſibi de Deo dici,

dici, reſpondit quandoque: *Modo nihil tibi referre poſſum. Si eo tempore venires, quo tanta gratia perfundor, poſſem ſanè aliquid narrare. Quando enim Spiritus Sanctus mihi adeſt, docet me omnia.* His auditis ſæpe eam adiit, quando divinitus viſitata & gratiæ plena erat. Tum, quidquid hìc ſcriptum, ex ea percepit.

Eadem Soror Elizabeth ingenti deſiderio Domini ſui flagrabat: præſertim aliquando valde triſtis erat: *Receſſit*, inquiens, *Dominus meus à me*, monſtravitque cor ſuum vehementiſſime ipſius deſiderio angi. Solabatur eam altera, ſed fruſtra. Circa veſperas quæſivit, quomodo haberet. Reſpondit: *Benè. Dominus pollicitus eſt ſe brevî ad me reverſurum. Si enim diu tantopere ejus gratiâ affligerer, ſicut hodie, non poſſem ſalvâ vitâ perferre.* Sequenti nocte è lecto decidit cum magno cruciatu, non valens ſeipſam juvare, ceu membrorum uſu deſtituta. Redeunti ad ipſam Sorori cum hilaritate recenſuit ſuum caſum, & quòd Dominus ad

ad eam veniſſet ac promiſiſſet, ſe nunquam deinceps talem caſum permiſſurum: quod etiam præſtitit. Quæſivit Soror, an non indignaretur ei, quòd permiſiſſet tantopere ipſam excruciari. Reſpondit: *Ita diligo illum pro omnibus, quæ mihi transmittit patienda, ac ſi beneficia præſtaret.* Etenim ſic voluntatem ſuam unierat cum voluntate Divina, ut neque vivere neque mori vellet, niſi juxta ejus beneplacitum. Interdum affirmàvit, ſe libenter iſtos cruciatus usque ad diem judicii paſſuram, ſi Dei voluntas eſſet.

Quando peculiarem perceperat gratiam, valde hilaris erat, atque amantiſſimè de Deo loquebatur: *Deus*, inquiens, *eſt in me, & ego in eo. Ipſe meus eſt, & ego ipſius. Ille mihi & ego illi. Anima mea pulchra & nobilis eſt, ſiquidem gratiam ſuam mihi impertivit, & diligor ab eo, quod etiam ſecretò mihi revelavit.*

Sciſcitante altera, qualis eſſet ſermo ejus, reſpondit: *Sermo ejus tam dulcis & amoroſus eſt, ut nemo*

poſſit

poſſit exprimere. Tam efficaciter loquitur, ut intimum animæ & cordis fundum penetret. Sæpe etiam hæc protulit: *Deus in corde & anima mea eſt, ac rarò à me diſcedit. Quandoq; fugit, ſed valde ſuaviter, & ego animo ac deſiderio ipſum inſequor, & cum ingenti lætitia clamo: Dilecte mi, amor cordis mei!* Hæc & id genus multa alia ſuavia de Deo ſolebat proferre.

Interrogavit Soror, unde cognoſceret, Deum in anima ſua eſſe, reſpondit: *Ex gaudio & jubilo, quo me replet, exhilarat, & dilatat cor meum, patefacit, ac dulciter afficit animam meam.* Quæſita, quo pacto ad hanc ſecretam Dei familiaritatem pertingere liceat, reſpondit: *Quando ipſe purè in omnibus intenditur & quæritur, cuncta peccata devitantur, & in omnibus atque ex omnibus laudatur Deus.*

Interrogata, an timeret diabolum: *Nequaquam*, ait. *Spiritus Sanctus mecum eſt. Hunc diabolus tantopere metuit, ut mihi appropinquare non auſit.*

auſit. An autem timeret Deum? *ita planè*, inquit. *Hic timendus, donec amplius non peccetur.* Quid igitur ipſa peccaret? reſpondit, quòd multas bonas cogitationes, quas habere poſſet, negligeret. Hoc non leve ducebat peccatum.

Quando ſingulariter à Deo erat viſitata, tam expeditè ac ſapienter ad omnes quæſtiones Sororis reſpondebat, ac ſi eruditus ſacerdos eſſet. Adeò affecta ætate & valetudine erat, ut ſolis naturæ viribus non potuiſſet loqui ipſamet teſtante ac dicente: *Nihil ſcio, nec loqui valeo, niſi quod & quomodo me Deus docet. Omnia namque me docet præter peccata & vitia, quæ corrupta natura docet.*

Cupiebat aliquando Soror audire, quid Deo maximè diſpliceret. Reſpondit: *Superbia & virginum crebra atq; prolixa cum viris colloquia & nimia familiaritas. Hanc multùm odit, ſicut in ipſo vidi, & plura ſcio, quàm tibi unquam patefaciam. Deus nunquam illis tam familiaris vult fieri, nec tam libenter preces earum exaudire,*

audire, quemadmodum ſi hanc intermitterent: & niſi fecerint, è manibus ejus excident.

Quædam etiam ſecreta huic Sorori revelavit, quæ in corde verſabat, & nemini præterquam ipſi ſoli cognita erant. Rogata, unde illa ſciret, reſpondit: *Sæpe te in Deo video, multa de te ſcio.* Quomodo igitur Deum pro me oras, Mater? *Magna*, inquit, *importunitate inſto, ut Deus te caſtiget.* Tamen charam me habes, Mater. Quomodo ergo petis, ut me caſtiget? Qua intentione hoc facis? Reſpondit: *Ex puro amore id facio, quia cæteris Sororibus charior mihi es. Qui enim hìc non caſtigatur, poſtea in purgatorio, vel fortè etiam in inferno pœnas luet. Et quid prodeſt, quòd hìc illis Deus pepercit?*

Aliquando dixit ad hanc Sororem: *Vidi, quòd te Deus indignabundè aſpexerit, nimis circa conſanguineos tuos occupatam* (tum namque ſolicita & diſtracta erat circa fratres ſuos ſeculares) *Deus ſolus cor poſſidere, nec cum ſanguine junctis quibuscunque dividi vult.*

Soror

Soror tantas in ea gratias animadvertens cupiebat ſcire, quidnam ſibi faciundum, ut Deo placeret. Reſpondit infirma: *Deo te ſubmitte: voluntatem tuam cum ipſius voluntate conjunge, & quidquid adverſi occurrit, patienter ſuſtine. Hoc millies ei gratius, quàm ſi propriam voluntatem impleres. Te quoque ad ipſum converte, & in eum demerge, ut is viciſſim ad te convertatur, & ſeſe tibi impertiat. Ipſum ſolum ama, & ubicunque potes, ei famulare. Omnem curam & ſolicitudinem è corde tuo exclude. Nihil niſi ipſum cura & in illo ſolo delectare. Gratiſſimum ei obſequium præſta, cujuſmodi eſt, id omne fugere, quod ipſe non eſt.*

Ait Soror: ſi mihi nunciaretur, pium aliquem præclarè de Deo loqui ad feneſtram collocutoriam, utrum Deo acceptius eò ire atque auſcultare, vel in clauſtro manere? Reſpondit: *Licet tibi audire verbum Dei. At ſi in clauſtro manſeris, majorem mercedem ac pretioſiorem coronam percipies.* Rectè, inquit, dixiſti Mater. Si enim

ad prædictum locum me conferrem aliquid de Deo auditura, forſitan quippiam audirem, quod præſtitiſſet non audiviſſe. Ad quod illa: *quamvis non niſi bona audires, tamen nihil Deo tam gratum, quàm ſeſe ab omnibus his terrenis avertere, & cor ſuum illi ſoli dare. Interroga omnes doctos & illuminatos, hi teſtimonium perhibebunt me tibi vera dixiſſe.*

Non multò ante obitum dixit ad eam Soror: ah quid in te vivit Mater? Ait: *Deus vivit in me & ego in eo.* Poſtmodum interrogata, quomodo haberet, indicavit, quantum poterat, ſe magnos quidem dolores perferre corpore, ſpiritu verò gaudere. Quæſita, unde gauderet: *de Deo,* inquit, *quòd ipſe meus, & ego ipſius ſum. Nuntiavit mihi, quòd me ad ſe vellet recipere, quocirca omnis timor & horror mortis omniumq; ſuppliciorum procul à corde meo remotus.*

Percontante Sorore: quomodo ego & alii ſpeciales tui amici te morien-

riente debemus eſſe affecti? reſpondit: *gaudere & exultare debetis, quia mihi apertum cœlum.* Deinde oculos clauſit & quievit veluti dormiret: negabat tamen ſe dormire, ſed *requies mea,* ait, *in Deo eſt.* His dictis cœpit admodum cruciari & ad mortem urgeri. Monuit illam Soror, cruciatum omnem patienter ferre, Deum brevî finem impoſiturum. Reſpondit, ſe ad eundem, quamdiu Deo placeret, ſuſtinendum paratam.

Ita ſanctè obiit, ſpe ac fiducia mox ad Deum evolandi plena. Teſtata eſt ipſamet, Deum tantas gratias & dona ſibi contuliſſe, ut nunquam auſa fuiſſet id ſperare, neſciret etiam, quomodo majora ſibi largiri potuiſſet.

CAP. IV.

*De Adelheide de Briſaco, ejusdem Monaſterii Adelhuſani Sorore.**

SOror Adelheidis Briſacenſis tam ſanctæ vitæ fuit, ut mirabilia in ipſa liceret animadvertere. Feria quinta nocte adeò intentè ac profundè paſſionem Chriſti meditabatur, ut inde ægrotans non poſſet ſequenti feria ſexta Miſſæ intereſſe, immò ne ſurgere quidem. Propterea durè à Patribus Dominicanis in Capitulo reprehenſa atque hæretica appellata fuit. Ipſa verò tota gaudio perfuſa Capitulum egreſſa eſt ſubſiliens, & Pſalmum: *Laudate Dominum omnes gentes* decantans: ad quam omnes puellæ quæ in Monaſterio erant, congregatæ cum illa cantabant.

Sumptura aliquando cum aliis Soro-

* *Ex iisdem MSS. Vitis.*

Sororibus ſacram communionem, cùm periſtylium tranſiens conſideraret, ad quas nuptias iret, quodque Deus cum ipſa uniri deberet, flexit genua ad labrum ibi inverſum animo gratias Deo pro tanto beneficio agendi. Labrum autem ſuper eam cadens totam intra ſuam concavitatem recepit & abſcondit. Ubi extra ſe rapta cum Sponſo ſuo in ſpiritu unita, & ad dulciſſimum amplexum & oſculum admiſſa fuit usque ad Veſperas. Quæſita ab infirmaria usquequaque, nusquam reperta eſt. Circa Veſperas audiens ſe ab infirmaria vocari, prodidit ſe ſub labro jacentem, quo remoto narravit eidem magna devotione, quid ſibi accidiſſet.

Hæc Soror Adelheidis plurimùm doluit ob amiſſam virginitatem (nam vidua erat) pro qua recuperanda die ac nocte plorabat. Quod cùm multis annis feciſſet, venit ad eam Angelus Domini dicens: *Age, Deus vult te exaudire, quantum poſſibile eſt.*

[Et] levavit eam in aëra, ubi alii quidam Angeli erant habentes torcular, eamque prelo ſubjectam tam fortiter presſerunt, ut putaret nullam omnino ſanguinis guttam in corpore ſuo reliquam, dicentes; *Omnem ſanguinem, qui in te peccavit, expreſſimus: jam virginum ſanguinem tibi infundemus, & virginibus ſimilis eris, quoad fieri poteſt. Ut autem denuo virgo fias, impoſſibile.* Reſtituta ſibi tota fuit ſanguini immerſa. Manè Soror laica, Treburgis nomine, cui cura infirmarum commiſſa erat, tranſibat, à qua ſubſidium & veſtium ſuarum lotionem popoſcit. Hæc ſub atteſtatione veritatis aſſeruit, ſe orcam ſanguine plenam eluiſſe. Reſciſcens autem, quod accidiſſet, valde doluit, quòd in rei inſolitæ ac ſtupendæ indicium eum in veſtibus non reliquiſſet.

Soror Adelheidis in ultimo agone conſtituta juſſit ſe deponi ſuper mattam, & tabulam defunctoriam pulſari. Jacuit ſupra mattam, donec

nec Pſaltérium legeretur usque ad Pſalmum: *Domini eſt terra.* Tum aliarum adminiculo erexit ſe in genua dicens: *Cedite & laudate Deum: omnis ſapientia hìc eſt & Dei Mater, item S. Dominicus ac totus exercitus cœleſtis.* Elevatisque manibus ſpiritum reddidit. Orta inter Sorores quæſtione, ſub quo Verſu animam exhalâſſet, quædam ſancta Soror continuò ait: verè animam ejus ex ore ſicut roſam vidi prodeuntem ſub Verſu: *Attollite portas principes veſtras.*

CAP. V.

De ſtatu, gratiis & virtutibus Sororum *Monaſterii Adelhuſani.*

* *INVitis primarum Sororum, quæ in Monaſterio Adelhuſiano propè Friburgum Briſgoiæ præclaris donis a Deo fuerunt exornatæ, ſcriptis*

* *Verba ſunt V. P. Mathiæ Thanneri.*

Germanicè a quadam ejusdem Cœnobii Sorore, & ſuccinctè & valde ſimplici ſtylo, quæ extant ibidem manu ſcriptæ, poſtquam ſcriptrix multas hujusmodi Sorores enumeravit, inter quas fuit quædam Lucia Leſchera, *quæ ex intenta & profunda Dominicæ Paſſionis meditatione vulnus in pectore contraxerat ſanguine manans, quod, quando circa res terrenas erat occupata, pellicula tegebat, quando verò ab his abſtracta ſemper recens manebat, ſubjicit generatim, quàm ſanctè ac religiosè ante trecentos annos in eodem Monaſterio Sorores vixerint: quod ad multorum, maximè Religioſorum ædificationem viſum eſt hìc commemorare. Scribit igitur in hæc verba.*

Tam devotæ atque introverſæ erant Sorores, ut quotidie in clauſtro in tantum eſſet ſilentium, quantum ipſa Paraſceve. Poſt Completorium adeò erant aſſiduæ ac ferventes in orationibus & terræ oſculationibus (quas venias appellant) tam in choro quàm in dormitorio ante lectulos ſuos,

ſuos, ut tales ſacræ actiones eminus audirentur. Sub quibus quædam extra ſe raptæ, aliæ deliquium animi paſſæ, nonnullæ ex abundantia gratiarum altùm vociferatæ ſunt.

Magni meriti Soror Anna Turnera, naturâ ad fletum duriſſima, videns maximam lachrymarum vim a ſanctis hiſce Sororibus profundi, ingens concepit deſiderium lachrymandi. Aliquando ſub oratione tantam ſibi vim intulit, ut tandem unicam ex oculo lachrymam extorſerit, quam in ſpiritu conſpexit duos Angelos è cœlo lapſos aureo poculo excipere, ac Deo præſentare.

Quædam Sorores Dei amore & deſiderio ſurſum actæ & ſemicubitum ſupra terram elevatæ fuerunt. Nonnullæ faſſæ ſunt, ſe ardentiſſimo Dei amore, niſi officiis & rerum externarum adminiſtratione temperatus fuiſſet, vitam cum morte fuiſſe commutaturas. Conventu ſacram ſynaxin percipiente aliquibus conceſſum eſt videre, cujus quæque

Soror apud Deum meriti eſſet, quando Divinum epulum ſumebat.

Jugem omnium virtutum exercitiis novabant operam, præſertim humilitatis. Nullum enim opus tam vile & abjectum, neque tam laborioſum erat, quod non hilariter & cupidè perficerent, tantoque magis, quantò altioris ſtatus priùs in ſeculo fuerant, ſic implentes, quod in Conſtitutionibus ſcriptum: *quantò major es, tantò magis te humilia in omnibus.*

Singulare in eis ſtudium fuit ægrotantium, quantumcunque moroſæ & inquietæ eſſent, curam ſuſcipere, quibus ſanè tam promptè ac ferventer, tanquam ipſimet Chriſto inſervierunt. Fuerunt ergo multæ, quæ activam vitam cum Martha, multæ, quæ contemplativam cum Maria, quædam, quæ utramque ſimul ſtrenuè exercerent.

Paupertatem voluntariam perfectiſſimè ſervârunt. Non paucæ omnia ad votum habere potuiſſent, nolue-

noluerunt tamen, ſed elegerunt pauperes eſſe propter Deum. Nulla apud ſtratum ſuum ſcrinium habere voluit, quod vel duobus nummis comparari potuiſſet.

Rigor Ordinis adeò illis placuit, & in conſuetudinem verſus fuit, ut etiam ſenio & morbo affectæ nihil de eodem remittere voluerint. Complures jejunia ab Ordine inſtituta ne ſemel quidem intra multos annos ſolverunt. Multæ provectioris ætatis ab eſu carnium plurimis annis abſtinuerunt, etiam gravibus infirmitatibus depreſſæ. Quando verò nimia debilitas ad earundem eſum ipſas adegit, plus de iis, ſicut & aliis delicatioribus cibis non ſumpſerunt, quàm nuda poſtulabat neceſſitas. Si quando vinum miniſtratum, quædam ſal injecerunt, ut eò minus delectationis perciperent.

Ad cultum divinum alacres atque ferventiſſimæ erant, tanto deſiderio & gaudio ad chorum properantes, ac ſi magna ſolemnitas cele-

brare-

braretur. In Vigiliis poſt Matutinas preces protendendis tantus inerat eis fervor, ut aurora prodeunte ac Prima appropinquante exterritæ atque mœrore affectæ fuerint, eò quòd ſic devotio ipſarum impediretur atque interrumperetur. Quædam intempeſtivè ante Matutinas ſurrexerunt, & orationi vacârunt. Quibusdam in ſomnis non contemnendæ gratiæ collatæ fuerunt. Quando convenerunt, omnis earum conſolatio & recreatio erat de Deo miſcere ſermones.

Prioriſſæ ingenti ſtudio in hoc incubuerunt, ut Conventus in iſta religioſa & auſtera vita conſtanter perſeveraret, ad hoc eum ſeriò exhortantes, præſertim in Capitulo, ubi quædam ſpiritalibus oculis viderunt Prioriſſis, zelosè ac ferventer Sorores admonentibus, Schedas proponi, e quibus ſermones ſuos legebant.

Nonnullæ ſpiritu prophetiæ claruerunt, & quæcunque in vita & ſub

obitum

obitum prædixerunt, ita evenêre. Quædam non longè ante obitum lucis inſtar radiârunt, & puræ ac pellucidæ fuerunt ſicut cryſtallus.

Dominus JEſus cum ſua benedicta Matre & aliis Sanctis, multis Sororibus, ex hac vita migrantibus apparuit, easque ad ſe evocavit. Quasdam etiam de æterna beatitudine certas reddidit. Sciendum, mediam partem gratiarum, his Sororibus conceſſarum, non eſſe litteris conſignatam. *Hactenus ſcriptrix Adelhuſiana.*

CAP.

CAP. VI.

De Elizabeth de Eycken, Sorore Monaſterii Ottenbacenſis Ord. S. P. Dominici.

SOror Elizabeth de Eycken, pago Comitatus Rhinfeldenſis in Superiori Germania, anno ætatis ſuæ ſexto ingreſſa eſt Cœnobium Ottenbacenſe, Conſtantienſis Diœceſis, in quo usque ad annum ætatis ſuæ quinquageſimum primum tam religiosè ac ſanctè vixit, Chriſtique crucifixi, Sponſi ſui amore tam immanes cruciatus ſuſtinuit, ut verbis explicari non poſſit.

Scripſit ipſamet Germanicè, quo pacto Deus eam a teneris annis traxerit, duxerit, inſtituerit. Quæ inſtitutiones adeò ſublimes ſunt, ut non paucæ illarum a paucis, etiam Religioſis, intelligantur. Tantum divinum amorem ſpirant, ut vel duriſſima corda emollire, Deique amore

re accendere queant. Noluit talia ſcribere. Sed coëgit eam Deus: *volo,* inquiens, *manifeſtum evadat, quàm amanter & ſuaviter te in Divino corde meo ante Mundi conſtitutionem geſtaverim.* Appellat ipſam jucundiſſimum objectum oculorum ſuæ Divinæ Majeſtatis, gratiſſimum Divini cordis ſui delitium. Affirmavit, ſe animam ejus efficere purum ſpeculum ſanctiſſimæ Trinitatis, amabiliſſimam & ſplendidiſſimam imaginem, in qua oculi Majeſtatis ſuæ ſeſe pro immenſo deſiderio jucundiſſimè æternùm ſint oblectaturi. Voluit ipſe unus eſſe amor ejus. Non permiſit illi ullius hominis amorem aut favorem, nec ullius creaturæ ſolatium, ut nuſquam cor ejus hæreret, aut in ulla re creata delectationem perciperet, ſed in Deo ſolo.

Vixit hæc Angelica virgo circa annum Domini MCCX. claruit poſt mortem miraculis. Habentur ipſius ſcripta in Cartuſia Friburgenſi.

CAP.

CAP. VII.

De Mechtilde de Stans, Sorore Cœnobii Töſenſis, ejusdem Ordinis.

SOror Mechtildis ex Stans, pago Helvetiæ, pia & religioſa virgo, Ordinem S. Dominici profeſſa eſt in Cœnobio Töſe. Quod cùm primùm eſſet ingreſſa relicto propter Deum ſeculo, ſeipſam eidem ex intimo corde obtulit dicens: *Domine Deus meus, nunc tui amore totum Mundum, & quidquid me oblectare ac conſolari poterat, reliqui. Per immenſam igitur bonitatem & miſericordiam tuam te obſecro, ut tu deinceps meum ſis ſolatium. Non enim ignoras, me nullam aliam habere in terris conſolationem.* Hanc orationem fudit cum multis gemitibus & lachrymis.

Non multo poſt nocte quadam, dum abſolutis precibus Matutinis rediret

diret ad ſtratum ſuum, apparuit ei quidam reverendus dominus cum multis aliis honorabilibus viris, e quibus quidam grandem crucem, inſtar cryſtalli pellucidam ferens, blandè dixit ad Mechtildem: *ne timeas: nihil mali patieris: ſequere me audacter.* Præceſſit ergo cum præclara cruce ad chorum, ſequentibus aliis, & devotè cantantibus hymnum: *Pange lingua*, qui in Paraſceve cantari ſolet. Hos ſecuta eſt hæc beata Soror usque ad chorum.

Bajulans crucem perrexit ad altare, alteque ipſam levavit reliquis admodum devotè cantantibus, & ad ſingulos Verſus genua flectentibus, ùt fit in Paraſceve. Repleta ingenti admiratione Mechtildis ſuſpexit viditque Dominum noſtrum JEſum Chriſtum de cœlo deſcendentem cruci ſeſe applicare. Qui amanter ipſam intuens mitiſſima voce interrogavit: *Soror Mechtildis, credis me verum Deum & hominem?* Reſpondente: *credo Domine*, ait: *accede.*

Acceſſit cæteris ei cedentibus. Et Dominus ſeriò ad eam: *Soror*, inquit, *Mechtildis*, *nihil deſideras ſolatii præter meum ſolius amorem?* Reſpondit: *nihil Domine*. Tum placidè ſubjunxit: *quandoquidem præter mei amorem nihil expetis*, *& omne aliud ſolatium relinquere cupis*, *ego ipſe conſolabor te meo ſacratiſſimo corpore*, *ſanguine*, *anima & Deitate*, *omniſque conſolationis*, *quam diſcipulis meis in ultima cœna impendi*, *te participem reddam. Scito*, *me corporis & animæ tuæ curam habiturum*, *regnumq́ cœlorum*, *quando ex hoc Mundo migraveris*, *te poſſeſſuram. Æternam meam benedictionem tibi impertior:* Quam hilariter ac devotè ipſa percepit. Tum Dominus diſparuit, eamque ingenti gaudio plenam reliquit.

Sedulò intererat publicis Divinis officiis, neque ab ullo prorſus emanebat. Cùm ad labores communes pulſaretur, ſtatim è choro ad eosdem prope-

properabat, paratiſſimé, quidquid imponeretur, perficiens. Mitiſſimi cordis erat. Cum flentibus flebat, cum gaudentibus gaudebat. Feria ſexta ſemper erat in Choro. Perpetuò, niſi ægrotaret, ante Matutinas preces & ante Primam ſurgebat ab Angelo excitata.

Multas tentationes & terrores paſſa eſt a ſpiritu maligno. Solemnioribus feſtis poſt completorium præ nimia devotione alta voce lachrymabatur. Solitudinem & ſilentium ſingulariter diligebat. Qualibet feria ſexta, & percepta ſacra communione, itemque per totum Adventum & Quadrageſimam nihil penitus loquebatur. Maximo fervore meditari ſolebat amariſſimam Paſſionem & mortem Domini noſtri JEſu Chriſti. Quæ meditatio tam profundè penetrabat cor ejus, ut viribus omnibus deſtitueretur, cibumque capere non poſſet.

Omnis Mundana delectatio ipſi amara erat inſtar abſinthii. Dolores crucifixi Sponſi ſui in corpore ſuo pertulit. Claruit poſt mortem miraculis. *Ex Conradi Zittardi Germanico Chronico Generalium Magiſtrorum Ordinis Prædicatorum fol. 166.*

Finis Appendicis.

VEN.
IRIMBERTI
ABBATIS ADMONTENSIS
DE
INCENDIO MONASTE-
RII SUI, AC DE VITA ET MO-
RIBUS VIRGINUM SANCTIMONIA-
LIUM PARTHENONIS AD-
MUNTENSIS
Ord. S. Ben.
NARRATIO,

Excerpta ex inedito Ejuſdem Commentario in libros Regum ad Cap. XIV. verſ. 7. Libri IV.

Ven. Irimberti de incendio Monaſterii ſui, ac vita & moribus Virginum Sanctimonialium Parthenonis Admontenſis Narratio.

I.

NOn habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.(a) Quæ ſententia Doctoris gentium quanta veritate fulciatur, in ea, quæ nobis accidit, rerum permutatione declaratur.

II. Feria namque ſecunda mediæ Quadrageſimæ Expoſitionem meam ſeriò hìc dimiſeram, eamque in craſtinum in gaudio Sancti Spiritus repetere propoſueram, quia ad finem Operis hujus ardenter feſtinabam: cùm ecce nocte ſequenti feriæ tertiæ gravis & intolerabilis mihi occurrit luctus triſtitiæ, ut jam cum Job meritò poſſim exclamare: (b) *Verſa eſt in luctum cythara mea, & organum meum in vocem flentium.*

(a) *Rom. XIII. 14.* (b) *Job. XXX. 31.*

III. Cùm enim Matutinorum ſolemnitas pervigili intentione & diſtincta Pſalmodiæ compoſitione in choro celebraretur, ego & Frater, qui mihi ad ſcribendum adjutor fuerat deputatus, in Capella S. Mariæ Matutinalibus expletis Laudibus Curſum ejusdem Dominæ noſtræ usque ad lectionem decantaveramus. Cùm ecce clamorem ſervi cujusdam audientes obſtupeſcimus: quia in Admuntenſi loco nocturno tempore aliquem perturbationis ſtrepitum audire non conſuevimus. Ille ſecundò exclamavit, iteratoque clamore mali alicujus ſuſpectos nos eſſe fecit. De Capella concitè eximus, & nihil quidem videntes, ſtrepitum magnum circa domum infirmorum audivimus Servus enim, qui exclamaverat, domum infirmorum calefaciebat. Sed eo negligentiùs agente ventus vehemens, utique e regione deſerti irruens, eandem domum exteriùs invaſerat, & flamma jam inſuperabiliter mira celeritate vento impellente excreverat.

IV. Curro in Monaſterium, Pſalmum: *Quid gloriaris in malitia*, jam in choro pſallebant diſtincta valde melodia. Fero inviſa ſigna, foris jam conflagrare incendia. Excurrunt primi Fratres exteriores (a), quos omnes ferè inveni ſolicitè in orationibus ſtantes. Sic enim moris eis eſt Pſalmodiæ nocturnæ invigilare, ne contingat eos continuè ſedentes, ſomni tepore marceſcere. Flamma ſupra modum excreſcens, a domo infirmorum Capellam Sanctæ Mariæ cœpit acriter laniare: quia pro incendii

(a) *i. e.* laici.

dii magnitudine & venti nimietate nullus poterat in periculo ſubvenire.

V. Luctus omnium oritur, & Matutini Fratrum interrumpuntur. Sorores accepto a me ſigno in ſecundi Nocturni initio deponunt Matutinos, & in ſupplicationem Lytaniæ cum incomparabili lachrymarum effuſione ſe proſternunt. Flamma ex una parte Monaſterium occupat, ex alia in clauſtrum ſe dilatat, cui vix ſimile in eis montanis partibus inveniri poterat: quia ſumptibus beatæ memoriæ Domini Conradi Archi-Epiſcopi (a) ex pretioſiſſimo marmore conſtructum fuerat, eisdemque ſumptibus pretioſæ columnæ Monaſterii eminebant.

VI. Dominus Abbas (b) videns incendium excreſcere, omnesque Monaſterii officinas irrevocabiliter occupare, ad Monaſterium Sororum tranſit: quia nec illud jam poſſe evadere pertimeſcit. Aliquamdiu ergo pro foribus eccleſia reſidens, & flammas vento impellente ultra modum excreſcere conſpiciens, Sororesque in Monaſterio poſſe [eſſe] diffidens, Priorem ſolicitiùs inquiri rogat, cui ejusdem Monaſterii claves commiſerat. Sed cùm inveniri non poſſet (quippe cum omnibus de Monaſterio egreſſis & in tenebris, ubi iſte eſſet, ille neſciret) ſtrepitu flammarum & terrore volantium ſcintellarum Abbas permotus, ſeras Monaſterii Sororum effringi

 fecit

(a) Salzburgenſis. (b) Godefridus.

fecit, eisque exeundi licentiam dedit, ſi periculum incendii declinari non poſſet.

VII. Quem cùm Domna Agnes, filia Comitis Ottonis, Frarris Epiſcopi Ratisponenſis lachrymabiliter inquireret, quorſum ire deberent, lachrymabiliter & ipſe reſpondit: *quocunque vos miſeratio ſummi Patris duxerit.*

VIII. Jam tempus miſerendi venerat: quia cœleſtis Pater in ira miſericordiæ memor eſſe debuerat, ne de habitatione ſui Monaſterii tot Sorores, claris ortas natalibus, nocturno tempore contingeret ejici, quæ ſe pro amore Filii Dei cuſtodiæ mancipaverant carcerali. Cujus cuſtodiæ diſtrictionem non debeo ſilentio præterire. Sed priùs cœptum ordinem incendii volo tranſire.

IX. Flamma cùm omnia Monaſterii, Capellarum ædificia, & omnes officinas Monachorum & Fratrum exteriorum conſumpſiſſet, cellarium ſuperius devoravit, & per oſtium ingrediens interiores trabes invaſit,& ſi ibi prævaluiſſet, conſumptis ſtipendiis, quia Monaſterii ſitus valde eſt invius, dubium non eſſet, quin & multitudo Monachorum & Fratrum in loco ſubſiſtere non poſſet, Monaſterium Sororum, quod ex oppoſito ſtabat, incendio periret. Vicerunt Dei Filium lachrymæ Sororum, & ait Angelo percutienti populum: (a) *ſufficit, nunc contine manum tuam.*

X.

(a) *II. Reg. XXIV. 16.*

X. Monachi, Fratres & ſervi ultra modum tota nocte defatigati, circa mane cellarium liberant, ſicque Sorores ſopito incendio ſecuræ in Monaſterio perſeverant. Vento enim Aquilonari, qui ante medium noctis inſurrexerat, ex quo Matutinorum ſolemnitas cœperat, & tota nocte illa flammas accendendo dilataverat, circa diei crepuſculum alius ſe ventus oppoſuit, qui omne periculum flammarum a cellario & a Sororum Monaſterio removit.

XI. Ut autem de hoc ipſo Monaſterio Sororum, ſicut promiſimus, aliqua ſuccinctè dicamus, beatæ memoriæ Domini Chuonradi, Salzpurgenſis Archi-Epiſcopi temporibus, ipſius conſilio & auxilio undecunque venientibus Sororibus hoc præparavit & ordinavit Domnus Abbas Wolvoldus. Introitus Monaſterii unó ſoló oſtio, altari oppoſito, clavibus tribus obſeratur, idque ſolummodo tunc aperitur, vel cùm Soror aliqua ad converſionem ingreditur, vel cum mortua ad ſepulturam effertur. Duas claves habent duo Seniores in ſua providentia, tertiam interiùs habet Soror Magiſtra in ſua cuſtodia. Ut de aliis Fratribus taceam, nec ipſi Abbati nec Priori licet ipſam aperire januam, niſi ad Sororem in lecto communicandam, vel ſacri olei inunctione ad exitum promovendam, vel ad confeſſionem ejus in extremo vitæ ibi recipiendam. Nec tunc quidem vel ipſi Abbati vel Priori patet introitus, niſi ſub duobus vel tribus teſtibus.

XII.

XII. Simul ſunt, ubicunque ſunt, ſive in Conventu ſedeant, ſive in Choro Deo ſerviant, ſive in Refectorio, ſive in Dormitorio laſſitudinem ſuam reficiant. Nulli mortalium niſi ad feneſtram Conventus ſui loquuntur, ubi earum Capitulo a ſolo Abbate vel Priore, rarò tamen, præſidetur. Ibi exhortationis verbum ad eas dirigitur, ibi omni Sabbatho alternatim de uno choro ſoli Abbati vel Priori confitentur, ſicque ad communionem ſequentis Dominicæ omni ſtudio ac diligentia præparantur. Nulli licet earum ulli mortalium ſive Abbati ſive amico vel propinquo ſolam loqui cum ſolo, niſi ſub duarum aut trium Sororum teſtimonio, excepto ſolo Confeſſionis ſecreto.

XIII. Toto anni tempore, æſtate vel hieme, ad ſonum campanæ ad Vigilias Matutinas cum Fratribus ſurgunt, ordinemque Vigiliarum toto tempore hiemali usque in diem extendunt. Idem jejunium, idem ſilentium cum Fratribus per anni circulum agunt. Nulla earum lineis veſtibus utitur, niſi ſolæ infantulæ, ſiquæ inter eas nutriuntur.

XIV. Capitulum ſuum inter ſe quotidie habent, Magiſtra vel ejus Vicaria præſidente. Et in feſtis diebus, cùm Abbas ad eas non poterit venire, ſunt inter eas perſonæ ad verbum exhortationis faciendum diſpoſitæ. Valde quippe ſunt litteratæ, & in ſcientia ſacræ ſcripturæ mirabiliter exercitatæ. Cùm enim poſt primum introitum nunquam de Monaſterio egrediantur, niſi vel mortuæ efferantur, vel

vivæ

vivæ forſitan in aliud Monaſterium transponantur, ubi ſimili cuſtodia muniuntur: Cumque nihil unquam de Mundi vanitatibus videant, raró aliquid de ſecularibus audiant, cur non ſcientiam cœleſtium myſteriorum habeant, quæ ab omni communione mundanorum gaudiorum jejunant?

XV. Cumque nobiliſſimorum Principum filiæ, & aliæ præclaris ortæ natalibus inter eas conſiſtant, magnæ inter ſe humilitatis conflictu ad invicem dimicant: quia valde deteſtabilis haberetur, ſiqua inter eas alicujus elationis vel jactantiæ nota reſpergeretur.

XVI. Habent per ſe veſtimenta ſua ad omnem neceſſitatem, ad nullam ſuperfluitatem de Camera ſua diſpoſita. De Fratrum cellario dantur eis, non ùt Principum filiabus, ſed ùt Chriſti famulabus, charitativa ſtipendia. Nulla ad feneſtram accedit loquendi gratiâ niſi à Magiſtra accepta licentia, niſi Abbatem adeſſe videant, cui ſoli ùt filiæ patri loqui audeant. Sunt inter eas certæ perſonæ deſignatæ maturiori ætate, quæ ad feneſtram loquentium adſint audientiæ in quorumlibet advenientium ſpiritalium ſive ſecularium amicorum ſalutatione.

XVII. Hunc ergo diſciplinæ ordinem, Sancto Spiritui diſciplinæ, ùt credo, placentem, à primo fundatore Monaſterii ſibi contraditum, diligenter obſervant, & cùm multa ſuperadjiciant, pauca, immò nulla diſtrictionis jura relaxant. Unde quæcunque inter eas de hac vita ſubtrahuntur, in magna

ſecu-

ſecuritate moriuntur. Nec immeritò: quippe quæ quotidie propter Chriſtum ſicut oves occiſionis jejuniis, vigiliis & ſpontaneis flagellis mortificantur.

XVIII. Mortuæ in Monaſterio ſuo per noctem conſervantur, & à reliquis Sororibus ſummo ſtudio exequiæ diu noctuqué celebrantur. Facto manè Miſſa Defunctorum pro defuncta apud Sorores celebratur, eaque peracta Conventu Monachorum & Fratrum religioſâ frequentiâ adveniente funus de eccleſia Sororum ad Monaſterium Fratrum venerabiliter transportatur. Hoc autem Reſponſorium in exportatione funeris à Conventu Fratrum inchoatur, quod nunquam ſiné multis Sororum lachrymis decantatur: *Quomodo confitebor tibi Domine Deus meus, quando veneris in judicio tuo: quia cor meum mundum non cuſtodivi, animam meam in carne poſitam pollui, templum corporis mei de opere iniquitatis coinquinavi? Precor te Domine, antequam diſcutias me, miſerere mei. Tibi ſoli peccavi, miſerere mei!* Sic Fratres ſuſceptum funus ſtudioſiſſimè procurant, & celebratis Miſſarum ſolemniis & conſuetis exequiis in communi cimiterio officioſiſſimè terræ commendant, ubi ex una parte Fratrum ſepultura, ex alia Sororum eſt deſignata.

XIX. Qualiscunque ſit illa dies, pro defuncta Sorore omnes tam Sorores quàm Monachi & Fratres cum multa devotione flagella ſuſcipiunt, idemque pro Monacho vel Fratre defuncto communiter omnes faciunt. Similiter cùm obitus Fratris ap-

propin-

propinquare per tabulam nuntiatur, à Sororibus ad eccleſiam feſtinatur, ejusque tranſitus Divinæ pietati intentiſſimè commendatur.

XX. Cùm ergo his atque aliis multis ſpiritalis vitæ commodis ſe Sorores religioſiſſimæ privari pertimeſcerent, ſi eas flammarum incendia de quiete ſui Monaſterii exturbarent, quanti, putatis, in earum cordibus amaritudinum & dolorum fluctus verſarentur? Proinde audivit Filius Dei gemitus compeditarum, & ſolvit filias interemptorum. Factum eſt autem iſtud incendium lugubre Admuntenſis Monaſterii V. Idus Martii, qua nocte ſequenti inſtabat feſtum beati Gregorii.

XXI. Transacto itaque tantæ deſolationis infortunio, Abbas habito cum Senioribus conſilio, ſtatuit ſecum omnes retinere in loco, ne ſi huc & illuc diſſeminarentur, animarum ſuarum pericula fortaſſe paterentur. In domum ergo hoſpitum ſe omnes contulerunt, ibique quò meliùs poterant, ſicut & in Monaſterio ſoliti erant, ordinem ſuum in Divino ſervitio, & in ſilentio, & in cæteris omnibus ſervare decreverunt.

XXII. Diverſi forſitan diverſa loquuntur, & cùm inſcrutabilia eſſe Dei judicia Apoſtolus proteſtetur, ipſi Divinorum judiciorum ſcrutatores eſſe moliuntur. Proinde negligentiam vel ſuperbiam tantæ deſolationis forſitan non verentur aſſerere cauſam, & ſuper Divinæ caſtigationis plagam ſuarum lingua-

rum

rum addunt percuſſuram. Cæterùm ſi quis ſpiritalis propoſiti conſcius & amator ante incendii excidium illius Monaſterii ſtatum vidiſſet, quantus in Divino ſervitio fervor diu noctuque flagraret, quanta inter ſe invicem continentia & humilitate decertarent, hoc profectò de eis judicium dare non dubitaret, quòd adversùm ſe Leviathan ſuſcitâſſent, & inſtar beati Job tentatoris manibus non ad condemnationem, ſed ad probationem traditi fuiſſent. Quid alii ſentiant, neſcio. Ego unum ſcio, quia qui priùs continentiæ operam dabant & humilitati, cincti flagello Dei magis magisque in continentiæ & humilitatis decore ſunt compoſiti: *quoniam* juxta Apoſtoli teſtimonium *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* (a) Sed jam tempus eſt, ut ad Expoſitionis noſtræ ordinem redeamus &c.

(a) *Rom. VIII. 28.*

VEN.

VEN. JOANNIS DE ELLENBOGEN ABBATIS WALDSASSENSIS Ord. Ciſterc.

De

VITA VENERABILIUM MONACHORUM MONASTERII SUI LIBER.

Ex MS. Cod. Academicæ Bibliothecæ Baſileenſis.

JOHANNIS ABBATIS WALDSASS. AD DOMINUM PETRUM ABBATEM AULÆ REGIÆ

EPISTOLA.

In Chriſto ſibi ſinceriſſimè perdilecto Domino Petro, Abbati Aulæ Regiæ, Frater Johannes Abbas in Waltſaſſen, perpetuæ conſtantiam charitatis.

Quoniam ſæpius mihi præſenti oretenus, abſenti verò paginatenus, vitam, mores & exempla devotarum veſtri Monaſterii perſonarum pro mea ædificatione conſolabiliter declarâſtis, de quibus, quantum Dominus donavit, mihi virtutis & proficiendi in melius materiam aſſumpſi, & ex his, quid mihi deerat, & imperfectionem meam meliùs intellexi (ſemper enim hujusmodi auditio aut lectio aliquem attulit mihi fructum) igitur conſimilem viciſſitudinem, ſi non ex toto, tamen ex tanto & aliquali-

ter refundere Dilectioni veſtræ cupiens, ſciens vos in hujusmodi plurimùm delectari, quædam mihi in domo noſtra Waltſaſſen comperta de Vita venerabilium Monachorum per me conſcripta, vobis per Fratrem Conradum, meum Secretarium volui deſtinare, ut luminaria Divini ignis ardore ſuccenſa, ſimul pariter in domo Domini ſuper candelabrum poſita, nobis, qui vivimus, & qui venturi ſunt poſt nos, lucem præbeant, qualiter nos ſecuriùs in viis & mandatis Domini oporteat ambulare. Valete in Domino, qui eſt via, veritas & vita. Orate pro me, ut fiant mea noviſſima horum ſimilia, quos deſcripſi.

INCI-

INCIPIT LIBER DE VITA VENERABILIUM MONACHORUM MONASTERII WALDSASSENSIS. (a)

CAP. I.

Primorum Patrum Waldſaſſenſium vita aſpera & tribulationibus plena. Mors Fratrum ſonitu arcæ Reliquiarum plerumque nuntiata. Ex iisdem malè viventes aut ad ſeculum redierunt, aut vitam infeliciter finierunt.

QUoniam ſecundùm Gregorium beatum plùs docent facta quàm verba, & magis movent exempla quàm prædicamenta, idcirco ego Johannes Abbas tertius, licèt indignus, ad provocandum devotos, ut in melius proficiant, & ad monendum minùs devotos, ut mores corrigant, & devotionem concipere valeant, facta & exempla patrum & prædeceſſorum noſtrorum Waltſaſſenſium notare curavi, maximè quæ à ſenioribus & veridicis domus iſtius audivi, & præcipuè à Rudigero quondam Priore, qui magnus & devotus inquiſitor talium extitit, cum diligentia didici.

(a) *Cod. hunc titulum præfert:* Deſcriptio quorundam miraculorum peractorum in Waltſaſſen.

Primò namque ſciendum eſt, quòd noſtri prædeceſſores in magno rigore paupertatis & ferventi devotione Domino ſervierunt, & in multis tribulationibus ſemper fuerunt, ut in eis prophetia fundationis verificaretur, qua dicitur, quòd loci hujus incolæ ad æterna gaudia non niſi per multas tribulationes debeant pervenire. Illis tamen tribulationibus Dominus aliquoties conſolationes ſuas immiſcuit, ſicut electis ſuis facere conſuevit, quos in tribulationibus nunquam dereliquit, quia ipſe dixit: (a) *Cum ipſo ſum in tribulatione.*

Prima namque conſolatio eſt, quòd Dominus ſpecialiter hunc locum elegit ad ſerviendum ſibi & beatæ Virgini, Matri ſuæ, atque ſancto Johanni Evangeliſtæ, quorum patrocinio iſte locus eſt ſpecialiter inſignitus, ſic quòd in loco iſto cultus Divinus non deficiet ex toto, quàm diu Domino placet Divinus cultus Eccleſiæ militantis, prout in exordio fundationis pleniùs habetur [&] invenitur. Unde præſumendum eſt, quòd Dominus eos, qui ſibi in hoc loco devotè ſerviunt, nullatenus derelinquat. Quare futuros & præſentes in Domino admoneo, ut Domino ſerviant in timore.

Eſt & alia conſolatio familiaris & magna, quam Dominus noſtris prædeceſſoribus ac etiam meis temporibus oſtendere dignatus eſt, & utinam perſeveret præſentibus & futuris! Nam raro vel nunquam aliquis mortuus eſt, niſi priùs ſonus de arca Reliquiarum in ſummo Altari ab aliquo vel aliquibus ſenſibiliter

(a) *Pſal. 4.*

liter audiretur: quæ ego referentibus credere nolui. Tunc accidit, quòd, cùm in nocte S. Mathiæ Apoſtoli Conventus eſſet in Matutinis, & Invitatorium cantaret, & ego tunc eſſem Prior, & ſtarem in ſtallo Prioris, quidam ex devotione ante Altare ſummum cereum ardentem locaverat. Et [cùm] ex radiis illius cerei offenderer ipſos radios ferre nolens, ad altare acceſſi, & cereum retro altare poſui. Tunc ſonum in arca audivi, & adhuc dubitavi retro altare ſtans cum admiratione. Tunc ſecundariò magis validum ſonum ſenſibiliter audivi, & infra quindenam duo mortui ſunt ſubſequenter.

Præterea audivi à ſenioribus, qui ſolicitè notaverunt, quòd illi, qui in loco iſto indevotè vixerunt, & mores corrigere noluerunt, vel ad ſeculum redierunt, aut ultimum vitæ ſuæ malè finierunt. De quo quidam viſionem vidit. Vidit enim beatam Virginem Mariam ſuper Altare ſummum ſedentem, & in gremio puerum Jeſum bajulantem, & quaſi radios Solis ab oculis pueri, exceptis tribus, ſuper capita ſingulorum & omnium in Choro ſtantium procedentes, quos ille diligenter conſideravit, agnoſcens, quòd hi tres in brevi confuſibiliter ad ſeculum redierunt.

CAP. II.

De duobus Monachis, quorum alter felicem ſuum deceſſum prædixit, alter mirabili viſione admonitus conſilium ab Ordine deficiendi abjecit.

RETulit Rudigerus Prior, quòd quadam vice ante Matutinas tabula ad deſignandum mortuum fuit percuſſa in abſentia Abbatis, & ipſe cum Conventu in Infirmitorio Converſum mortuum invenerunt. Super quem dum exſequias debitas peragerent, alter Converſus infirmus Priorem vocavit dicens: *Prior audiatis confeſſionem meam, & expediatis me ad futuram vitam, quia ampliùs non durabo.* Cui dixit Prior: *Frater, jam ſum impeditus cum præſenti defuncto, & occupari non valeo vobiscum, ſed poſtea ad vos libenter veniam, & expediam, prout poſſum.* Ad quem Converſus: *Non, bone Prior, quia expectare non poſſum. Nam anima præſentis defuncti ad regna cœlorum non veniet ſine mea. Vidi enim animam præſentis defuncti quaſi in forma pueri ſuper corpus exanime fluctuantem, & multos dæmones in forma corvorum animam rapere laborantes. Tandem antequam Conventus intraret, glorioſa Virgo Maria eſt ingreſſa, ſub cujus pallium anima continuò tranſiliit, & adhuc ibi latitat, & meam animam expectat. Et habeatis pro interſigno: quàm citò expeditus fuero, ſpiritum exhalabo.*

Quem

Quem Prior expedivit, & ſuper cilicium ſecundùm conſuetudinem poni fecit. Et cùm letaniam & alia ad hoc debita devotè expleſſent, mox ſpiritum exhalavit, & ipſo die ambo in uno tumulo tumulati [ſunt].

Retulit Rudigerus Prior: Fuit hic quidam juvenis Monachus, cui diſplicebant ſpiritualia, & carnalia ſapiebant, ſic quòd ad ſeculum redire diſponebat, ſed adveniente termino exitus ſui pluries ex ordinatione divina impeditus fuit. Tandem quia gravabant labores Ordinis, deliberavit finaliter in Ordine non manere. Et colligens res ſuas ad lectum ſuum, exſpectavit (a) noctem & ad recedendum tempus ſibi aptum, habens tamen in veneratione Virginem glorioſam taliter, quòd raro vel nunquam in Monaſterio altare quodcunque tranſiret, inclinando ſemper dixit: *Ave Maria, gratia plena.* Et cùm ſic inanis pauſans tempus egrediendi dormitando præſtolaretur, viſionem vidit. Vidit enim, quòd juvenis quidam venit de Monaſterio [ad] lectum ſuum, [qui] tanquam comes itineris ſui eum excitavit, & ad Monaſterium duxit. Ambo tranſierunt (b) omnia altaria, quaſi valedicerent Sanctis Dei: & quoties tranſierunt aliquod altare, toties Monachus inclinando ſecundùm conſuetudinem dixit: *Ave Maria &c.* Tunc toties juvenis, qui præibat, ſe vertit & Monacho arriſit.

Tandem per oſtium, quod prope altare S. Catharinæ eſt, aſcendendo cœmiterium ſuper foveam

 igne

(a) *Cod.* exſpectans. (b) *Cod.* tranſientes.

igne & ſulphure intus ardentem perduxit. Et Monachus fœtorem de fovea ferre non valens abire voluit. Tunc juvenis eum arripuit, & quaſi eum in foveam præcipitare vellet, perduxit. At Monachus ejulando clamavit: *Mi Domine, ſinite me abire: nam ferè mortuus ſum præ fœtore.* Et juvenis: *Tu foveam intrabis: quia jam aliquanto tempore ingredi quæſiviſti. Nam omnes apoſtatæ, & ſpecialiter domus iſtius in iſta fovea ardent, & perpetuò torquebuntur: & tu unus ex illis eris, ſi mores tuos non correxeris. Nam ego ſum Angelus, ad cuſtodiam tibi deputatus. Et propter devotionem, quam ad beatam Virginem habuiſti, tibi hanc præmonitionem impetravi:* (a) *& quia tibi in dicendo* Ave Maria *arriſi, lætitiam, quam tota cæleſtis curia inde habet, arridendo oſtendi.*

Tunc Monachus evigilavit, & ſtatum ſuum periculoſum advertere cœpit, propoſitum apoſtatandi abjecit, mores correxit, & laudabiliter profecit, ac hanc viſionem præ oculis ſemper habuit.

(a) *Cod.* impetravit.

CAP.

CAP. III.

Chriſtanni, Supprioris Waldſaſſenſis fervor & conſtantia in oratione, illuſionibus diabolicis impetita, ejusdemque apud Deum meritorum præſtantia.

FUit hìc Monachus quidam, nomine Chriſtannus, qui triginta duobus annis optimè rexit officium Supprioratus. Hic magnus & devotus orator extitit, ita quòd ſingulis diebus, horis Canonicis & aliis orationibus exceptis, ex integro Pſalterium perlegeret. Hic in conſuetudine habuit, quòd adductis funeribus, quantum hora permiſit, Pſalterium legit, Et dum quadam vice noctis tempore cuidam interfecto, ante altare ſancti Bartholomæi locato, Pſalterium legeret, diabolus charitativis operibus invidens effecit, quòd corpus interfecti ſurrexit, & Monachum cum uno brachio amplexatum inſpexit. At Monachus magna conſtantia armatus non curavit, ſed legit, & ſe fiducialiter Domino commendavit. Quam conſtantiam diabolus ferre non valens, ipſe interfectus ſuper feretrum ſe repoſuit, & Monachus ad dormitorium rediit.

Habuit etiam in conſuetudine æſtatis tempore, quòd poſt Completorium in cœmiterio deambulavit, & pro defunctis oravit. Et quadam vice ſic deambulando vidit Monachum cum muliere concumbere. Et cùm vidiſſet, receſſit, & pro eo oravit. Sed dum tertia

tertia vice iterum hoc vidiſſet, commotus cogitans, quòd hujusmodi maleficium vellet mulieris impedire, acceſſit, & Monachum cum pede trudere cœpit, [ſed] pedem in fœtidiſſimo ſtercore inquinavit: & viſio diſparuit, & Monachum in lecto ſuo dormientem invenit: & ſic dœmonis figmenta, qui eum in devotione ſua ſæpe impedire niſus eſt, efficaciter recognovit.

Quodam tempore cùm Monachi ſuper cœmiterium eſſent in labore, & ligna inordinatè incedendo pro calefactorio deportarent, contigit, quòd Monachus unus non directè inceſſit, ſed pluries deviavit. Super quo cùm alii eum ſignis arguerent, reſpondit, quòd talem locum, quem digito in ſemita incedentium deſignavit, nullo modo poſſet pedibus conculcare. Quæ cùm prædicto Suppriori dato *benedicite* referrent, Supprior requirendo eum ſic eſſe cognovit, eique dixit: *Frater, expedias te, quia non poteris diu vivere.* Et ipſe ſe Sacramentis expedivit, & in ipſa hebdomada exſpiravit.

Cùm prædictus Supprior ſepeliretur, quidam Monachus ex devotione ejus ſepulchrum notabiliter ſignavit. Et contigit longo poſt tempore, quòd quidam Monachus, ſicut mihi narravit juramento confirmans, apoſtema periculoſum, ita quòd penè de vita deſperaret, in ſiniſtro latere haberet. Et cùm curam & conſilium non haberet, ſepulchrum ejus aperuit, & caput ejus accipiens confidenter hæc verba dixit: *Domine Jeſu Chriſte, ſi iſte homo tibi unquam grata ſervitia fecit, te rogo, ut me ipſius meritis ſanare digneris.* Ac caput ad apoſtema applicuit,

cuit, & ſanitatem priſtinam recepit, Prædictum verò caput poſtmodum in veneratione habuit, & adhuc in Monaſterio notabiliter ſervatur.

CAP. IV.

Vox mortui audita, querentis nimiam dilationem pleni gaudii poſt reſurrectionem corporum futuri. Rudigerus Prior Waldſaſſenſis à B. Maria V. lactatus. Alterius Monachi anima à beatis ſpiritibus ſuſcepta.

RETulit mihi Venerabilis Pater, Dominus Johannes Epiſcopus Babenbergenſis, quòd, cùm quadam vice quidam Monachus in devotis orationibus ante altare majus obdormiſſet, vocem audivit ſic perquirentem: *Sunt montes & valles, & arbuſta, ariſtæ ac decurſus aquarum, ſicut conſueverunt?* Et ille reſpondens ait: *Ita.* Tunc illa vox rurſum: *O quantum tunc differtur plenum gaudium meum!* Et Monachus: *Quis es tu, qui loqueris? Es tu in pœnis, vel quo modo differtur gaudium tuum?* At illa vox dixit: *Ego ſum talis nomine, & ſum magnus in conſpectu Dei, corpusque meum retro chorum in cœmiterio Waltſaſſenſi ſuaviter requieſcit.* Hæc prædictus Epiſcopus à patre ſuo audivit, utpote qui officialis & familiaris Monaſterii fuit, & ipſe Epiſcopus per perſonas & res Monaſterii promotus eſt & à pueritia educatus. Retu-

Retulit Rudigerus Prior, quod cuidam Monacho, ut prædicaret in Capitulo, fuit commiſſum. Et quia priùs non prædicavit, magis timuit. [Itaque] ad glorioſam Virginem Mariam, quam ſemper in veneratione habuit, orationibus confugit. Et cùm ante diem prædicationis in Infirmitorio ſecundùm conſuetudinem quieſceret aliquot dies, contigit, quòd in meridie in lecto, quem mihi monſtravit, meditando de Sermone obdormivit. Et vidit, quòd B. Virgo Maria Puerum Jeſum ante lectum materno ubere lactavit. Et Puer ad Matrem ait: *Mater chariſſima, da etiam iſti Monacho.* Et aperiens os Monachus, & beata Virgo mammam comprimens, & ſic illi in os, quod apertum habuit, modicum de lacte influxit. Tunc Monachus nimiam dulcedinem ſentiens evigilavit, & poſtea conſtanter frequentiùs prædicavit, & ab omnibus libenter audiebatur. Et ego ipſum Rudigerum perſonaliter ſuſpicor fuiſſe, eò quòd non fuerit magnæ litteraturæ, ſed multùm gratioſus in ſermone, ita quòd ab omnibus libentiùs cæteris audiretur.

Cùm quidam Monachus ad oſtium, quo de dormitorio intratur Monaſterium (a), noctis tempore ex conſuetudine frequentiùs oraret, quadam nocte videbatur ſibi, quòd in prædicto oſtio ſtaret orando: & vidit glorioſam proceſſionem albatorum de ſummo altari quaſi per ambitum procedentem. Et ipſa viſione [durante] tabula pro mortuo percuſſa fuit, & Conventus in Infirmitorio unum Monachum, trahentem ultimum ſpiritum, invenit. Et ſic arbitror, animam

(a) *i. e.* baſilica.

animam ipſius Monachi albatos, id eſt, Sanctos in ipſa hora, qua exſpiravit, in ſuum conſortium feliter aſſumpſiſſe.

CAP. V.

Avis importunior ad imprecationem ſacrificantis Monachi mortua. Aranea, cum Domini ſanguine in Miſſa ſumpta, inter unguem & carnem manûs ſacerdotis egreſſa. Viſio Macharii Monachi Waldſaſſenſis de inſtante peſtilentia.

QUidam Monachus ad altare S. Andreæ Miſſam legit. Et cùm exiſteret in Canone, quædam avis, quæ *Specht* dicitur, ad feneſtram advolavit, ac vitrum in feneſtra adeò pupugit cum roſtro ſuo, quòd Monachum in devotione ſua impedivit, & ad ultionem ſic provocavit cogitando: utinam eſſes mortua, quæ me in devotione mea impedire taliter præſumpſiſti! Cùm verò Miſſam perfeciſſet, ac calicem reportâſſet, & ad altare ſecundùm conſuetudinem rediiſſet, aviculam jacentem ante altare mortuam adinvenit.

Cùm quidam Monachus ad altare S. Bartholomæi Miſſam legeret, contigit, quòd poſt corpus Domini ſumptum, ſanguinem ſumere vellet. [Verùm] aranea in ſanguinem decidit, & Monachum perturbavit, ſic quòd, quid faceret, penitus ignoravit. Nam araneam cum ſanguine ſumere magnus ei horror fuit: ejicere

ejicere àutem iram Dei timuit. Tandem in ſimplicitate magna de Dei adjutorio præſumens, ſanguinem cum aranea ſumpſit. Et cùm Miſſam perfeciſſet, ac calicem reportâſſet, & ad altare ſecundùm conſuetudinem rediiſſet, digitum annularem circa unguem fricare cœpit, & inter unguem & carnem aranea viſibiliter ſine læſione egreſſa fuit.

Fuit hìc quidam Monachus, nomine Macharius, ſatis religioſus, Hic dum quadam vice in Infirmitorio debilis, quaſi raptus, jaceret, vidit Dominum Deum in nube venientem, & in throno per omnia ſimili Salomonis throno reſidentem, Angelorumque ſanctorum magnam multitudinem circumſtantem: & Angeli thronum accedentes totaliter confregerunt, ac in terram dejecerunt: & quidquid dejiciendo tetigerunt, ſubitò interiit, Tunc eodem anno magna mortalitas ſeu peſtilentia hominum iſtius diſtrictus notabiliter fuit ſubſecuta.

CAP. VI.

Monachi Puerum Jeſum deoſculantis mira felicitas. Vitæ ſanctitas & beata mors Erneſti Monachi Waldſaſſenſis.

QUidam Monachus in viſione ante ſummum altare orare venit, & ſuper altare glorioſam Virginem Mariam ſtantem & Puerum ludentem diſcurrendo ſæpius de cornu ad cornu altaris, & unum

& unum Monachum ante altare invenit. At ille, cùm tam ſpecioſam & pulcherrimam Virginem cum Puero vidiſſet, ſpecioſitas utriusque eum attraxit, propiusque acceſſit. Et dum accederet, Monachus, qui ibi priùs fuit, agnoſci timens, retro altare ſe abſcondit. Cùm verò ad altare acceſſiſſet, cum venia (a) dixit: *ave Maria.* Et Puer ſibi appropiavit, & ipſe Puerum arripere volens, ad Matrem confugit. Secunda vice cùm ſalutando *ave Maria* diceret, & Puer iterum ad eum accederet, ſic quòd arripere ſperaret, ſimiliter ad Matrem confugit. Sed cùm tertiò cum venia promeret *ave Maria*, Puer ita acceſſit propè, quòd eum arripuit, & ipſum Puerum amplexando deoſculabatur, & omni dulcedine ſatiabatur, & ſic ſatiatus ſuo deſiderio cum magno gaudio hunc dimiſit.

Erat hic venerabilis ſenex, nomine Erneſtus. Hic apud Capellam Pendorf ferè triginta annis morabatur, totam regionem illam fama ſanctitatis ſuæ perluſtrans, adeò quòd etiam Rex & Regina Romanorum eum per Auſtriam, Bavariam, Sueviam & Elſatiam (b) coactum per obedientiam Abbatis ſui ſecum ducerent, ut ipſi eorumque nati & omnes dilecti conſanguinei ex integro ſibi poſſent confiteri.

Qui dum extremæ vitæ ſuæ ſibi appropinquare terminum ſentiret (c), in Balerbach pro Cantore miſit, ut eum Sacramentis Eccleſiæ communiret. Quæ cùm devotè explêſſet, ad Monaſterium ſuum rediit, & devotus Erneſtus in Capella ante altare jacendo in

(a) *i. e.* inflexione genu. (b) *ita Cod.* (c) *Cod.* ſentiens.

venia per Fratres mortuus eſt inventus. Tunc Fratres, qui erant ſubtus Capellam in grangia (a), ipſum vaſe incluſum versùs Monaſterium duxerunt. Et cùm iter agerent, contigit eos in villa Monaſterii, quæ Pirch dicitur, pernoctare, & ibidem noctis tempore in vaſe, in quo ſancta gleba claudebatur, luminaria ardentia à pluribus ſunt viſa ſenſibiliter & expreſsè.

Eadem quoque nocte cùm nulli de Monaſterio de morte conſtaret, quidam Monachus in viſione vidit, quòd altare novum in medio Chori crevit, in quo novus & integer Sanctus claudebatur. Et cùm de mane Erneſtus eſſet adductus, & per Conventum ſecundùm conſuetudinem expeditus, ad locum, ubi altare cum Sancto viſum eſt, fuit cum feretro collocatus. Tunc Monachus eſſe ipſum Sanctum in altari ex viſione ſua intellexit, & pro eo Dominum collaudavit.

CAP. VII.

De prophetico ſpiritu Johannis Cartuſienſis, Monachi & Cantoris Waldſaſſenſis.

FUit hìc Monachus Johannes Cartuſienſis, in obſervantia Ordinis rigidus & auſterus. Hic Cantoriam quadraginta annis laudabiliter & ſtrenuè rexit, ac omnibus exemplaris vitæ (b) ſemper

(a) grangia eſt prædium, villa ruſtica. (b) *loc. corruptus.*

per familiaris ſervus Dei fuit. Nam multas tribulationes [&] revelationes a Deo habuit, de quibus unam mihi manifeſtavit.

Contigit, quòd quosdam Monachos morituros prædiceret quibusdam ſecretè, & illi hoc ad me deferrent: & tunc in febribus laboravi. Ipſe Cantor me acceſſit, quia ſemper me dilexit, tanquam ægrum viſitando. Tunc ab eo fidenter, qui eſſent morituri, quæſivi. Et ipſe humanam laudem fugiens non libenter expreſſit, ſed dixit: *non curetis, quia non eſtis unus ex illis.* At ego dixi: *vobis, Cantor, præcipio, quod Miſſam non legatis, quousque mihi ex integro reveletis.* Et ipſam non libenter intermittebat, quia omni die cum devótione ſemper legit. [Tunc] quatuor robuſtos tunc temporis Monachos mihi nominatim ſic expreſſit, videlicet quòd unus poſt unum, ſubſequenter omnes quatuor Monachi & duo Converſi in brevi tempore finaliter eſſent morituri.

Et cùm quærerem, unde hoc ſciret, mihi dixit, quòd [dum] illi ſex in viſione ante lectum ſuum ordinatè ſtarent, vox quædam ad eum ait: *ſicut vides illos in ordine ſtare, ita in brevi ſecundùm ordinem morientur.* Tunc ego dixi: *iſta fortè non evenient in re, ſed indigent interpretatione.* Et ipſe: *Non Domine: quoties hæc vox aliqua mihi dixit, ita ſemper habuerunt in re absque omni ſignificatione.* Et ſic ego comperi in prædicta narratione, quòd omnia, prout dixerat, ad litteram evenerunt.

CAP. VIII.

De miris rebus Gerhardi Monachi.

ERat hìc ſenex Monachus, ſimplex & pius, nomine Gerhardus, multis annis exiſtens portarius. Qui dum quadam vice per Nobiles, qui caſtrum Liebenſtein hæreditariè poſſederant (quod nunc auxiliante Domino Monaſterium habet) pro audiendis confeſſionibus & Sacramentis expediendis vocaretur, ivit ex juſſu Abbatis, & ſecum ſacroſanctam hoſtiam tulit. Quos cùm expediviſſet, rediit intendens nocturnum in curiam, quæ ſita eſt in piſcina Turſenreuth, habere. Venit ad aquam, & invenit aliqualiter congelatam. Mox de equo deſcendit habens adhuc partem hoſtiæ ſacroſanctæ in collo pendentem [&] equum poſt ſe trahens, aquam uſque in curiam pertranſivit. Quem dum Magiſter conſpexiſſet, multùm ſtupefactus cum admiratione quæſivit, quomodo illuc intrâſſet. Qui rèſpondit: *ſicut me incedere cernitis, ſic intravi, & equum mecum duxi.* Tunc Magiſter piſcium manu eum ducebat ad aquam, & modicum lapillum ſuperjaciens glaciem confregit, & lapillum merſit. Quod cùm Monachus vidiſſet, Dominum benedixit. Et Magiſter ait: *Domine, iteratò tranſite.* Et Monachus: *non tentabo Dominum. Nam ſi ſic fragilem conſpexiſſem, Dominum utique non tentâſſem.*

Contigit tempore meo, quòd prædictus Gerhardus

dus infirmabatur, & ego compatiens eum acceſſi eique dixi: *pro peccatis vobis injungo, ut carnes comedatis.* Qui reſpondit: *bone Domine, non præcipiatis, quia uſum non habeo. Nam a quinquaginta annis & ampliùs non comedi.* Tunc ab eo quæſivi, ſi poſſet piſces comedere. Reſpondit: *poſſum, ſi miniſtraveritis, piſces ſalſos comedere & recentes.* Statimque procuravi, ut ſibi carnes vaccinæ & vitulinæ Huſonis loco, & aliæ carnes nomine piſcium dabantur. Et ipſe in ſancta ſimplicitate ferè per menſem conſolabiliter manducabat, credens firmiter ſe piſces manducâſſe.

Cùm verò ipſe Gerhardus ſeptuaginta duobus annis ſine querela in Ordine vixiſſet, finem vitæ ſuæ ſentiens, vix inductus ad Infirmitorium ſe depoſuit una tantùm nocte. De mane in die ſanctæ Epiphaniæ in ambitum veniens, & ad altare ſanctæ Trinitatis quidam Monachus Miſſam legit, cui ſignificavit, ut eum ſacra communione communicaret. Qui ſibi annuit ſignis, ut ſecundam Miſſam exſpectaret, & ad majus altare communicaret. Tunc Gerhardus ſigna intermiſit, & ſilentium rupit dicens: *non poſſum exſpectare.* At ille ſacra communione eum procuravit, & Gerhardus at Infirmitorium rediit, moxque ſpiritum exhalavit.

CAP. IX.

Ira defunctorum in Cœnobitas, qui debita illis officia & preces negligunt, binis viſionibus oſtenſa. Tepidè in choro pſallentes dæmonibus ludibrio ſunt &c.

RETulit Rudigerus Prior, quòd quidam deſidioſus orationes debitas pro mortuis, ſeu in Capitulo injunctas ex quadam incuria intermiſit. Tandem eum Dominus infirmitate tetigit, quòd lecto decubuit adeò graviter, quòd de vita penitùs deſperavit. Tunc negligentias ſuas revolvit, ac multùm timuit, & quaſi raptus vidit, quòd innumerabilis multitudo animarum ad ipſum venit, quælibet anima ad ipſum ſeriosè debitum ſuum repetens ſic dicendo: *ſolve mihi Pſalterium:* Alia ſeptem Pſalmos, alia *Miſerere.* Et ſic ſingulæ accedentes, quaſi totaliter ipſum diſcerpere vellent.

At Monachus ingemuit & cogitavit: *ſi Dominus mihi vitam concederet, omne neglectum perſolverem juxta poſſe.* Moxque ad convaleſcendum ſe diſpoſuit, & ſanitate recepta priſtina ſaccum lineum ſub cuculla collo alligavit, & orando quaſi ſemper inceſſit: & quoties pſalterium, ſeptem Pſalmos, ac alia debita orando perſolvit, toties lapillos ſecundùm æſtimationem debiti in ſaccum miſit. Qui dum ſaccum lapillis implêſſet, ad cœmiterium venit, [&] ſaccum aperiens lapillos ſparſit dicens: *dividite inter vos, & unaquæque anima ſuam recipiat portionem.*

Fuit

Fuit hìc quidam Monachus, qui, quoties ſervitium (a) dabatur, ſeptem Pſalmos ſeu alias orationes debitas dicere non curavit. Sed contigit, quòd, cùm in quodam ſervitio foret optimè procuratus, quaſi raptus vidit ſe ſuper ſepulchrum reſidere, & effoſſi mortui coxam integram maſticare. In cujus maſticatione tantum horrorem habuit, quòd poſtea omnes ſuas negligentias & alias orationes injunctas devotus & benevolus ſemper ſolvit.

Quidam Monachus poſt Nativitatem Domini inter Matutinas Capellam Sancti Michaëlis intravit & oravit, & in ipſa oratione dulciſſimum odorem ſenſit, & tam magnam gratiam habuit, quòd antea nec pòſt ſimilem eſt expertus.

Quodam tempore cùm Monachi ad pſallendum infra laudes Matutinas in Choro ſtarent, & nimis depreſsè & tepidè in choro Prioris legerent Pſalmodiam, quidam ex debilitate dormitare cœpit, & vidit, quòd dœmon per ſedes Novitiorum pertranſivit, & ad chorum Abbatis ire voluit. Cùm autem in choro Abbatis ſtrenuè & alacriter pſallerent, mox cùm dœmon ad chorum Abbatis poſuiſſet pedem, tranſiliit quaſi cum fuſte in frontem lethaliter foret læſus, chorumque Prioris pertranſivit, & tepidè pſallentes ibidem diverſimodè ſubſannavit.

(a) *i. e. cibus & potus Monachis præberi ſolitus ob ſolemniora officia & ſacra pro defunctis.*

CAP. X.

Vexillum Monaſterii Waldſaſſenſis cur armis Paſſionis Dominicæ inſignitum ſit? Leupoldi Monachi perenne ſtudium orandi. Singulares gratiæ, quibus Puer JEſus, ejusdemque ſanctiſſima Mater quendam ibidem Monachum dignati ſunt.

CUm quodam tempore pauperes Monaſterii ſpoliarentur, & clamor ad Monaſterium perveniret, quidam tunc intus erant hoſpites, qui cum famulis Monaſterii ſpoliatores ſunt viriliter inſecuti. Et cum pannirium (a) non haberent, quidam amiculum ſuum, quod *Kutzplahen* dicitur, cujusdam mulieris cuſpidi alligavit, & ſpoliatores pugnâ comprehendentes honorificè devicerunt. Et quia multò plures erant numero ſpoliatores, quàm inſequentes, quæſitum eſt ab eis, quare a paucioribus eſſent victi? Reſponderunt, quod Paſſionem Domini noſtri JEſu Chriſti in prædicto amiculo vidiſſent ſenſibiliter & expreſsè: Quæ viſio taliter eos conſternâſſet, quòd ſe defendere non valerent. In cujus rei memoriam in Pannirio Monaſterii Paſſio Domini eſt depicta.

Fuit

(a) *aliàs* panerium, *ſeu* bannerium, *vexillum.*

Fuit quidam Monachus ſenex, nomine Leupoldus, magnus & devotus orator. Qui dum in extremis laboraret, ſervitor eum reſpexit. Cui dixit: *non eſt opus me iſta vice reſpicere, ſed vade, comede, & circa horam nonam, cùm videris libellum* (quia inceſſanter orationes legit) *de manibus meis cadere, tunc ſcias mihi vitæ ultimum imminere.* Quod & factum eſt. Nam libellus prædicta hora de manibus ſuis cecidit, & ipſe mox ſpiritum exhalavit.

Quidam Monachus in ſervitio Beatæ Virginis Mariæ longo tempore devotus, ſpecialiter diligens diſciplinam regularem, ùt puta, quem a triginta annis novi & ultra ſtrenuum Ordinis zelatorem, inter multas viſiones, quas mihi fiducialiter revelavit, ſubſcriptas ſolùm memoriæ commendavi. Contigit, quòd quodam tempore in ſanctis meditationibus obdormivit. Et viſum eſt ei, quòd in choro ſtaret. Directo vultu ad altare vidit, quòd beata Virgo Maria ludendo crebriùs Puerum ſurſum projiciens in manibus delitioſiùs capiebat. Tunc prædictus Monachus de caſu timens Pueri ad altare cucurrit dicens: *O dilectiſſima Domina Maria, age cautè, ne Puer cadat:* ſubinferens: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* At Puer Monachum præveniens dicebat: *Et benedictus fructus ventris tui. Ego ſum ſpecioſus forma præ filiis hominum*, pluries iterando.

Præterea cùm idem Monachus in Octava Epiphaniæ ſpecialem devotionis gratiam ad Puerum Chriſtum haberet, viſum eſt ei, quòd in choro eſſet. Et dum cantaretur: *Chriſtus apparuit* &c. vidit bea-

tam Virginem Mariam glorioſam cum Puero ſuper altare. Et Puer diſcurrebat ludendo multoties de cornu altaris ad cornu, Matre ſtante immobili. Tunc accedens ad altare geniculando dicebat *Ave Maria* per totum. Et poſt finem ſalutationis Puer oſculum dedit Monacho, & toties, quoties dixit *Ave Maria*, in fine oſculum offerebat, quàm diu Invitatorium & Hymnus in Choro cantabatur, tanto temporis ſpatio perdurante.

Eidem Monacho in viſione apparuit infra Miſſam ſub Canone, dum genicularet ad altare in loco, ubi conſuetum eſt communicare, beata Virgo Maria [&] cum Puero ſuper altare ſedit, & Puer concitus ad Monachum cucurrit. Tunc Mater ſequebatur Puerum, quaſi timeret de caſu ejus, nudum arripuit ac tenuit ſub aſcellis (a), prædicto Monacho ad oſculum offerendo tot vicibus, quot *Ave Maria* ex integro peroravit. Amen.

Explicit.

(a) aſcella *pro* axilla.

ANO-

ANONYMI SUBLACENSIS

Ord. S. Ben.

DE

CONSUETUDINE ET MODO VIVENDI COENOBITARUM MONASTERII SUI ANNO MCCCC.

Ex MSS. Cod. S. Udalrici & Afræ Auguſt. Vindelic. & Mellicenſi.

(a) Incipit Epiſtola, totum proceſſum converſationis Monaſterii Sublacenſis continens.

DEſiderâſti a me dilectiſſime in ultima propoſiti mei manifeſtatione, omnem ordinem eventuum meorum tibi quantocyùs declarari. Quare noveris, quòd in Vigilia Lucæ feria tertia, circa Horam Veſperarum (b), veni in Monaſterium, quod dicitur Sublacus, & ſtatim interfui Veſperis, & deinceps Completorio & Matutino. Et ſic cum adjutorio Omnipotentis Dei ac ejus glorioſiſſimæ Genitricis perſeveravi usque in præſens incolumis, viribus corporalibus ſuſtentus in omni obſervatione, ùt ibi fieri ſolet. Nec non eadem voluntas, quam tibi (c) ſoli patefeci, hucusque mihi verè immerito &

(a) *ita Cod. S. Udalric.* (b) *uterque Cod.* dum horam Veſperorum. (c) *uterque Cod.* illi.

& ingrato inconcuſsè permanſit. Quapropter tuam fraternitatem charitatemque intimè rogo, ut in gratiarum actionem pro me Miſſas, unam de Sancta Trinitate, unam de Beata Virgine, unam [de] Sanctiſſimis Spiritibus, unam [de] Patronis Lamperto &c. unam [de] ſanctiſſimo Benedicto, unam [de] Omnibus ſanctis legere digneris, ſupplicans meorum peccatorum innumerabilium remiſſionem & voluntatis Dei conformationem (a), ac in finem vitæ conſervationem.

Cæterum verò ſi vitam ibi viventium nôſſe volueris, non hoc plenariè, ſed in parte declarabo, præſuppoſito tamen principaliter, quòd Regula ſecundum meam ſimplicitatem mihi videtur juxta ſtatum hominum, pro nunc exiſtentium, ſatis convenienter obſervari (b), & perfectiùs obſervabitur per augmentum perſonarum. Peſtilentia enim locum in perſonis aliqualiter devaſtavit. Inſuper inter perſonas regentes & ſubditos talis eſt differentia & convenientia (c), excepto Abbate (d), qui ſemotus eſt, quòd quilibet Priorum (quia duo ſunt Monaſteria & unus Conventus) ſeu vice Priores vel Vicarii, ùt dicitur, in abſentia Prioris eadem utitur poteſtate, ut, quidquid mandaverit reliquis Officialibus, ſeu alicui perſonæ ſubditæ, ab omnibus fieri conſuevit. Et illi duo Priores cum duobus Præpoſitis ſeu Cellariis habent omnia ſpiritualia & temporalia regere & ordinare ſolùm ad unum annum: quia ſingu-

(a) *Cod. Udal.* Confortationem. (b) *amb. Codd.* obſervetur. (c) *Cod. Udalr.* communitas. (d) *tunc fortè jam Commendatario.*

ſingulis annis in die SS. Philippi & Jacobi ante comeſtionem electio fieri conſuevit. Nihil tamen fit, quod eſt notabile, quod non conſilio Capituli omnium, ſeu Seniorum conſenſu antea tractetur. In choro verò, in menſa, in habitatione cellarum, in labore omnes conſimiles ſunt, niſi legitima cauſa quemquam exceperit. Quemlibet tamen in Divino officio, uti & in proceſſionibus, in ſeſſionibus ordinem ſuum, ùt Regula docet, obſervare oportet. Quod ideo dico, quia ibi ſunt duo Doctores, unus Pragenſis Theologiæ Sacræ, qui ſtat ſub me & ſub omnibus aliis, poſt quos venit ad locum illum: alter verò Doctor Decretorum, qui eſt homo ſatis ſenex, ſub omnibus aliis ſtat junioribus, qui eum præceſſerunt in adventu, & hic eſt Gallicus, & credo Bolonienſis.

In Horis Canonicis talis modus obſervatur, quòd Curſus Beatæ Mariæ quaſi ſubmiſſa voce ac prolatione (a) ſecundum noſtrum morem profertur: Horæ vero altiùs modicùm leguntur diſtinctè ſecundum debitas pauſas, non tamen nimis protrahendo, exceptis Laudibus, Tertia, Veſperis & Completorio, quia cottidie canuntur. In feſtivitatibus verò principalibus totum canitur, excepta Sexta. Et cottidie Miſſa principalis diei cantatur. Stat autem omnis Congregatio ad omnem Pſalmodiam omnium Horarum, & nunquam ſedent niſi ſub Lectionibus Matutinalibus & Epiſtolis ſeu Lectionibus Miſſarum: & feriatis diebus, cùm legitur unus Nocturnus cum Lau-

(a) *Locus in utroque Codd. corruptus. Fortè leg.* protelatione.

Laudibus de Vigiliis mortuorum, tunc etiam ſedent. In Quadrageſima verò ferialibus diebus citra Matutinas & Laudes leguntur tanquam Curſus Virginis Mariæ ſeptem Pſalmi Pœnitentiales cum Letania flexis genibus, & poſt Completorium ſedendo leguntur Quindecim Gradus; & preces fiunt ſecundum noſtrum modum ad omnes horas. Per totum verò annum fit confeſſio ad Completorium & ad Primam, diebus verò feſtivis ad Primam non, aliis verò ſemper.

Vigiliæ verò ſecundum Regulam fiunt ſemper tam æſtate quàm hieme poſt Matutinas, & illæ tam benè temperantur per ordinationem horarum, quòd nullus ſomnolentus ſecurè illo tempore dormire poteſt: quia tempore æſtivali fit ſemper breve intervallum feriatis diebus inter Matutinum & Laudes: hiemis verò tempore prolixius. Cùm autem eſt duodecim Lectionum officium, protrahitur prolixè quaſi ad diem in hieme, ſemper autem in æſtate: & tunc parvo intervallo Primæ pulſantur, & ſic ſequitur pulſus, quòd volens dormire nunquam eſt ſecurus, & cum hoc eſt inhibitum. Pulſatur autem tam ad Laudes quàm ad Primam, & fit ſemper intervallum inter pulſum & pulſum. Et ſic de pulſatione fit reliquis horis præterquam ad collationem, quia tantùm ſemel: & feſtivis diebus ad Veſperas & ad Matutinas ter pulſatur. Et fit ſemper intervallum, ùt ſupra. Nunquam autem conceditur dormire de die niſi tempore æſtivali, niſi neceſſitas cogat infirmitatis. Dormitio in die quaſi durat tres horas illo tempore.

Jeju-

Jejunium verò taliter fieri ſolet, ut per totam hiemem, id eſt: a Feſto ſanctæ Crucis usque ad Paſcha, excepta ſola die Natalis Chriſti & diebus Dominicis [jejunetur], & jejunatur ſemper usque ad bonum meridiem. In Quadrageſima verò jejunatur usque poſt Veſperas, & fit tunc acceſſus ad menſam ad minus ad duas horas poſt meridiem vel quaſi ad tres. Et omnibus diebus jejuniorum fit collatio potûs breviſſima ante collationis lectionem in Refectorio. A Paſcha verò reficiuntur cottidie bis usque ad Vigiliam Pentecoſtes. Reliquo verò tempore æſtivali jejunatur quarta & ſexta feriis omnibus ſeptimanis, & jejunia Eccleſiæ. Et in talibus diebus jejuniorum dormitio diei, quæ debet fieri poſt prandium, fit inter Tertiam & Sextam ante officium Miſſæ, vel aliquando poſt Miſſam inter Sextam & Nonam.

Refectionis modus ita temperatus eſt, quòd non nimium nec nimis modicum datur, [ſed] datur ſufficientia: in pane, & vino eſt abundantia, quantum quis comedere & bibere poteſt. Duo dantur fercula, & unum eſt de generibus ſeminum ùt videlicet fabarum vel lentum &c. aliud verò de oleribus vel ovis coctis in patella. Ad hoc additur de leguminibus, ùt unum pomum vel duo, ſi ſunt parva, vel quatuor nuces, vel ficus, vel caſtanea, vel allium vel cepe. Ad cœnam verò modicum miniſtratur, & ut plurimum (a) cruda olera cum aceto & oleo: & ſi aliquid coctum, tunc in parva quantitate, ita ut ſit una conſolatio, cùm dantur duo ova mollia (quod tamen raró fit) & portio caſei.

(a) *Cod.* in plurimum.

Tempus autem comeſtionis ſic temperatum eſt, quòd non diu protrahitur: ita quòd guloſus, ſi eſſet aliquis, non poteſt omnia comedere, niſi nimiùm feſtinaret. Pauci autem ſunt & quaſi nulli, qui non in omni comeſtione aliquid ſibi ſubtraherent de iſtis, quæ apponuntur, & quibus licitè uti poſſent. Dictum eſt mihi a Patre uno, quòd Frater valde antiquus illo tempore feria ſecunda feſtivitatis Pentecoſtes, me ibi exiſtente, ſolùm ſemel in die, & unum ferculum comedit. Sunt autem ſcutellæ, in quibus miniſtrantur fercula, ut quaſi medium octale vini menſuræ Salzpurgenſis contineant. Nunquam autèm fiunt tempora conſolationum nec minutionum, niſi quando eſt aliquod principale feſtum: tunc fit una additio per ſpecialem hauſtum vini melioris, vel additio alicujus panis, additio piſcati vel confecti, & rariſſimè in anno, ùt in maximis feſtivitatibus. Et aliquando fit additio per unum ferculum vel duo, & tunc fit in minori quantitate.

Cellæ autem Fratrum conjunctæ ſunt & ita patentes, ut pertranſiens videre poſſit, quid faciat inhabitans. Continent lecti ſuppodia, & cervicalia non ſunt de plumis, ſed de lanis, ùt credo, ovium. Cooperimentum lecti ſunt duo ſaga quaſi capacia.

Labores quidam ſunt ſpeciales, quidam generales. Speciales injunguntur ſecundum ordinem, & quidem ſpirituales, ùt ſacriſtæ, qui habent pulſare debitis temporibus ad omnes horas, & ornare Eccleſiam luminaribus & aliis, Sabbatis officia ſingulorum ad hebdomadam [ordinare], ùt Lectoratûs,

Acoly-

Acolythatûs & conſimiles. Quidam temporales, ùt coquinarii, miniſtri menſæ. Coquinarii habent lavare omnia vaſa coquinæ per hebdomadam ſeptimanæ ordine ſuo : Sabbato præcedens & ſequens cum miniſtris ſeu ſervitoribus menſæ & intrante & exeunte lavare pedes in mandato (quod fit omni Sabbato) omnium fratrum : & præparare omnia vaſa & aquam ad lotionem pedum, & ſcopare dormitorium & ambitum, & miniſter intrans Refectorium per hebdomadam habet purgare omni die quaſi. Idem miniſter menſæ habet præparare menſam & ſervire comedentibus.

Sunt & alii labores ſpeciales, qui non ad hebdomadam, ſed ex inſtitutione officii fiunt, ùt Hoſpitalarii, qui habet expedire hoſpites : & eſt unus de Sacerdotibus : & lavantur pedes hoſpitum ab omnibus fratribus. Et labores Officialis Infirmariæ, qui habet expedire Infirmariam in omnibus quaſi paterfamilias. Et quando aliquis infirmatur, quòd neceſſe ſit ſibi de nocte aſſiſtere, ad hoc eliguntur idonei, qui ſciunt gerere curam infirmorum, tam de Sacerdotibus quàm de aliis fratribus, a Priore. Et ſic etiam fit de die, ſi neceſſe fuerit. Officium hoc tenet unus de Converſis & ad hoc idoneus. Et infirmis miniſtrantur omnia, quæ haberi poſſunt, ipſis neceſſaria, ſive de communibus, ſive in ſpeciebus juxta dijudicationem medici vel alicujus diſcreti. Non autem aliquis intrat Infirmariam, ut ibi aliquando comedat carnes, niſi infirmitas magna & evidens quemquam ad hoc compellat, & cum hoc de ſingulari mandato Prioris.

Sunt & alii diverſi labores ſingulis commiſſi Converſis ex officiis, qui habent, importare panem & vinum & omnia comeſtibilia. Et unus ad coquinam ad coquendum cibaria, & unus [ad] piſtrinam, & ſic de aliis, ùt ſutorum, ſartorum.

Generales autem labores ſunt, qui fiunt in exercitiis, quod tempore æſtivali fit poſt Nonam, & tempore hiemis inter Sextam & Nonam. Et hi fiunt generaliter ab omnibus tam a ſenibus quàm a juvenibus, qui non ſunt occupati ex aliquo officio, ùt exquiſitio ſeu purgatio leguminum, fabarum, cicerum, lentum, & ſic de aliis, & in loco exercitii deputato. Et iſti labores ſunt magis communes per totum annum.

Sunt & alii labores diverſi, ſecundum quod neceſſitas expoſcit, ut ſcopare, portare lapides, ligna, lavare veſtes proprias, in hortis tempore æſtatis eradicare herbas inutiles, comportare fœnum in pratis, & colligere uvas. Et iſti labores fiunt propè Monaſterium, & in locis ſequeſtratis longe ab hominibus. Et quidquid injungitur a Priore vel Vicario, ſive fit in adjutorium Officialium, ſive alia ex cauſa, fit ab omnibus abſque omni contradictione, & nullus utitur propria voluntate. Et pro quacunque re aliquis homo inclinatur ſeu increpatur, dicit: *culpa mea eſt*, & non excuſat ſe, niſi fortè interrogatus fuerit, vel magna neceſſitas expoſcat: & hoc tamen cum licentia.

Silentium ſummum obſervatur in eccleſia, in Refectorio, in dormitorio ſeu in aliis locis. Non audet quiſquam loqui niſi priùs petita benedictione a Se-

a Seniori ſe, cum quo vult loqui. Neceſſaria verò in omnibus rebus, ſecundum quod cuilibet competit, & haberi poſſunt, ut in libris ſeu in aliis, cuililibet miniſtrantur.

Præter ea verò, quæ ſcripta ſunt, poteſt te in aliis diverſimodè informare Johannes Lewbs, profeſſus Monaſterii de Altenpurga, præſentium lator [qui] quaſi ad tres menſes in omni obſervatione concurrens ſufficientem notitiam habet, cui propter meas preces ſpeciales in ſumptibus usque ad cellam ſubvenire velis. Spoliatus enim eſt rebus ſuis: & ſic ſuade Domino Priori & Jacobo Cuſtodi Sacriſtiæ, quibus tamen de eo mentionem facito, ſed pauciſſimis verbis. Inſuper ſi tibi videtur, Johannem Venatorem, tuum diſcipulum alloquere, ſi providere benè voluerit animæ ſuæ & ſufficientiæ corporali, poteſt ſecurè pro aſſumptione habitûs advenire (Mihi enim videtur ipſum eſſe benè aptum) Attamen ſi poteſt fieri, in patria ſeu Romæ, omnes Ordines Sacerdotii præaſſumere. Idipſum ex parte mei [dic] Reinhardo, poſtquam tamen ſufficientis fuerit ætatis, qui meus fuit juvenis. Difficulter portare poſſet absque annorum (a) diſcretione. Et ſcire debes, quòd ſolum principium quaſi inconſuetum aggravabat me & diverſæ tentationes. Nunc verò magnam conſolationem habeò, eo quòd per miſericordiam Omnipotentis & ejus Genitricis immeritus & verè indignus venire ad talem converſationem potui. Et quaſi jam non aggravant mentem meam omnia, quæ mihi præcipiuntur.

(a) *uterque Cod.* eorum.

Etiam cum omni diligentia peto, ſecundum quod tua diſcretio noverit fieri, ut obſervantias illas & ſcripta omnibus, quibus prodeſſe poſſunt vel potuerint, in aliquorum ſaltim imitatione revelare velis, non curans, ſi aliquibus diſpliceat. Quia ſi hominibus placere volumus, ſervi Dei non ſumus. Et ſpecialiter Domino Andreæ de Beltenbrug in ſcriptis transmitte, quia isdem Plebano in Spicz devotiſſimo & aliis, Caſpari Sacriſtæ in Geſten &c. communicare poteſt, hoc tamen præ omnibus cuſtodito propter meas ſpecialiſſimas preces, ut non aliqua mentio in iſto ſpecialiter, & in aliis mei fiat. Propter hoc enim diu diſtuli tibi ſcribere, & cum timore feci, propter pericula diverſarum tentationum & diſtractionem.

Finaliter committo me orationibus tuis devotis, & de meis, utinam devotis, non diffidas. Reinhardum habe propter Deum & meas humiles preces ut filium commiſſum. Spero enim de Dei mei miſericordia eum in bonis & tuo adjutorio proſperari. Valeas in Chriſto & in ejus dulciſſima Genitrice.

Scriptum in Monaſterio Specus S. Benedicti anno Domini 1400. 8. Idus Junii.

VEN.

VEN. MARTINI DE SENGING PRIORIS MELLICENSIS

TUITIONES

OBSERVANTIÆ REGULÆ S. BENEDICTI, PATRIBUS GENERALIS CONCILII BASILIENSIS OBLATÆ.

Ex MSS. Cod. Monaſterii Mellicenſis.

Martini de Senging, Prioris Mellicenſis * Tuitiones pro obſervantia Regulæ S. P. N. Benedicti ex Concilio Baſilienſi.

Reverendiſſimi, Reverendiq́ʒ Patres, ac Domini Præſtantiſſimi.

DIgnentur Dominationes Veſtræ vigilanter intendere circa reformationem Ordinis S. Benedicti. Non enim ſufficit Monaſteria ejusdem Ordinis, in regulari obſervantia collapſa, reducere ad ſola tria ſubſtantialia, prout Reverendiſſimus Pater, Dominus Legatus intendebat, Viſitatorésque ad id ordinavit. Neque enim eſt poſſibile reformationem hujusmodi fieri, videlicet reducendo ad tria ſubſtantialia omiſſis accidentalibus. Hujus varietatis ſic poteſt capi intellectus.

* *Ita titulum refert Rubrica vetus Codicis Mellic. ſignati lit.* N. *numero* 16.

Eccleſia approbans & inſtituens ſtatum Religionis, voluit hunc conſiſtere in tribus, quæ dicuntur ſubſtantialia ipſius, videlicet in voluntaria paupertate, perpetua caſtitate, & obedientia, non qualicunque, ſed *regulari.* Dicitur autem illa *obedientia regularis*, quæ exhibetur ſecundùm aliquam regulam approbatam per Eccleſiam, quarum ſunt tres, ſcilicet Regula S. Benedicti, Regula S. Auguſtini, & Regula S. Franciſci. De voluntaria paupertate & perpetua caſtitate hoc, quod dixi, expreſsè habetur ex textu Capituli: *Cùm ad Monaſterium* de Statu Monach. in fine, ubi dicitur, quòd *abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere.* Et unde hæc annexio niſi ex inſtitutione Eccleſiæ, quæ etiam taliter perpetuam caſtitatem annexuit Ordini Sacerdotali?

Obedientiam regularem omnes Ordines expreſsè profitentur. Unde nos de Ordine S. Benedicti ſic dicimus: *Ego N. promitto ſtabilitatem meam, converſionem morum meorum, & obedientiam ſecundùm Regulam S. Benedicti.* Hinc quidam diffinientes, quid ſit Monachus, dicunt, quòd eſt perſona, voluntariam paupertatem, perpetuam continentiam & obedientiam regularem expreſsè vel tacitè profeſſa. Ex his colligite, quòd quamvis obligatio conſurgens ex profeſſione obedientiæ regularis, ſtatui Religionis annexæ, in genere ſit una, vel ſignificetur per unum genus, deſcendendo tamen ad ſpeciem, puta ad obedientiam regularem hujus vel iſtius Ordinis, invenitur diverſificata. Quia aliter tenetur ſuo

Præ-

Prælato obedire Monachus Ordinis S. Benedicti, aliter Monachus Ordinis S. Franciſci, & aliter Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini, ſecundum quod Regulæ ſuarum profeſſionum ſunt diverſæ. Hæc autem diverſitas quaſi tota conſiſtit in accidentalibus.

Pro quo ſciendum, quod ad perpetuam caſtitatem omnes tenentur Religioſi æqualiter. Ad voluntariam etiam paupertatem æqualiter tenentur omnes Religioſi profeſſi ſecundùm Regulam S. Auguſtini. Sed Religioſi profeſſi ſecundùm Regulam S. Franciſci tenentur ad hanc aliquo modo excellentiori. Quæ prima duo genera Religioſorum poſſunt habere divitias in communi, illi verò eas habere non poſſunt nec in ſpeciali nec in communi. Et quamvis, quantum ad hoc ſubſtantiale, quod eſt voluntaria paupertas, Regula S. Franciſci inveniatur diverſificata à Regulis S. Benedicti & S. Auguſtini, illæ tamen ultimæ duæ Regulæ, quantum ad illud, in nullo diverſificantur. Et tamen Prælato ſuo aliter obedire tenetur Religioſus profeſſus ſecundùm Regulam S. Benedicti, & aliter Religioſus profeſſus ſecundùm Regulam S. Auguſtini. Ille ad plura & rigidiora, iſte verò ad pauciora & leviora, ſecundùm quod Regula S. Benedicti rigidior eſt Regulâ S. Auguſtini. Hæc autem duarum obligationum diverſitas tota conſiſtit ſolùm in obſervantia accidentalium, quæ ſecundùm Regulam S. Benedicti ſunt abſtinentia carnium ſervanda a ſanis & fortibus Monachis, jejunium quotidianum, demptis diebus Dominicis, ab Idibus Septembris usque ad Paſcha, & quartarum & ſextarum feriarum a feſto Pentecoſtes

usque

usque ad Idus Septembris, exceptis caſibus legitimæ diſpenſationis, etiam in Regula expreſſis. Item ſilentium obſervandum ſuis locis & temporibus modo in Regula expreſſo: clauſura Monaſterii, ſervitus & lectio menſæ, & cætera talia.

Ex quibus manifeſtè concluditur, quòd non ſtat aliquod Monaſterium Ord. S. Benedicti ad obedientiam regularem, quæ eſt unum de tribus ſubſtantialibus religioſi ſtatus, eſſe plenè reformatum, omiſſis accidentalibus: Quia illa verſatur & exhibetur in obſervatione accidentalium. Nam quantò minùs in aliquo Monaſterio Ord. S. Benedicti obſervantur accidentalia, tantò minùs illud reformatum eſſe fatendum eſt ad obedientiam *regularem.* Et ſi quis vellet dicere, hanc ſolam ob cauſam eſſe de tribus ſubſtantialibus unum, quia quis obedit ſuo Prælato imperanti ſibi, ut non habeat aliquam rem propriam, & ut non commiſceatur alicui fœminæ, ille recederet a modo communi loquendi omnium. Haberet etiam neceſſe concedere, quòd ſolùm eſſent tria ſubſtantialia religioſi ſtatus ſecundùm rationem, & non ſecundùm rem, ſicut circa Primum Phyſicorum dici ſolet, quòd ſint tria principia rerum naturalium.

Ex præſcriptis fortè poſſet quis moveri ad dicendum, quòd ergo ſecurius eſſet Regulam ſervare ad litteram & in omnibus ſuis accidentalibus & obſervantiis &c. Ex quo videretur ſentire, quòd a Monachis Regula S. Benedicti hoc modo non ſervetur, quòd illi de ſalute ſua conſequenda ex hoc reddantur inſecuri. Sed hoc nullatenus eſt. Quod ut intelligatur, notetur, quòd hoc compléxum, *obedientia*

regula-

regularis, capitur aliquando pro actu, aliquando pro habitu, aliquando pro quadam animi præparatione ad faciendum cuncta ſibi imperata ſecundùm Regulam ſuæ profeſſionis, & poteſt dici *obedientia virtualis.*

His præmiſſis dicendum eſt, quòd eſſe reformatum ad omnimodam obedientiam regularem *actualem* ad hoc, quòd Monachus totam Regulam ſuam obſervet, non eſt de neceſſitate ſalutis. Sed quando illa eſt tanta, quòd ſub ea ſecundùm communem conſuetudinem Monaſterii ſobriè, juſtè & piè vivitur, tunc ipſa cuilibet eſt ſufficiens ad ſalutem, etiamſi ab eo non tota Regula ad litteram obſervetur. Hæc eſt ſententia S.Bernardi in *de Præcepto & Diſpenſatione*, quam ibidem ſatis probat.

Secundò dicendum, quòd eſſe reformatum ad omnimodam obedientiam regularem *habitualem*, id eſt: quòd homo in ſe habeat perfectum habitum talis virtutis &c. non eſt de neceſſitate ſalutis, ſed ſufficit cuilibet non habenti hunc habitum, ſi ad hunc velit tendere, ut hunc acquirat.

Tertiò dicendum, quòd eſſe reformatum ad omnimodam obedientiam regularem *virtualem*, ſimpliciter eſt de neceſſitate ſalutis: quia quilibet Monachus ex voto ſuæ profeſſionis ſemper tenetur habere paratam voluntatem ad faciendum omne illud ſecundùm poſſe, quòd ſibi ſuus Prælatus ſecundùm regulam ſuæ profeſſionis præcipit. Unde ergo Monachus Ordinis S. Benedicti tenetur obedire ſuo Abbati, ſibi præcipienti, ut ſecundùm regulam teneat ſilentium, jejunet, maneat infra Monaſterii clauſuram,

ram, non comedat carnes, quamdiu eſt ſanus & fortis, & non eſt conſtitutus in articulo arctæ neceſſitatis, eſum carnium excuſantis, & alia hujusmodi. Quam voluntatem ſi non habet, & maximè ſi habet voluntatem contrariam, qua non velit ad talia vel eorum aliqua ſibi pro tempore per ſuum Abbatem imperata obedire, quàm diu in illa voluntate perſeverat, eſt extra ſtatum ſalutis. Semper enim quilibet Monachus profeſſus ſecundùm Regulam Sancti Benedicti tenetur ſuo Abbati ad talia præcepta obedire pro ſuo poſſe, & ſecus faciens peccat contra votum ſuum. Hæc eſt ſententia omnium Doctorum, de hac materia ſcribentium.

Ex quo colligi poteſt, in quo ſtatu ſint illi, qui nuper auctoritati Sacri Concilii pertinaciter reſtiterunt & obſtinatè, ac ſuis Viſitatoribus obedire contempſerunt volentibus eos reformare ſecundùm Regulam ſuæ profeſſionis, nolentes ſuſcipere abſtinentiam carnium &c. Nec habebant ſibi blandiri ſpe falſa, ſi Concilium eos ita manere permittit: quia hoc permiſivè facit, & vellet eos ad altiora reformare, ſi hoc absque graviſſimis ſcandalis facere poſſet ac malis, quæ inde orirentur. Facit ergo ſimile, ſicut facit creditor habens debitorem debentem ei viginti florenos, quos non poſſet ab eo obtinere, niſi aliquid majus perderet, & conſulens de damno ſuo eligit potiùs ab eo accipere quatuor vel ſex, aut quot absque ſuo damno habere poteſt, quàm omnino nihil.

Item ſciendum, quòd, quamvis obligatio conſurgens ex promiſſione obedientiæ Regularis ſecundum

dum formam noſtræ profeſſionis ſit tam magna, ut omnia in Regula expreſſa, quantum ad virtualem obedientiam, comprehendat, ùt dictum eſt, non tamen eſt univerſalis, ſic ut taliter profeſſus teneatur ſuo Abbati obedire ad omnia, etiam licita & honeſta qualiacunque. Habet enim talis obedientia *regularis* terminos ſuos, quia contractim & cum limitatione fit & fieri ſolet, puta *ſecundùm Regulam Beati Benedicti.* Et ideo ſi Abbas meus mihi præciperet portare cilicium ſicut Cartuſienſis, vel jejunare ferias ſecundas, tertias & quintas, aut Sabbato infra Paſcha & Idus Septembris, & ſpecialiter ubi demerita forſan exceſſuum aliquorum non exigunt, quamvis multum merear, ſi obediero, nulla tamen neceſſitas mihi imminet ei ad hoc obediendi, quia talia in Regula ſancti Benedicti non ſunt expreſſa.

Denique ſi etiam poſſibile eſſet fieri aliquam reformationem noſtri Ordinis ad ſola ſubſtantialia omiſſis accidentalibus, tamen incaſſum foret propter fictionem petentium. Nam ſi non reformati eſſent verè inclinati ad reformandum, videtur, quòd non eſſet major difficultas ipſis ad conſentiendum plenæ reformationi, cùm ratio ipſis dictare deberet, ipſos ad eam plenè obligatos fore. Unde etſi prima facie videntur illam ſuſcipere voluntariè, non tamen diu in ea permanebunt. Quid etiam eſt hoc, quod vicinus viſitabit vicinum, irreformatus irreformatum, quorum nec viſitaturus nec viſitandus debitè Regularis vitæ obſervantiam in ſe aut aliis ſatis diligit, neque, quod plus eſt, hanc ſatis novit? Et ſi hanc ſcirent, quis æſtimabit, ſi alicubi neceſſe eſſet Ab-

batem admonere, quòd unus vicinus alium vicinum ſuum offenderet ipſum admonendo?

Item dato, quod iſtiusmodi viſitatores eſſent boni zeli ad procedendum in ipſa viſitatione ſecundùm rigorem juſtitiæ, tamen per Juriſtas, ubicunque locorum venerint, ſuperantur, ita ut nec os aperire audeant. Zelus autem ille procul eſt ab eis, cùm etiam ſi alicui viſitandorum aliquid objicitur per hujusmodi viſitationem criminis aut exceſſus manifeſti, indeliberatus reſpondere poteſt, quòd id agat, quod ipſe & ſui. *Turpe*, ait Poëta, *eſt doctori, cùm culpa redarguit ipſum.* Et plerique tales, volentes amovere ab oculo fratris offenſam feſtucæ, experti ſunt trabes in oculis propriis. Aptè talibus viſitatoribus improperari poteſt dictum Apoſtoli dicentis: *Qui prædicas non furandum, furaris: non mœchandum, mœcharis.*

Et hoc eſt, quòd Abbates miſſos Viſitatores a ſacro Concilio in Diœceſibus Auguſtenſi & Conſtantienſi certorum Monaſteriorum refutaverunt, & contemptibiliter egerunt benè armati Juriſtis, ſibi aſſiſtentibus, & ſuum inde emolumentum pinguiſſimum capientibus, nedum ab Abbatibus tantum, ſed etiam ſequeſtrati a Conventualibus, Viſitatores, inquam, ad primævam Ordinis inſtitutionem reformare molientibus. Hæc fuit, Patres Reverendiſſimi, cauſa ipſorum reſiſtentiæ & exhibitionis irreverentiæ, contumeliæ, deriſionis & oblatratuum, nedum ipſis Viſitatoribus, ſed etiam ſpecialiter ſacrò Concilio. Ad tantam namque inſaniam demum perducti ſunt ſuaſionibus malignis membrorum,

haud

haud dubium, diaboli, ut, cum eis invitis Viſitatores exequi ipſorum vellent mandatum, proceſſiſſentque ipſis reſiſtentiam pertinaciter & obſtinatè continuantibus ad excommunicationem ac interdictum loci, cum nequirent amplius, clauſerunt omnes portas Monaſterii, ne poſſent intrare. Et ita fecerunt in duobus Monaſteriis.

Percipite, quæſo Reverendiſſimi Patres, contumeliam, ignominiam ac contemptum ſacro Concilio verius quàm Viſitatoribus exhibitum ab iis utique, qui quodammodo ſub alis ipſius, immò in facie ſunt. Citati namque impunes receſſerunt a Domino Legato. Quid, putatis, faciunt a Concilio diſtantes? Verendum eſt ipſos animatos fuiſſe. Audite Reverendiſſimi Patres: præfati rebelles non ſolùm impunes receſſerunt a Concilio; ſed benè remunerati hilariter receſſerunt, obtinuerunt concupita, Viſitatores utique in vita viſitandis per omnia ſimiles, cordialiter optatos. Quid enim? cæcus cæco ducatum præbet? Certè ambo cadent in foveam barathri. An boni erunt doctores, qui nunquam fuerunt diſcipuli? Quis veſtrûm hoc credat, ſiquidem nullus eorum nec vidit nec practicavit obſervantiam Regularem. Audierunt quidam loqui de ea ſtridentes dentibus, continentes ac ſepientes fortè non nunquam aures ſuas, ſicut aſpis ad vocem incantantis.

In quodam etiam Monaſteriorum viſitandorum quidam de Fratribus Conventualibus, ibidem primam Miſſam ſuam celebrantibus, Viſitatoribus prò-pè exiſtentibus, habuit ſolemnes nuptias, quaſi totam communitatem cujuſdam civitatis, propè ſitæ

 invi-

invitabat ad nuptias eaſdem, & utriuſque ſexus, quæ finita Miſſa convivata eſt in Refectorio Conventuali fratrum, carnes, & quæcunque potuerunt habere, poſt convivium fiſtulatoribus ludentibus in eodem loco choreas duxerunt tam viri quàm etiam mulieres, obtuleruntque ſinguli aliquam promptam pecuniam ipſi Monacho, novello Presbytero, aut xenia, quæ & ſibi relinquebantur per Dominum Abbatem. Ecce his actibus diabolicis benè alludit textus Libri Exodi: *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Scierunt Viſitatores hoc, nec ignoravêre, cum propinqui fuerint, nec tamen veriti ſunt, immò in ſequenti Dominica ſimiles cum alio quodam Monacho nuptias intimaverunt celebrandas.

Hinc, Patres Præſtantiſſimi, oritur difficultas ſe ſubmittendi efficaci reformationi. Timent enim, ne amplexentur ſtercora ob hoc, quia nutriti ſunt in croceis. Inde refutaverunt Viſitatores Concilii, & quæſierunt, ut ſcilicet darentur eis Viſitatores, qui eos amovere non auderent. An veriſimile fuerat, quòd etiam ab eis appellarent, ſicut ab aliis nulliter & frivolè appellaverunt? Nullatenus. Haberent tamen majores cauſas refutandi illos, ſi voluiſſent, propter præmiſſa. Vitiis enim eorum conſentiunt, ut dixi, contra Regulam B. Benedicti. Hæc corde perpendenda forent, hæc condeſcenſio, videlicet reductio Ordinis B. Benedicti ad tria ſubſtantialia tantum, omiſſis accidentalibus, carnalitatem fovebit in Monachis taliter viſitandis & reformandis. O quantum laboraverunt carnales cum ſuis ad hoc patronis, donec illam obtinerent! Sed certum reputo,

agant

agant Patres Concilii, quidquid velint, nec iſta tria ſubſtantialia diu ſervabunt. Neque credendum eſt promiſſionibus eorum vel juramentis. Conſueti enim ſunt perjurare, primam quoque fidem irritam fecerunt.

Novi enim unum ex eis, qui timens ſe viſitari & reformari, aut fortè privari Abbatia, excogitavit nequiter unam viam, per quam ſe conſervaret in Abbatia cum magnis ſumptibus ſui Monaſterii. Miſit primò huc ad Concilium pro Abbate quodam reformato de Auſtria, taliterque alloquendo exorditus eſt: Reverende Pater, dudum propoſui in Monaſterio meo obſervantiam regularem introducere, neſcio tamen modum, & valde placet obſervantia in Mellico. Peto igitur, quatenus detis mihi informationes incipiendi: & aggrediar fortiter non obſtantibus omnibus involuntariis fratribus meis. Cœpitque petere fratres ſibi concedi de Mellico & Scotis in Wienna Patavienſis Diœceſis, omninoque recuſatis fratribus de Caſtello & Nuremberga, cum plurimum ſibi conſultum fuerit.

Diffidens igitur ſe ſolis ſuis precibus poſſe hoc obtinere apud Abbates Mellicenſem & Scotorum, pulſavit precibus per perſonas interpoſitas Dominum Legatum, qui paratus fuit ſcribere, ſcripſitque Duci Auſtriæ, ut mandaret Abbati aut ſcriberet. Ipſe quoque Dominus Legatus ac Abbas reformandus eidem Abbati ſcripſerunt, ſcilicet Mellicenſi, ut concederet. Qui viſis ſcriptis obtulit ſe ad concedendum unum fratrem, & Abbas Scotorum unum fratrem, quos Abbas reformandus adduxit in propriis

& gravibus expenſis. Unus igitur ex eis auctoritate Domini Legati Prior clauſtralis conſtitutus eſt, & manſit ferè octo hebdomadis ibidem. Revocato eo certa ex cauſa ad Concilium ſecundus relictus eſt, qui ſtatim die quarta, immediatè ſequenti, in prægravem incidit infirmitatem, quæ infirmitas accidit ſibi tempore refectionis in menſa: & omnino creditur fuiſſe infectus veneno. Statim enim lingua in ore verſa eſt ſibi quodammodo in globum, diſcurritque ſibi per omnia membra, adeo ut penitus contractus fieret in pedibus ac manibus, officiumque linguæ tardé ſibi reſtitutum eſt. . . . . (a)

Eo itaque recedente relicti ſunt ibi duo fratres benè inſtituti, ſed ibidem profeſſi, quos tanto odio habebat, ut etiam graves ſibi eſſent ad videndum, tantumque per æmulos ipſorum pupugit, quod exierunt, & ad reformata Monaſteria in Auſtria ſe dederunt. Et ſtatim profugi redierunt & dominati fuerunt ut antea, aſſumptaque per omnia eſt vita prior. Videte Reverendi Patres, qualis fictio!

Audiens rurſus idem Abbas Viſitatores emiſſos ad viſitandum certa Monaſteria, inter quæ erat ſuum Monaſterium unum, videns ſe non poſſe ſalvare ſuam præſidentiam, finxit ſe ire ad Curiam Romanam. Si ibi fuerit, neſcitur, vel ubi longo tempore latuerit. Addidit inutiliter conſumere pecuniam, cum prius dilapidaverit bona Monaſterii, adeo quod obligatur benè in quinque millibus florenorum. Ante tamen finem expletæ viſitationis revenit, credens forſitan eſſe finem viſitationis. Cumque Viſitatores venirent

(a) *comma eraſum ex codice.*

venirent ante ſuum Monaſterium volentes eum requirere, clauſit circumquaque omnes januas Monaſterii etiam tempore Divini cultus, nec volebat aliquo modo aperire. Hic patuit ſua magna fictio, quam non potuit in longum occultare.

Eſt & aliud non minus plangendum, quod rariſſimi inveniuntur Abbates in his Diœceſibus, qui competentis ſint litteraturæ, ſed omnino ſtolidi & ignari, adeo quod plerique non ſciunt proferre duas orationes congruas & continuas, quantumcunque breves, Latino ſermone, cum Regula dicat, quod *Abbas debet eſſe doctus lege Divina, ut ſciat, unde proferat nova & vetera.* Sed quotiescunque convocantur per Epiſcopum aut ſuum Vicarium ad habendos aliquos tractatus, unus pro omnibus loquitur laica (a) lingua. Non curant unquam legere aliquid in ſacra Scriptura, nec alios ſinunt talibus vacare. Quot igitur occaſiones hactenus quæſierunt, ut Viſitatores miſſos per ſacrum Concilium ad ſe reformandum a ſe repellerent, ne per eos cogerentur vivere ſecundum Regulam ſuæ profeſſionis? Primo nolebant habere reformationem Mellicenſem. Dominus enim Legatus auctoritate ſacri Concilii ſcripſit ad Mellicum & alia tria Monaſteria, ab eodem reformata, pro mittendis certis fratribus, qui inſtituerent fratres Monaſteriorum reformandorum, normam vivendi eis oſtendendo. Miſſique ſunt decem fratres ſub propriis Monaſteriorum expenſis. Qui ut venerunt ad Sueviam, Abbates reformandi concordaverunt unanimiter, quod nullum de obſervantia Melli-

(a) i. e. vernacula.

cenſi eſſent recepturi, ſed Caſtellenſi. Unde major pars eorum rediit ad Monaſteria ſua, nec Monaſteria expenſas, pro ipſis factas, adhuc habent. Non enim volunt dare quidquam, qui erant Abbates reformandi, ſed dixerunt, quod ſine ipſorum requiſitione fuerint adducti, & quare potius ad Diœceſim Conſtantienſem, quàm Curienſem, Baſilienſem, Argentinenſem, Maguntinenſem, Eiſtettenſem, Ratisponenſem &c.?

Valuit eis hæc ſubdola petitio illorum, ſcilicet Caſtellenſium fratrum, ad hoc ſcilicet, ut nec illam nec iſtam ſuſciperent, & per eam illuderent hominibus incautis. Quia enim ſciverunt adeſſe Mellicenſes, & aliquos eorum deputatos eſſe ad ſe reformandum, & nullum de Caſtello, Caſtellenſes petierunt, ut crederentur velle reformari. Sed ſi Caſtellenſes affuiſſent, & fuiſſent deputati in eorum reformatores, & abfuiſſent Mellicenſes, quis dubitat, quin tunc petiſſent reformationem Mellicenſium, & recusâſſent recipere reformationem Caſtellenſium.

Deinde videntes ſe Mellicenſes non poſſe evadere, rurſus contra eos aliud prætenderunt: quia advenerunt a remotis, neſcientes conſuetudines & mores patriæ, & ideo petierunt reformatores compatriotas. Sed nonne ſecundum iſtas conſuetudines & mores reformanda ſunt Monaſteria Ord. B. Benedicti, & non ſecundum obſervantias Regulares notas & conſuetas Mellicenſibus? Has horruerunt, & ideo Mellicenſes refutaverunt, & compatriotas in reformatores habere voluerunt, quibus hæ obſervantiæ eſſent inſuetæ & etiam ignotæ, qui eos relinquerent in fæcibus

cibus ſuis, & tales obtinuerunt. Has aſtutias & alias his ſimiles, per quas ſe palliaverunt, nemo intelligit, ſicut ipſi putant. De dicto igitur modo reformationis videndum eſt.

Sit autem Monaſterium Ordinis S. Benedicti, auctoritate ſacri Concilii reformatum ad obſervantiam trium ſubſtantialium omiſſis accidentalibus, ut intelligatur, quid hoc dictum ſit, & an iſte modus ſit poſſibilis, quæro, an Abbati alicujus Monaſterii liceat ſuis ſubditis imperare ſilentium, clauſuram Monaſterii, abſtinentiam carnium, jejunium & alia, quæ accidentalia dicuntur, an non? Si hoc ei non licet, & tamen priùs ſibi licuit, antequam Concilium ſuis Viſitatoribus iſtum modum reformandi committeret: ergo hoc ei nunc non licet propter commiſſionem Concilii, Viſitatoribus factam. Ex quo ulteriùs ſequitur & concedi oportet, quòd Concilium committendo facere talem reformationem reſtrinxit poteſtatem Abbatis Monaſterii, ut ei non liceat ſuos ſubditos per obſervantias regulares, illas eis imperando, ducere ad perfectionem vitæ Chriſtianæ, ad quam tamen illi per hujusmodi obſervantias tendere tenentur ex obligatione ſuæ profeſſionis, quia non licet ei illis formare præcepta ſecundùm Regulam S. Benedicti, & eos cogere ad eorum obſervationem, qua ad hujusmodi perfectionem tandem de nolentibus voluntarii facti perveniant. Hoc autem eſſet impium.

Item ſequeretur, quòd tunc etiam ſubditi, Abbati ſuo ad hujusmodi præcepta obedire renuentes, non peccarent: quia nemo tenetur alteri obedire ad

præceptum, quod non licet ei facere. Hoc autem concedere videtur abſurdum. Si verò dicatur, quòd licet Abbati alicujus Monaſterii talia ſuis ſubditis præcipere, quæro, an illi ad hujusmodi præcepta teneantur ei obedire, an non? Si non: ergo non faciendo iſta, immò etiam nolentes ea ſervare non peccant, & tamen promiſerunt Deo obedientiam ſecundùm Regulam S. Benedicti in ſua profeſſione: ergo facientes contra ſuam profeſſionem ſunt innocentes & immunes a peccato inobedientiæ.

Item cùm obedientia Regularis habeat exhiberi in talibus accidentalibus, ſi dicitur, quòd non tenentur ad ea obedire, ſequitur, quod per Concilium, quod juſſit eos ſolùm ad tria ſubſtantialia reformari, a jugo regularis obedientiæ, quod eſt unum de illis tribus, totaliter ſint exempti: & ſi ab illo ſunt exempti, non ergo ad illam ſunt reformati: & ſic non ſunt reformati ad tria ſubſtantialia. Non ergo eſt poſſibile, quod ſint reformati ad tria ſubſtantialia omiſſis accidentalibus.

Si vero dicitur, quod hujusmodi ſubditi tenentur ad hujusmodi præcepta ſuo Abbati obedire, quando illa eis fecerit: ſed dicta juſſio Concilii facit, quod Abbas eorum non tenetur eis talia præcipere, ſed poteſt de illis ſuperſedere. Benè. Superſedeat ergo, & non imperet ea, neque ſubditi ipſi obſervent. Iterum infero ſicut priùs, quod non ſint reformati ad tria ſubſtantialia, quia non ad obedientiam *regularem*, quam nec Abbas imperat, nec ſubditi obſervant.

Ex omnibus præſcriptis colligitur, quàm neceſſaria eſſet reformatio, conſiderata tali deformatione

Abba-

Abbatum & ſubditorum: conſiderato etiam, quod Monaſteria a Fundatoribus ita ſolemniter dotata, in hunc finem dotata ſunt, ut obſervantia regularis inibi cuſtodiatur, cultusque divinus rite, devotè & ſolemniter peragatur, ut ipſorum Fundatorum animæ orationibus Suppoſitorum (a) Religionis remedientur, ut, qui eleemoſynam temporalem largiti ſunt, ſpiritualem recipiant. Quomodo igitur judex iratus ille & excelſus hujusmodi interpellantium orationibus placabitur, cùm ore laudent, vita blaſphement? Unde forſan & de illis prophetavit Iſaias: *Populus hic labiis me honorat, cor autem ipſorum longè eſt a me.* Ut ergo mittantur nuntii, qui Deum placent, reſtat, ut tales per reformationem mittantur. Reformationem dico, non illam reductivam tantùm ad tria ſubſtantialia omiſſis accidentalibus, quæ, ùt tactum eſt, impoſſibilis eſt, ſed reductivam ad primævam inſtitutionem Regulæ S. Benedicti, heu nimis collapſam!

Ad reformationem veram faciendam pernecefſaria eſt abſtinentia carnium regularis ac jejunium regulare, quamvis non ſint aliqua de ſubſtantialibus Ordinis, ſunt tamen obſervantiæ corporales præcipuæ, quibus abjectis quanta inconvenientia ſequeretur, videndum erit: Et primo ex eſu carnium a Regula prohibito. Nec obſtare videtur Conſtitutio Benedicti XII. qui prima facie videtur certis diebus certorum anni temporum ſanis & fortibus Monachis Ordinis S. Benedicti indulgere eundem eſum carnium, ſanè autem intellecta nullo modo concedit,

(a) i. e. perſonarum.

nec indulget hujuſmodi eſum carnium ſanis & fortibus Monachis. Contrarium vero dicentes carnaliter nimis videntur interpretari præfatam Conſtitutionem, ùt ſuper hoc oſtendemus [per] ſcripta ſubjicienda Veſtrarum Reverendarum Paternitatum correctionibus.

Dignemini, quæſo, conſiderare notabilem a Regula exorbitantiam. Regulare enim jejunium ab Idibus Septembris usque ad Paſcha ſervandum extra Adventum & Septuageſimam deficiet: quod, ùt præmiſi, una de corporalibus obſervantiis principalis eſt. Et ſi pro tempore, rationabili cauſa poſtulante, cum certis diſpenſatur ſuper hujuſmodi jejunio, ùt eſt labor gravis, aut fervor caloris nimii, teneritudo juvenum, decrepitus quoque ſenum: non tamen ex hoc conceditur eſus carnium ſecundùm Regulam niſi infirmis & omnino debilibus. Reſpicienda eſt etiam cauſa prohibitionis eſûs carnium ſanis & fortibus Monachis, quæ eſt repulſio fomitis carnalis libidinis, quem eſus carnium videtur adminiſtrare. Voluit enim B. Benedictus profeſſori ſuo præcludere omnes vias transgrediendi vota Deo promiſſa, quorum principale eſt caſtitas, quam omnis Religioſus fovet explicitè vel implicitè, ne haberet aliquam occaſionem ſe excuſandi de incontinentia. Crebreſcit carnium edulio paſſio ſitis, adeo quod nec in die ſufficit, niſi protrahatur aliquoties usque in profundum noctis. Inducitur etiam conſuetudo perverſa. Sequitur nonnunquam tales, quia fortè debiles ſunt capitibus, propter crebras & longas vigilias & labores Chori alienatio ſenſuum ex immoderato ſumpto potu propter

propter carnium eſum. Occaſionantur ad manendum extra Collationem Conventualem, nonnunquam extra Completorium, plerumque extra Matutinum, aliquando ad petendum licentiam ad Infirmariam. Prorumpunt etiam fortè in verba irreligioſa, habent quoque apparatus inſulſos. Neque tales purgare ſe poſſunt per confeſſionem a tali crimine, cùm non ſit benè poſſibile, quod ſciant ſe recolligere, cùm quodammodo ratione careant.

Siquando vero aliquis ſatagit ſibi reducere ad memoriam, juramento ſe firmat fuiſſe immunem, indignaturque nonnunquam ſibi objicientibus, & ſupprimitur charitas proximi. Horum experientia crebro eſt habita. Ponamus etiam, quod talis non incurrat mentis hebetudinem (nam fortis fortè eſt capitis) tamen tardus eſt ad cultum Divinum, ad collationem, ad Completorium, & plerumque ad Matutinum, & fortè penitus obdormit. Cum hoc ſtat, quod certi plus indigentes libenter abſtineant ad ſatisfaciendum Regulæ & promiſſo ſuo, qui nimirum occaſionem ſcandali habent, videntes fortiores ſe non abſtinere.

Item tales carnales quærunt ſæpius etiam diverſitatem in modo præparandi, quo ſcilicet lautius & delicatius præparari poteſt. Quod ſi denegatur eis, ſunt impatientes & murmurant, ingratique efficiuntur, cognoſcentesque ſe oportere abſtinere ab eſu earum ſequenti die, comedunt una vice, quod ſufficeit eis per duos. Et cum B. Benedictus modicè amplius a media nocte jubeat Monachos pauſare, ut jam digeſti ſurgant, ne ſint ſcilicet graves & indiſpoſiti in labori-

laboribus chori, poſſintque ſeipſos excitare ad devotionem: ſi igitur abſtinentes ab hujúsmodi carnium eſu pauſant a media nocte per unam horam, neceſſe eſt, edentes carnes pauſare per duas. Alioquin cum aliis ſurgentes indigeſti, & conſequenter indiſpoſiti erunt.

Ampliusque diverſitas locorum, fratrum comedentium requirit diverſitatem Lectorum, Servitorum Superintendentiumque. Diverſitas quoque ciborum requirit diverſitatem coquorum & aliorum laborum, ut in hieme calefactorum & hujusmodi. Salva igitur opinione melius ſapientium, ſi Papa Benedictus voluerit concedere eſum carnium ſanis & fortibus Monachis certis temporibus & certis hebdomadæ diebus, ut iſti carnales, licèt malè, videntur ſapere, tamen ut omnes iſtæ incommoditates ſuperiùs poſitæ ceſſarent, melius utique fuiſſet, communiter concedere in refectorio omnibus ſimul, quàm in locis diverſis, ùt cuilibet patere poteſt. Multi enim, ùt dixi, infirmi mente nedum Religioſi, ſed etiam ſeculares ex tali diverſitate ſcandalizantur. Religioſis quoque valde cavenda ſunt ſcandala activa juxta Apoſtolicum conſilium: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* Unusquisque enim, id eſt: unaquæque pars Conventûs cœnam ſuam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Sic igitur tepeſcit charitas alterutra.

Item non eſt cauſa, propter quam concedatur eſus carnium ſanis & fortibus Monachis. Si igitur dicitur, quòd conſervatio ſanitatis viriumque corporalium,

ralium, hoc non apparet: quoniam videtur, quòd ſanis magis obſint quàm proſint. Ratio eſt, quia non poſſunt ita digerere ſicut ſeculares, qui habent corporalia exercitia varia digeſtioni plus inſervientia. Monachi autem non poſſunt hujusmodi exercitiis occupari propter Divinum officium, quod prolixum eſt. Experientia etiam docet. Multò enim plures infirmi reperiuntur in Monaſteriis deformatis, ubi eſus carnium continuatur, quàm in Monaſteriis reformatis, niſi ex cauſa alia quis infirmetur, id eſt: continuam habeat infirmitatem, cum qua forſan venit ad Monaſterium, quæ etiam veroſimiliter per eſum carnium non poteſt curari, aut niſi quis nequiter fingat ſe infirmum propter eundem eſum ſibi miniſtrandum. Apparet hoc etiam in Cartuſienſibus, qui fortes ſunt. Neque infirmis & omnino debilibus eſus carnium miniſtrandus eſt qualiumcunque & quandocunque, ſed tales & tunc, quales & quando peritus Medicus & timens Deum, diſcretusque Abbas judicaverint. Unde & Cartuſienſes etiam in extremis abſtinent a carnibus. Quidam enim Medicus dicit, quod humidum radicale conſervat hominem in vita: quando idem deficit, tunc etiam homo deficit in vita. Et illud humidum radicale, ùt idem dicit, æquè per vitellos ovorum reparatur, ſicut per eſum carnium. Unde credo, quòd Monacho infirmo aut omnino debili nigro, in tali articulo conſtituto, plus prodeſſet brodium (a) bonum carnium ſorbere, quam fruſtatim carnes mandere.

Am-

(a) *i. e.* juſculum.

Amplius Fratres Ordinum Mendicantium certorum continuè abſtinent a carnibus, ùt Prædicatores, & ſolum ex ipſorum conſtitutionibus, qui etiam coguntur vagari propter mendicitatem, & forſan mendicando faciliùs acquirerent carnes quâm quoscunque alios cibos, & nihilominus ſtrictam ſervant abſtinentiam esûs carnium, niſi infirmis graviter & omnino debilibus miniſtrantes. Et ſi tales ex Conſtitutionibus ſuis hujusmodi abſtinentiam tenent, fortius nos obligamur ex Regula.

Ultra progrediar ad locum originis ipſius Ordinis, ſcilicet ad Specum S. Benedicti, ubi iſta abſtinentia usque modo ſervata eſt, quia obſervantia Regularis plenè obſervata eſt. Unde Ciſtercienſes videntes collapſum quodammodo irrecuperabilem Ordinis S. Benedicti, volentesque ſe conſervare in ſtatu ſalubri, ſeceſſerunt ad loca eremi aſpera, ubi diu hominibus incogniti, ut poſſent ablactare ab oculorum concupiſcentia, unde principaliter proceſſit illa eſus carnium laxatio, cœperunt ſtrictam ducere vitam, Regulamque ad unguem ſervare, carnium eſui plenè renuntiare. Unde demum Deo volente cœperunt ab hominibus viſitari, numerusque ipſorum augeri. Beatus enim Bernardus cum aliquot ſuis fratribus carnâlibus ſe eis adjunxit atque Ordinem ſuſcepit. Usque hodie quoque, ubi regulariter vivunt, dicuntur Regulam ſervare ad litteram. Sicut igitur tunc illi carnis lapſum timentes hominum conſortia fugerunt, ut Regulæ obſervantiam continuare poſſent, qui lapſus carnis maximè evenit ex continuatione esûs carnium, non fuerunt a Deo deſerti,

deſerti, ſed mirabiliter multiplicati, & nedum per perſonas litteraturæ ſimplicis, ſed etiam doctas & benè maturas: ita hodie, ut experientia docet, augetur numerus perſonarum mirabiliter. Multi enim videntes diabolum expulſum a locis Monaſticis, & vitam in eis introductam Deo placitam ac ſecundum Regulam S. Benedicti ſtatutam, multi, dico, ſcientia & moribus præditi, genere clari, magnarum poſſeſſores divitiarum, omnia reputârunt ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciant, ſeculo diu fidem ſervantes tandem ad Chriſtum converſi ſunt.

Novi enim unum Monaſterium (a) ſolemne Ordinis S. Benedicti, ubi ante ipſius reformationem fuerunt Monachi ad maximum numero quatuordecim, quanquam uberes habuerint fructus, annos videlicet omnis ſterilitatis expertes, ubi unusquisque vivebat, prout voluit, emendo vendendoque portionem ſuam præbendalem, nec inter multa Monaſteria etiam vix unum fuiſſet repertum, in quo aliquis fuiſſet doctus, niſi fortè ſcientia inflante. Nunc verò in eodem Monaſterio, de quo ſupra memini, ſunt plus quàm ſeptuaginta perſonæ religioſæ poſt ipſius reformationem, quarum multæ ſunt graduatæ, adeò quoque dietim confluunt, ut jam locus citò non poſſit capere: & licèt his temporibus ſint anni ſteriles, oporteatque jam dare magnas ſteuras & continuas, tamen nihilominus Deus illis benè providet, quippe quorum oculi in Deum ſperant, ut det illis eſcam in tempore opportuno.

Conſideretur etiam ex diverſitate hujus obſervantiæ

(a) *fortè* Mellicenſe.

vantiæ corporalis, quæſo, quanta oriantur ſcandala apud laicos. Dum enim per viam proficiſcuntur, alii in publicis hoſpitiis ſicut & laici utuntur carnibus. Veniunt alii, qui licèt fateantur ſe fore ejusdem Ordinis, ſed recuſant carnes manducare ſatisfacientes Regulæ. Penſate, quæſo, quale ex hujusmodi diverſitate talibus ſcandalum oriatur, cum vel illos judicent transgreſſores Regulæ, aut hos tanquam hypocritas ſpernant. Propter quod uniformitas hujus obſervantiæ corporalis neceſſaria eſſet, videlicet abſtinentia carnium, quæ ſalvo Regulæ ſtatuto laxari non poteſt.

Idem videtur fore conſiderandum, quòd Monachi Ordinis S. Benedicti, quoad hanc obſervantiam corporalem in nullo differunt a Canonicis Regularibus, regulariter viventibus, qui tribus diebus duntaxat certis anni temporibus in hebdomada carnes edunt.

Sed fortè quis dicet arguendo contra ſuperiora, quæ ſonant, quòd carnis lapſus vix poteſt vitari eſu carnium continuato: & tamen Canonici Regulares regulariter viventes eſum carnium hujusmodi continuantes, huiusmodi lapsûs ſunt expertes: ergo etiam Monachi ejusmodi eſum continuantes æqualiter poſſent hujusmodi lapſum evadere, & per conſequens non fuit hæc cauſa principalis, propter quam prohibitus debuit eſſe ejusmodi carnium eſus Monachis. Ad quod dicitur, quòd Canonicis Regularibus non eſt prohibitus [eſus carnium] ex Regula, cum hoc, ne ſurgant in ipſis motus carnales, moderatè datur. Item comedunt omnes ſimul in uno

Refe-

Refectorio, ubi evitabiliores ſunt exceſſus quàm extra refectorium. Item Benedictini debent eſſe rigidiores & altioris profeſſionis & per conſequens perfectionis quàm Canonici Regulares. Unde in habitu ſunt magis abjecti. Item habitus ad carnem eſt magis aſper, in vigiliis quoque ſunt ſtrictiores, in laboribus manualibus quoque plus fatigati. Reſtabat etiam in cibis eos eſſe frugaliores, ut quòd abſtinerent a carnibus, ſaltem ſani: quod & voluit S. Benedictus. Nec Papa Benedictus videtur voluiſſe laxare hoc Regulæ ſtatutum, ſed magis ſtringere Monachos ad ipſum ſervandum, ut eſt in ſcriptis deſuper editis.

Et quamquam finalis intentio abſtinentiæ carnium fuerit propter vitare carnis lapſum, tamen etiam ad hoc voluit S. Benedictus profeſſores ſuos abſtinere, ut corpus caſtigaretur, etiamſi nullus carnalis motus inde ſequeretur, juxta exemplum Apoſtoli, qui dixit: *caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne, cùm aliis prædicaverim* &c. Attenta tamen cauſa principali magis hi eſſent cogendi ad omnimodam abſtinentiam carnium, qui jam diu earundem eſum continuaverunt, ex quo etiam continuaverunt carnis lapſum diutina conſuetudine, id eſt: corruptela, quem ſic continuatum ſubitò poſſent reſtringere: quoniam non expedit ſucceſſivè fieri hujusmodi lapſus reſtrictionem, ſed ſubitò, cum periculum ſit in mora. Talismodi etiam conceſſione datur occaſio judicii proximorum, contra quod dicit Apoſtolus: *qui manducat, non manducantem non judicet.* Item contemptûs. Unde id eſt: *Qui*

non manducat, manducantem non ſpernat. Item valde timendum eſt, quod talibus recenter reductis daretur occaſio proprietatis, cum prius conſueti ſint ad velle & libitum ſuum ordinare diſpoſitionem carnium ſecundum plus & minus, lautius & ſimplicius, accipere & dare a parentibus & alienis: foverunt quoque ſcholares, lenas ac alios quoscunque ſibi ad hoc placentes alienos & domeſticos, committantque furta, & niſi coguntur reſipiſcere radicitusque evellere hujusmodi abuſiones, non eſt veriſimile, quòd proficiant temporis ſucceſſu.

Præterea ſi unus aut duo in tota Congregatione aliqua intenderent renuntiare vitæ enormiori priori, videntes alios in ſua duritia perſeverare, non videtur, quòd manerent cum eis in loco, ut etiam experientia probavit. Non etiam eſſet benè ſecurum cum ipſis manere. Præterea plures, qui jam diu in obſervantia regulari vixerunt, ſi hujusmodi conceſſio fieret per ſacrum Concilium, non manerent in Ordine S. Benedicti, ſed intrarent Ordinem Cartuſienſem, quorum etiam plures cognoſco. Et ratio eſt: quoniam Prælati & ſubditi Regularis obſervantiæ multum inquietarentur per aliquos carnales, qui non deſunt etiam Monaſteriis regularis obſervantiæ. Ubique enim diabolus habet zizania in medio ſeminis boni. Hi tales nimirum tam apud Abbatem, quàm apud Conventum inſtarent importunè & opportunè, ut, ſi non condeſcenderetur ipſis in ſuo Monaſterio ad eſum carnium, ſaltem licentia daretur eis ingrediendi Monaſteria tali conceſſione gaudentia. Ex quibus inſtantiis maximè frangerentur etiam plures, qui videntur fore de numero perfectorum. Nulla

Nulla etiam videtur fore difficultas, vel ſaltem modica reducere hunc Ordinem ad primævam inſtitutionem. Cum enim bonus Prælatus eligitur, qui manutenet obſervantiam regularem, etiamſi habeat multos fratres involuntarios, ipſe vincit: ſicut e contrario ſi eſt malus, fratres ſui etiam boni & quamvis multi per eum vincuntur. Nec vita eſt adeò dura, quòd ſit importabilis, cùm ſit *diſcretione præcipua* ſecundum Gregorium.

His conſideratis Reverendiſſimi Patres dignentur Ordinem conſervare, quantum ad hoc ſtatutum Regulare, in ſuo eſſe.

Item Reverendiſſimi Patres, ad bonam Ordinis S. Benedicti atque plenariam reformationem arbitror fore neceſſarium, quòd ſit uniformitas in habitu, in cerimoniis & officio Divino. Videmus enim ferè omnes Ordines in his eſſe conformes. Primò quoad habitum non eſt, ut apparet, Ordo, qui tantum diverſificetur in habitu, ſicut apparet hodie in Ordine S. Benedicti. Eſt enim diverſitas colorum ultra tres colores in Clementina *Ne in agro Dominico* expreſſos, qui etiam colores intelliguntur de veſtibus habitui proximis, & ſunt niger, brunus & albus. Secundò in ſciſſura cucullarum & floccorum, capparum & ſcapularium, qui habitus exprimuntur ſuprà citato Cap. Quidam enim totaliter poſtponunt habitum regularem, & deferunt pallia more ſecularium, & capucia non annexa, ſed in ſpatulis (a), ut ſunt Epiſcopi ejuſdem Ordinis, & nonnulli Abbates & alii Monachi, & in facie ſacri Concilii.

 Item

(a) *i. e.* humeris.

Item camiſias lineas in capitiis apparentes contra Decretalem *Extra. de Statu Monach. cùm ad Monaſt.* Item mitras more ſecularium Sacerdotum. Item caligas pretioſas, ſotulares etiam cum chordulis contra Clem. *Ne in agro.* Item ſubpalliis extra domum, ſed in domo ſcapulare ſine capucio annexo. Item capucia in ſpatulis delata non ſunt fiſſa in humeris ſecundum Clementinam: *Ne in agro.* Item quidam deferunt floccos, cucullas ac ſcapularia cum capuciis annexis, ſed ab ante clauſis, alii cum capuciis ab ante apertis, ſed retro protenſo usque ad juncturas genuum. Plerique habent hujusmodi capucia ab ante aperta, foderata (a) cum zendato (b) vel ſerico, licèt nigro contra Conſtitutionem Clem. *Ne in agro*, ubi hoc cavetur. Alii cum pellibus ovinis ſubtilibus in modum Cardinalium.

Item nonnullos Præſules ejusdem Ordinis vidi incedere equeſtres cum equitaturis ſplendidis & in palliis pretioſis. Simile vidi de quibusdam Abbatibus. Item dormiunt veriſimiliter in lectis nudi in linteaminibus lineis. Sunt itém aliqui non utentes floccis nec cappis, ſed ſolis cucullis & ſcapularibus. Alii econtra non cucullis ſed ſolis floccis & ſcapularibus. Unde ut cognoſcatur Epiſcopus Monachus ab Epiſcopo non Monacho, expedit, ut deferat ab extra habitum Religioſum ejusdem Ordinis juxta tenorem Canonum Juris ſimilem, prout Epiſcopi Religioſi & Cardinales aliorum Ordinum faciunt. Non enim parva ex hujusmodi habitûs occultatione ſeu non delatione poſſunt oriri ſcandala.

(a) pellita. (b) *ſeu* cendato, *tela ſubſerica.*

dala. Statuatur hoc idem aliis ejusdem Religionis Monachis tam Abbatibus quàm quibuscunque aliis ejusdem Ordinis Prælatis ac eorum ſubjectis, ut ſimplici habitu, Religioni reſpondenti, incedant tam exteriori quàm interiori.

Et expediret, quòd confirmarentur advizamenta (a) porrecta, quanquam non concluſa, in Concilio Conſtantienſi, niſi per hujusmodi advizamenta Religioſus unius Ordinis nequiret agnoſci a Religioſo alterius Ordinis propter habitus ſimilitudinem: aut niſi profeſſus a Novitio, aut Clericus a Converſo etiam ejusdem Ordinis non valeat diſcerni. Et quoniam decentiâ habitus extrinſeci dicti Ordinis Monachi profeſſi & Novitii morum honeſtatem oſtendere debent, advizatum fuit quòd Clerici Religioſi deferant largas & latas tonſuras, ita quod circulus ipſarum latitudinem duorum digitorum transverſalium non excedant. Poteſt autem eſſe minor, quod non prohibet advizamentum. Item quòd decenter ſe habeant in veſtibus, id eſt: tunicis, habitibus, ſcilicet exterioribus, & calceamentis juxta Conſtitutionem Clem. *Ne in agro*, & conſtitutionem Benedicti XII. de forma & honeſtate veſtimentorum, ut videlicet portent tunicas & veſtes habitui proximas nigri, bruni aut albi coloris juxta morem apud eos ſervari ſolitum. Brunum tamen colorem non intellige eum, qui aliquo modo tendat ad rubedinem, prout aliqui volunt intelligere, ſed merè nigrum, non fuſcum. Dicitur enim propriè brunus color hic, cùm fundamentum alicujus

 panni

(a) *i. e.* conſilia.

panni fuit rubeum, & ei ſuperductus eſt color niger. Unde ſub diverſis nominibus niger color poſitus eſt propter diverſarum terrarum diverſam denominationem. Sintque iſtæ veſtes rotundæ & talares, non fiſſæ, nec alia deformitate notandæ, largas manicas habentes usque ad pugnum protenſas, nullo modo bottonatas ſeu nodatas: non tamen adeò largas, quòd latitudo ipſarum ſupra pugnum cum pollice erecto valeat extendi. Contra quod faciunt plures, deferentes manicas ab ante amplas, ſubductas pellibus pretioſis, aut oſtendunt ab extra foderaturas hujusmodi pellium nobilium. Nec circa os cubiti, ſicut quorundam abuſus, ultra protendatur, quamquam brachium poſſit faciliter verti & infraduci. Plerique tamen contra hoc avizamentum habent manicas adeò linguatas, quôd nunnunquam ſunt accommodata repoſitoria. Unde portant nonnunquam pecunias aut alias res in hujusmodi manicis contra Clem. *Ne in agro.*

Almuciis de pellibus loco capuciorum ſint contenti in Monaſterio, quibus utantur ſub habitu regulari, non ſuper habitum: nec ſint ſimpliciter de pellibus ſolis, ſed talibus pellibus ſuperductus debet eſſe pannus coloris nigri vel bruni, prout practica Monaſterium Sublacus & Specûs S. Benedicti hodie docent. Capuciis tamen honeſtis in locis, in quibus ſoliti ſunt ipſa portare, fiſſis ſuper humeros longitudine quatuor digitorum transverſalium ad minus, uti de licentia Abbatis poſſunt. Sed conſuetudo habet, quòd illi de Specu utuntur tantùm extra Monaſterium, deferuntque ſub habitu ſeculari. Et

expe-

expedit, quia aliàs occultaretur habitus Religionis.

In veſtibus zendatum pro foderaturis, vel manicas varias ſeu alia pretioſa non portent, ſed tantùm agniculorum ſeu agnellorum pellibus pro dictis foderaturis, aut ſaltem aliis pannis non pretioſis, nec etiam lineis utantur, ſaltem albis. Nec foderaturæ ſupra collum vel in fimbriis veſtium vel oris manicarum appareant aliquo modo. Præterea cùm ipſos de Monaſterio continget proficiſci, floccum, cucullam aut cappam deportent, & ſubtus cappam, ſi eam portaverint, ſcapulare.

Deſcriptio habitus regularis ſecundùm ſuam denominationem.

Floccus eſt habitus protenſus usque ad talos, rotundus inferiùs, adeò latus, quòd paſſus infra ipſum faciliter fieri poſſit, habens manicas, quæ longitudine unius cubiti ultra manum extendantur, latitudo verò earum alium cubitum cum dimidio non excedat.

Capucium verò latitudine non attingat os cubiti, ſed circa medium oſſis cubiti & oſſis ſuperioris prope ſpatulam protendatur. Dictum verò capucium retro protendatur ad minus usque ad corrigiam, nec ultra ipſam per quatuor digitos valeat extendi.

Cuculla verò eſt habitus ſimilis Flocco, niſi quod manicis caret.

Cappa eſt habitus diſpoſitus in modum pallii communis, circumquaque clauſi, nec fiſſuras aliquas habens ad equitaturam. In capucio ab ante aperto ejusdum habitus poteſt fieri nodus, cum quo claudatur propter ventum, ne intret.

Scapulare eſt habitus, duabus peciis (a), una ab ante, alia a retro connexus, quo utuntur ſub cappis in via, in hoſpitiis depoſita cappa incedunt in eis, in laboribus & ſub ornatu in Miſſa.

Omnes iſti habitus debent habere capucia annexa, ab ante aperta.

Duo igitur primi habitus ſunt Monachorum Clericorum profeſſorum. Quicunque igitur Novitius Clericus in aliquo talismodi habitu in probationis anno incederet, & annum non profeſſus tranſcenderet, hic tacitè videretur profeſſus ſecundùm diſpoſitionem juris. Scapularia Clericorum in latitudine habeant dimidium cubitum ad minus, Scapularia verò Converſorum non ſint ita lata, ſicut Clericorum, nec ita protenſa. Similiter aliæ eorum veſtes breviores ſint veſtibus Clericorum. Converſi igitur profeſſi in Monaſterio & extra utantur pallio a pectore deorſum per totum, ab ante aperto habentes capucium ſimiliter ab ante apertum, ipſi pallio apenſum, ſub quo ſemper deferent ſcapulare modò, quo ſupra. Novitii Clerici habeant habitum ſimilem cucullæ Clericorum profeſſorum, niſi quòd in lateribus a brachiis deorſum per totum utrisque apertus ſit. Utantur etiam ſcapulari, quando neceſſitas expoſcit. Novitii verò Converſi ſolo utantur in omni loco ſcapulari.

Eſt autem conſuetudo Monaſteriis deferre Clericis profeſſis in Monaſteriis floccos & cucullas, ambos ſcilicet habitus, Floccos ad Miſſam Conventualem & Veſperas, cucullam verò ad alias Horas & ad menſam atque collationem.

Serva-

(a) *i.e.* partibus.

Servata igitur hac diſpoſitione habitus, Monachi nigri different a modo diſpoſitionis habitus omnium Ordinum. Nam alias cum pluribus aliis fieret coïncidentia. Si enim Clerici deferrent capucia ab ante clauſa, coïnciderent cum Ciſtercienſibus. Item ſi Novitii Clerici deferrent cucullas ſimiliter Clericis profeſſis, tunc ſi ultra annum in eo ſtarent, eſſent tacite profeſſi, cùm eſſet indiſtinctus ab habitu profeſſorum. Et ſi Converſi deberent deferre ſcapularia tum etiam, dum profeſſi eſſent, non differrent a Ciſtercienſibus, dummodo, ùt advizamenta ſonare videntur, capucia ab ante eſſent clauſa. Item non differrent habitu a Novitiis Converſis. Ergo videtur, quòd diſpoſitio & diſtinctio præſcripta ſit aptiſſima, & per ſacrum Concilium approbanda.

Color verò habitus exterioris debet eſſe omnino niger. Item expediret, veſtes etiam habitui proximas fore nigras, tum propter nomen, cum ejusdem Ordinis & Religionis Suppoſita dicantur *Monachi nigri*, tum propter vitandam diverſitatem inter Suppoſita profeſſa ejusdem Ordinis, quorum aliqua forſan deferrent nigri, alia albi coloris veſtimenta: tum etiam, quia hujusmodi colore, ſcilicet nigro, veſtium prædictarum differrent a Ciſtercienſibus, qui ferunt albas veſtes. Expediret tamen, quòd Novitii deferrent albi coloris ejusmodi veſtes, ut inter eos & profeſſos etiam eſſet aliqua in veſtibus differentia. Et quanquam vitandus ſit exitus Novitiorum de Monaſterio, ad pernoctandum ſaltem extra Monaſterium, tamen quia caſus varii ſunt, quòd oportet aliquando etiam tales emitti, expedit eos incedere

in habitu ſuo, quem in Monaſterio deferunt, unà cum ſcapulari, ubi brevior ſit propter itinerationem. Camiſiis lineis aut cannabinis (a) non utantur, ſed vel ſtamineam & veſtem laneam loco dictarum camiſiarum portent, in quibus etiam dormiant. Monaſteria tamen Specus S. Benedicti & Sublacenſe, loco camiſiarum puris veſtibus laneis utuntur ſemper, cùm ſtamineæ videantur eſſe nimis molles. Nec poſt balnea utantur lineis, cùm etiam eadem Monaſteria non habeant aliqua balnea, ſaltem pro ſanis, niſi quis fuerit infirmus, qui tunc cum omni honeſtate & pudicitia ſumma ad unam tunam (b), aut ſi quis indiget phlebotomia ventoſarum, ſimiliter facit. Quanquam Regula S. Benedicti videatur profeſſoribus ſuis, etiam ſanis & fortibus concedere balneorum uſum, quia in Capitulo Regulæ 30. dicit: *Balnearum uſus, quoties expedit infirmis, concedatur: ſanis autem & maximè juvenibus tardiùs concedatur.* Expoſitores Regulæ dicunt, quòd illud *tardius* intelligatur *ter in anno*, videlicet circa feſta Reſurrectionis, Pentecoſtes & Nativitatis Domini. Et videtur, quòd cauſa conceſſionis circa illa & non alia feſta fuerit, quòd corpus abluatur, ut agilius ad hujuſmodi laborum exercitium reddatur.

Alio modo intelligitur ly *tardiùs*, ut ſi aliquis labor habeatur & injungatur aliquando uni vel pluribus, qui cænulentus aut ſordidus eſt, ùt purgare latrinam, facere murum, coquere lateres, aut calcem præparare aut cæmentum, aut aliquis his ſimilis: tunc

(a) *Cod.* canapeis. (b) *vas aquæ capax, dolium.*

tunc talibus ejusmodi laboribus exercitatis ablutio corporis conceditur propter ſordium deterſiones.

Si tamen humanæ fragilitati in balneis deberet condeſcendi, hac diſpoſitione arbitrarer fieri neceſſarium, ut fieret balneum ſudoris in quodam vaſe magno capacitatis ad minus duarum perſonarum, ita quòd ab extra præparetur aqua calida in caldari quodam, fieretque ibidem caldar priori minus, in quo calefierent herbæ variæ ſecundùm varietatem neceſſitatis reſtitutionis ſanitatis fratribus infirmis, ſecundumque conſilium Medici periti, ita quòd ab eisdem caldaribus per cannam quandam in vas prædictum ventilaretur calor. Cum paucis namque lignis hujusmodi fieret præparatio balnei, nec in idem vas plures quàm unus intraret, quo abluto ſuccederet ſecundus & tertius usque ad finem. Et in caſu, quo Conventus tantus eſſet, quòd una die non poſſent omnes ablui, facerent duobus continuis, niſi propter infirmitatem aut phlebotomiæ neceſſitatem oporteret intrare ſecundum ad alium. Et hoc ideo, quia corpora Monachorum, qui Mundo mortui ſunt, debent eſſe tam occulta hominum viſui, ſicut ſi eſſent realiter mortua, ne videlicet contrahatur fomentum aliquod carnalis concupiſcentiæ.

Nec difficilis videtur hujusmodi abſtinentia, cùm cernamus etiam puros laicos perpetuò abſtinere a balneis. Item Canonici Regulares Ordinis S. Auguſtini veſtiti balneantur, ne impudicitia inſoleſcat. A fortiori igitur deberet hoc fieri a Monachis Ord. S. Benedicti, Magis etiam hujusmodi Religioſi deberent ſolicitari de balneo animæ quàm corporis.

Item

Item apparet, perneceſſarium fore, ut prohibeantur Monachi ejusdem Ordinis, ne intrent balnea communia tum propter conſervationem pudicitiæ, quam ſemper debent habere tanquam puellæ ſeu Virginis quoad velandam corporis nuditatem, tum etiam propterea, quia Mundo mortui ſunt. Unde non debent ſe oſtendere viventibus, carnis curam facientes: tum etiam quia frequenter ſerviunt mulierculæ nudæ, unde poſſet per feneſtras viſus intrare mors in animam. In domo propria, Monaſterio ſcilicet, non eſſet in talibus difficultas, cum propria poſſent ædificari & fieri balnea. Extra verò domum, videlicet in locis alienis talismodi Religioſi curam carnis facientes intrant balnea communia. Unde expediret, haud dubium providere per ſacrum Concilium, ne aliqua talia fierent. Modus verò intercipiendi eſſet talis meo videre, quòd Religioſi hujusmodi, domos exeuntes proprias, prohiberentur omnino intrare balnea niſi neceſſitas infirmitatis cogeret balneari. Tunc fieret in domo in tuna quadam plena aqua calida aut in dolio, niſi eſſet in oppido, ubi eſſent domus religioſæ, quæ fortaſſe haberent balnea propria. Cum his coactus neceſſitate poſſet balneari.

Si autem quis gratiâ recuperandæ ſanitatis corporalis per aliquem peritum Medicum mitteretur ad thermas, ibidem diſponat, ſi poterit fieri, ut ſolus intret adjuncto ſibi, ſi neceſſe fuerit, miniſtro. Sin autem, ſaltem in camiſia aut tenui tunica, ut ſtaminea, pudiciſſimè honeſtiſſimeque ſe conſervet, nullas cum aliis exercens levitates, benè continens viſum, in uno loco perſeverans: habeatque duas hujusmodi

ſtami-

ſtamineas, ut una ſiccante alterâ utatur. Et fortaſſe expediret ſibi ferri de eisdem balneis aquas ad habitationem ſuam, niſi fortè ita naturaliter non operentur.

Præterea calceamentis utantur ſtivialibus, id eſt: ocreis exeuntes propter equitaturam. Ubi verò venerint ad locum, ubi ad tempus intendunt manere aut in domo propria, utantur botis ſeu ſotularibus (a) altis & corrigiatis, non fibulatis, ita quòd altitudo ſpatium quatuor digitorum comprehendat ſupra cavillam (b). In ſtivalibus tamen ocreis fiunt a plerisque magni abuſus. Portant enim more armigerorum cum fibulis in calce pedis clauſas & roſtratas ac benè ſtrictas. Item nonnulli deferunt burſas ſericeas, aliàs rubeas & ſplendentes. Quidam etiam cingula deferunt & peras, fibulis & aliis ornamentis argenteis decoratas aut aurichalco ſeu electro. Unde & quidam Prælati de hujusmodi metallo calcaria & ſtrepas deferunt exeuntque cum magna comitiva, ſecum ferentes phyalas & alia pocula argentea, annulos quoque pretioſos in digitis ferentes, quæ omnia videntes ſcandalizantur.

Unde, Reverendiſſimi Patres, neceſſe reor ponere in his omnibus debitum moderamen, per certaque & diſcreta capitula ſub certis pœnis, augendis etiam, ubi non ſufficerent pœnæ in jure expreſſæ, ne videlicet hujusmodi exorbitantiæ ita periculosè continuentur: ſupplicoque, quantum fieri poterit, in his reformandis practica vitæ Monaſteriorum Specûs S. Benedicti & Sublacenſis ſequatur, ubi eſt origo Ordi-

(a) *ſeu* ſubtalaribus, *calceis.* (b) cavilla *pedum eſt* talus.

Ordinis S. Benedicti, vita quoque Regularis obſervantiæ ab initio inſtitutionis ejusdem Ordinis ſtrictè continuata.

Porrò de uniformitate Divini Officii, Reverendiſſimi Patres, neceſſarium reor tractari in Ordine S. Benedicti, & multis ex cauſis. Quibus etiam ex cauſis quaſi omnes Ordines in toto Mundo ſunt uniformes. Prima namque & principalis cauſa uniformitatis Divini Officii [eſt]. Cùm enim in tota Chriſtianitate, ùt apparet, vix invenitur in aliqua Religione tantus collapſus, ſicut in Ordine S. Benedicti, & ideo magis neceſſaria ſit reformatio, ſintque Monaſteria admodum pauca reformata præfati Ordinis, Conciliumque ſit congregatum propter reformationem faciendam in capite & in membris: Monaſteria autem reformanda oportet habere perſonas ea inſtituturas in Regulari obſervantia, quas oportet recipi de Monaſteriis reformatis, quæ tamen Monaſteria, ſcilicet reformata & reformanda, veriſimiliter in Divino Officio diſcordant: unde videtur, quòd reformandi deberent ſequi reformaturos tum propter tædium, quod aliàs haberent reformaturi, non ſcientes modum reformandorum, propter etiam tonos introducendos, melodias hymnorum, accentus Evangeliorum, Epiſtolarum, Prophetiarum & Lectionum & melodias alias Verſiculorum, Reſponſoriorum brevium, Præfationum, *Kyrie*, *Ite Miſſa eſt*, *Te Deum laudamus* &c. Et niſi in his fiat uniformitas, timendum eſt vehementer, reformaturos non manere cum reformandis.

Item cùm multi ejusdem Ordinis profugi & vagi ſint

ſint Monachi, & nonnunquam breviariis carentes ad diverſa Monaſteria divertant; in quibus manent aliquando per unam vel duas noctes. Non invenientes igitur ibidem libros ſuæ rubricæ veriſimiliter non orant horas Canonicas, & ſi orant, tunc majori tædio id faciunt & confuſius, quàm aliàs facerent, ſi haberetur uniformitas ubilibet. Per hujusmodi etenim uniformitatem multos haberent adjutores reformandi, quibus aliàs carerent. Populus quoque, maximè litteratus, ædificaretur multum audiens uniformitatem, ubi aliàs ſcandalizatus fuit de diſcordia: multique intrarent Religionem, qui aliàs manent ſeculares, aut intrant alias Religiones, conſiderantes tantam diverſitatem. Si enim intrarent aliquod Ordinis S. Benedicti Monaſterium, & addiſcerent cum magna difficultate conſuetudinem cantus & aliorum ejusmodi Monaſterii, timerent tamen poſtea ſe mitti ad aliud Monaſterium vel causâ reformandi, vel propter exceſſum aliquem, & quia multi ſunt duri ingenii ad cantum addiſcendum, qui aliàs multum etiam ſunt docti, reſilirent veriſimiliter a tali propoſito, aut intrarent Ordinem aliquem, in quo ſervatur uniformitas, ut ſunt Ordo Cartuſienſis, Ciſtercienſis & omnes Ordines Mendicantium.

Inveniuntur namque in una Diœceſi aliquando plura Monaſteria S. Benedicti, quorum aliquando ſunt tria in uno milliari, & neutrum concordat cum alio in Divino Officio. Unde ad ſervandam ſeu introducendam uniformitatem arbitror expedire, quòd omnia Monaſteria S. Benedicti tenerent idem Divinum Officium cum Monaſteriis Specûs & Sublacenſis,

ſis, quod fit ſecundum Romanam rubricam. Una cauſa eſt, quia eadem Monaſteria habent originem ejusdem Ordinis, a quibus omnia alia Monaſteria ejusdem originis prodierunt mediatè vel immediatè. Eccleſia etiam Romana eſt capitalis totius Chriſtianitatis, cujus rubrica minus eſt reprehenſibilis. Item cum eandem rubricam etiam habeant duo Ordines Mendicantium, ſcilicet Fratrum Minorum & Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, ſintque iidem Ordines in varias Mundi partes diſperſi, facilius poſſunt haberi libri exemplares pro reſcribendo.

Sed obſtant fortàſſe reformandi in hujusmodi Divini Officii mutatione propter pretioſitatem. Ad hoc poterit dici ipſis perſuadendo, ut præſcripta bona ex tali mutatione ſequantur, quòd ſi non faciant repente ſingulorum librorum mutationem, ſaltem ſucceſſivè hoc faciant, primo anno unum, ſecundo alterum, tertio tertium & ſic de cæteris: & ſi non ſcribantur in pergameno, ſaltem in papiro: ſi non in textu, ſaltem in notula, vel etiam miſcendo papiro pergamenum, donec tempus proſperius arridebit: & quia ſucceſſivè modus ejusmodi plus placet, qui primo videbatur moleſtus.

Neceſsè denique arbitror, ſi cantus & aliàs Divinum Officium cum debitis religioſis prolationibus debet perfici conſuetudinibusque & ceremoniis, ſi etiam ad hoc cæteræ regulares conſuetudines non debent dari neglectui, nec tempora regularia, ad hoc ſtatuta prætergredi, ut quædam tam in cantu quàm lectione, mero conſuetudinario uſu introducta, reſecentur, cùm ſint ſuperflua, & eorum intuitu debita omit-

omittantur, ùt ſunt ſeptem Pſalmi Pœnitentiales, cottidie iterati, item Quindecim Gradus, Preces in ferialibus diebus perlongæ ad omnes horas, duæ vel tres Miſſæ quotidie cantatæ, ubi una tantùm eſt de neceſſitate, & raro duæ, ſola die Natalis Domini tres. Multa etiam tam in Laudibus, quàm in Veſperis & Curſu Beatæ Virginis ſuffragia, & quaſi quotidianum novem Lectionum officium mortuorum cantatum, & longè creberrimæ fiunt Proceſſiones, nonnunquam etiam per campos ad eccleſias remotas, ubi contrahunt familiaritatem venenoſam cum perſonis extraneis, & etiam cum mulieribus, quæ difficillimé poterunt in mentibus eorum evelli. Quorum omnium intuitu, immò etiam adhuc plurium, memoriæ non occurrentium, Officium Divinum ex Regula debitum, ac aliæ conſtitutiones Regulares confuſiſſime & cum magna feſtinatione, indevotione ac intentione perverſa complentur, ita quòd plerumque in quibusdam Pſalmis, in Verſibus plerisque vix ſolus finis percipi poſſit, chariusque amplectuntur iſta ſuperflua & non debita, quàm Regularia & debita.

Opportunum item judico, quòd ubi anniverſaria tanta ſunt fundata apud aliquod Monaſterium, quòd duæ Miſſæ ſæpe vel quaſi quotidie cantentur, ut diſpenſetur, quòd pro tempore Miſſa poſſit legi, & Officium mortuorum, videlicet *Placebo* & vigiliæ nunquam cantentur, ſed ſemper legantur, & ſolùm cum tribus Lectionibus & Laudibus. Lectiones tamen legantur per accentus excepto die commemorationis animarum & anniverſario Fun-

datorum, in quibus per totum cantetur. Si tamen ſpecialiùs aliàs volunt aliquod anniverſarium peragere, poſſunt cum novem Lectionibus, ita quòd ſolæ Lectiones, cum Reſponſoriis cantentur & Antiphona ad Benedictus cum ipſo Cantico, dummodo (a) alia omnia legantur aut agantur duo vel tria anniverſaria ſub uno.

Item quòd tantùm quatuor in anno fiant Proceſſiones, ſcilicet Corporis Chriſti, in die animarum, Purificationis beatæ Mariæ, Dominicaque in Palmis. Et tales Proceſſiones ſolùm fiant in ambitu & eccleſia, nunquam autem extra portam Monaſterii ex cauſis priùs dictis. Experientia enim longa doctus didici, certè vix ſufficere tempora diei & noctis, quantumcunque longa ſint, ad rite, devotè & religiosè perficiendum Divinum Officium, omnibus ſuperiùs expreſſatis tanquam ſuperfluis reſectis, ita quòd ad hoc etiam aliæ regulares conſuetudines & neceſſitates naturales compleantur, ùt ſunt Capitularia officia, correctiones in eisdem, dormitio, comeſtio, opus manuum, lectio cellæ, lotio pedum diebus Sabbati, confeſſio Sacramentalis, collectio ad hujusmudi confeſſionem, perſpectio Cantûs & Lectionum Chori, petitio neceſſariorum, ſcriptura, aliquando etiam lotio capitis & raſura, collatio ſerotina quotidiana cum lectione longa, expoſitio capituli Regularis quotidie, & aliquando audire ſermonem. Immò audeo dicere, quod tempora diei naturalis ſint nimis brevia ad hæc agenda ſemotis omnibus ſuperfluis. Supplicatur ergo Ve-

ſtris

(a) *Cod.* cum ubi.

ſtris Reverendiſſimis Paternitatibus, ut conſiderata hac diſpoſitione dignentur ea confirmare, aut per Sacrum Concilium confirmari ordinare, attento, quod huic Sacro Ordini S. Benedicti pro ſui relevatione ac conſervatione ſit pernéceſſaria.

Cùm etiam ex Regula S. Benedicti ad tenendum cerimonias in ipſo Officio Divino, nec non cæteris operibus & locis obligemur, ſintque nonnullæ diverſitates in eisdem quaſi in omnibus Monaſteriis ejusdem, in tantam quoque devenerint diſſuetudinem in certis locis Monaſticis, quod plerumque ſuppoſita in eisdem verecundentur eas practicare; remiſſiusque ſe in eisdem habentes, quàm plerique Sacerdotes & Clerici ſeculares: in choro namque cantantes hinc inde ſpatiantur circumferentes oculos huc illucque, in perſonas muliebres viſum jacientes, ac nonnunquam ibi figentes: propter quod haud dubiùm aliud canunt, ac aliud ruminant contra Capitulum Regulæ XIX. ubi ſic dicitur: *ergo ſic ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra concordet voci noſtræ.* Item contra deſcriptionem ſeptimi gradus humilitatis Cap. VII. Regulæ poſiti, ubi ſic dicitur, quòd Monachus *non ſolùm corde ſed etiam corpore humilitatem videntibus ſe ſemper indicet, id eſt, in opere, in Oratorio, in Monaſterio, in horto, in via, in agro vel ubicunque ſedens, ambulans vel ſtans inclinato ſit ſemper capite, defixis in terram aſpectibus* &c. Neque tales inclinant nec diſcooperiunt aut ſtant, vel flectunt valde rarò, & cum hoc indevotè, cùm ad hoc admoneamur ex Regula Cap. XX. ubi dicitur: *Si cùm hominibus potentibus volumus aliquid ſuggere-*

re, non præſumimus niſi cum humilitate & reverentia: quantò magis cùm Domino Deo univerſorum cum omni humilitate & puritatis devotione ſupplicandum eſt? Et non in multiloquio ſed in puritate cordis & compunctione lachrymarum nos exaudiri ſciamus &c. Ubi per hoc, quod dicitur: *Si cùm hominibus* &c. voluit, quòd [ſi] loquentes hominibus potentibus, Regibus, Principibus & Prælatis diſcooperimus, inclinamus, flectimus genua, ſic etiam facientes ſimus loquendo cum Deo, id eſt: orando. Ex hoc itaque Capitulo elicitur, quòd obligemur ad cerimonias. Et per hoc, quod dicitur: *& non in multiloquio* &c. monet ſuperfluas orationes abjicere, & neceſſarias ſeu debitas cum cordis devotione & lachrymarum compunctione complere.

Præterea cerimoniæ nonnullæ regulares fiunt per ſigna, ùt ſunt diſcoopertiones, inclinationes, operum charitatis exhibitiones, proſtrationes. Quædam fiunt ob Dei & Sanctorum ejus honorem & reverentiam, ùt fit in orationibus, de quibus in Capitulis Regulæ a decimo usque ad vigeſimum incluſivè. Aliæ fiunt coram ipſis ſenioribus a junioribus propter reverentiæ exhibitionem, ùt petitio benedictionis, inclinatio, diſcoopertio, ùt eſt in Capitulo LXIII. Regulæ. Sed aliquando fiunt junioribus ab ipſis ſenioribus, ùt denominatio fraternæ dilectionis in eodem Capitulo. Præterea quædam fiunt ad fratrum communitatem, ùt ſervitium menſæ, lotio pedum in Capitulo XXXV. Quædam fiunt coram infirmis, ùt proviſio aut ſervitium eorum, ùt in Capitulo XXXVI. Quædam fiunt ad hoſpi-

hoſpites, ùt reverentialis inclinatio, aut totius corporis proſtratio in terra, ſicut habetur in Capitulo LIII. Aliquæ fiunt ob exceſſuum punitionem, ùt proſtratio totius corporis in terram, ſuſtinentia percuſſionis virgarum, inediæ, carceris, comeſtionis in terra coram communi Conventu, objurgationis quoque publicæ in Capitulo, privationis vocis & loci Capitularium, ſtationis etiam ad mattam tempore Divini Officii pro tarditate ad idem veniendi, taciturnitatis continuæ, niſi habeat licentiam, & etiam excommunicationis, ſi neceſſe fuerit, & in modo ſe habendi tempore ejusdem excommunicationis. Hæc omnia habentur ex Regula ex Capp. XLIII. XLIV. & etiam ex Capp. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. & XLII.

Sunt tamen plurimi, qui, ùt dixi, minimè hujusmodi cerimonias curant ſervare, immò derident eas ſervantes. Cùm autem (a) ſine hujusmodi cerimoniis vitæ Regularis non poſſit veriſimiliter proficiendo creſcere, attento, quòd his contemptis receditur longè ab humilitate, quæ eſt Religionis fundamentum, & ſpreto fundamento non poteſt quid ſolidi ædificii fieri: ſupplicatur Veſtris Reverendis Paternitatibus, quatenus dignentur ſtatuere hujusmodi ceremoniarum uniformem obſervationem, cùm ad eas ſervandas ex Regula teneantur Monachi Ordinis S. Benedicti: dignenturque cooperari ad ipſarum confirmationem, per ſacrum Concilium faciendam ſub certis pœnis expreſſis ſecundùm ejusdem ſacri Concilii arbitrium, & ut ſervetur ubilibet

(a) *Cod.* enim.

in eisdem cerimoniis modus Monaſteriorum Specûs S. Benedictini & Sublacenſis ex cauſis de uniformitate Divini Officii aſſignatis.

Fortè quædam deſunt.

Ejusdem Martini de Senging EPISTOLA

Ad

Ven. Johañem de Weilhaim, Priorem Mellicenſ.

De Statu Monaſterii Bursfeldenſis ſub initium ſuæ reformationis.

Jeſum conſolatorem & ſe ad quævis grata.

PRædilecte Frater. Sentiens veriſſimis argumentis Vos mihi ſemper fuiſſe inclinatum veræ charitatis affectione tam Vobis abſenti quàm præſenti (omni ſiquidem charitatis officio me proſecutus hactenus fuiſtis demeritis meis id utique non exigentibus) groſſæ ob hoc ingratitudinis vitio me noviſſimè in vos peccâſſe arbitrari poſſem prima facie, ſine ſpe brevis reditûs præſentiam meam clam Vobis auferendo, amico vale prætermiſſo, irrequiſito quoque veſtro conſilio in ævum fortè mihi ſalubri, ne indignatio hujuſce forſan occaſione concepta

pta radicetur in terra cordis, pariat quoque, quod abſit, odium, per quod delear de memoria bona veſtra, ac reperirem pro benedictione maledictionem: non modò congruum, ſed & debitum judicavi, Vobis ſcriptis ſingularibus mentem meam aperire, quibus & amicitiam ac fraternum zelum priores renovare, mœſtitiamque mentaliter conceptam conſolari valerem. Etſi nulli hinc ſcripſerim præterquam Domino meo Abbati & tribus fratribus noviſſimè profeſſis pro eorum ſtabilimento, quibus ex debito obligari me arbitror, quia filios meos reputo: Vobis tamen nunc etiam ſingulariter ſcribere volui, ne meorum ſucceſſuum maneatis expertes cum multis, ſed potiùs aliud ſentiatis cum paucis. Sit phylacterium hoc impigra Chriſti tumbæ & perſeverans viſitatrix, quæ ſuo charitatis ardore prima omnium videre reſurgentem Chriſtum meruit, Apoſtolorumque fuit Apoſtola, quæ diſcipuli Chriſti & Petro manifeſtare juſſa eſt Chriſti reſurrectionem. Quaſi enim Petrus non fuiſſet unus ex diſcipulis Chriſti, ita noſtra chartula remandat tibi dilecte ſalutes. Sic igitur mandavi nuntiis his: dicite ſucceſſus meos Abbati, Fratribus & Fratri Johanni. Privilegium amoris ſingularis in eo intelligi exhortor.

Veniam ad me purgandum, quantum potero. Abs vale ſingulari & fraterno me vobis ſubtrahere nequaquam intendi, prout uni dixeram, qui itidem ſuſpicabatur de ſe. Verùm tempus protrahebatur diſcurrendo ad Abbatem, & in ordinandis neceſſariis, fratribus etiam mecum conveſcentibus me tenentibus ſermonibus, & propter equi defectum ac

ſubitam auræ mutationem, & propter locum pro nocturno tempore deſtinatum, qui quantum ad reſtans ejusdem diei tempus, in improportionata adhuc erat diſtantia, ad quem adhuc eodem habui ſero pertingere propter inveniendos comites pro via ulteriori. Sic itaque factum fuit, ut propter hujusmodi timores, cùm actu de hoc cogitarem, vobis non valefecerim nec fratri Johanni Slecht. (a) Ob hoc ſupplico, quatenus piam apud vos capiat interpretationem vobis inſperatus meus celer receſſus.

Nôſſe tamen vos opto, me proſpero ſucceſſu, regia viâ, veniſſe huc ad Bursfeldiam die S. Coſmæ & Damiani, Deo, cœlo, electis & hominibus ac jumentis mihi ſervientibus ad hoc feliciter. Nam benè ſanus & potens corpore unà cum jumento huc veni. Verùm in via ſubſtiti pluribus diebus. In Wallſee octo milliaribus a Mellico exſpectando alium equum manſi uſque ad ſextum diem. In Ratisbona tribus diebus expectando comites propter inſecuritatem. In Nürnberga ſeptem diebus fui ſubtiliter tentus per Magiſtrum Conradum. (b) Dominum Doctorem, quia verè magnam mihi exhibuit charitatem. Ego credo & nihil dubito, quin ſuis expenſis ſecluſa omnia ſpe rehabendi ipſe emiſſet mihi equum cum omnibus neceſſariis. Manſi Bambergæ per unum diem. Ih Salveld quodam

(a) *Dicto de Häching, Monacho Mellic. facto anno* 1435. (b) *Hic videtur eſſe Conradus de Herbipoli, Canonici Juris Doctor, Mellicii Monachus creatus anno 1470.*

dam Monaſterio unum diem. In Erfordia Monaſterio S. Petri unito cum Burſveld uno die.

Tractor hic verè humaniter & charitativè. Eſt locus ſolitarius, ſilvis circumquaque cinctus ſuper ora cujusdam fluminis navalis, dicti Wezara, ſitus, bonis abundantis piſcibus, ùt trutis magnis, quas hic vocant eſoces, & anguillis. Sunt propè Monaſterium ſuper eodem flumine quatuor arcæ piſcium. Habentur hic boni caſei caprini. Tandem, vix tamen, didici bibere cerviſiam. Vini uſus eſt hic, ſed in ſolo ſacrificio altaris. Laudabilis eſt hic converſatio. Jam recenter iterum inſtituit unum Monaſterium in Haſſia Dominus Abbas ad inſtantiam Domini Lantgravii Haſſiæ, qui eſt fautor hujus Monaſterii & princeps pacificus, licèt hoc Monaſterium Bursfeld non ſit in terra & ſub Dominio ſuo, quoniam eſt in Saxonia in Ducatu Brunſvicenſi.

Jam de novo obtulerunt ſe tres Abbates pro unione ſuorum Monaſteriorum Bursfeldæ, ſcilicet Ettenheymünſter, ad S. Stephanum in Herbipoli, & Hirſaw, ſed dilati ſunt uſque ad proximum Capitulum Bursfeldenſe, quod in quarta hebdomada poſt Paſcha celebrabitur.

Pauperis eſt dotationis & ſimplicis ſtructuræ. Unde quoad ſtructuræ ſimplicitatem & dotationem non ſcio in tota Auſtria aliquod Monaſterium, quin ſit notabilis exceſſus, in regulari tamen vita nullum. Magna enim ſe detinent charitate Suppoſita. (a) Habent tota æſtate & autumno labores manuales

(a) *i. e.* Monachi.

cum humulo, fœno duplici, collectione fructuum arborum &c. aliquando per diem ad duas horas continuas.

Pater (a) eſt bonus, exemplaris, adeò ut benè verificetur de eo dictum Sapientis in Eccleſiaſtico: *rectorem te poſuerunt? Noli extolli, eſto in illis ſicut unus ex eis.* Victum tamen & veſtitum ſufficientem paupertate non obſtante ſuis ſubminiſtrat. Niſi enim temporaliter â ſuſceptionis hoſpitum, a viſitationis Monaſteriorum neceſſitate [impediretur], deliciæ ſuæ eſſent continuare cum fratribus in Conventu in exercitiis regularibus. Unde frequenter prædictis ceſſantibus eſt in Matutino, Capitulo & Refectorio. Verùm non ſic abundanter ſunt ſingula loca pro Conventu præparata ſicut in Mellico. Nam Monaſterium hoc fuit ante paucos annos adhuc meo ævo Monialium, totum ruinoſum, & quaſi de novo conſtrui neceſſe eſt.

Raſura fratrum fit per ipſos fratres Clericos, non per aliquem ſecularem. Abeſt enim ab hominibus. Unde proxima civitas diſtat duobus miliaribus benè menſuratis. Locus raſuræ non eſt ſtuba, ſed hieme & æſtate in quadam habitatione frigida. Singulis octo diebus raduntur barbæ, & ſingulis quindenis capita. Cellulæ ſunt ſimplices & baſſæ. Interſtitia ſunt ſepes luto liti. Januas nullas habent ſed vela. Poſſum contingere manu trabem pavimenti ſuperioris. Refectorium eſt competens, loca tamen ſunt vitreis benè munita. Per ſingula loca ſecreta currit aqua. Infirmitorium necdum

(a) Joannes de Indagine.

necdum vidi, dicitur tamen humile. Teſtudines hic ſunt raræ.

Fui a principio adventus mei ad hunc locum, videlicet fortè poſt quatuor dies valde alteratus. Itaque timui me non ſupervicturum. Motus ob hoc feci confeſſionem magis prægnantium peccatorum de tota vita. Et cùm propoſuiſſem ſuſcipere Sacramentum extremæ unctionis (timui enim propter incontinentiam Sacramentum Euchariſtiæ ſuſcipere) ſupervenit conſolator DEus, faciens proventum cum dolore, & mitigavit ipſum. Unde in ſeptem diebus non potui ſequi Conventum. Facta eſt tunc mecum magna charitas. Adjunctus fuit mihi frater continuus, me obſtetricans. Urina fuit miſſa ad unum Phyſicum in unam civitatem Imperialem diſtantiæ trium milliarium in magna pluvia. Portatum eſt mihi regimen ſcriptum & quædam medicinæ. Convalui Deo volente. Reintravi Conventum ſeptima die, & uſque nunc ſanus continuavi. Veruntamen nolite annuntiare in Geth neque in compitis Aſcalonis, ne forte lætentur filiæ Phyliſtiim.

Recommendo me vobis cordialiter. Salvtate collegium Converſorum & fratrem Johannem Slecht. Sint vobis intimiùs recommendati tres noviſſimè profeſſi. Valete. *Ex Burſfelda per Fr. Martinum die S. Lucæ 1457.*

Cùm hanc Martini noſtri Epiſtolam prelo jam paraſſem, & alia quæpiam circumſpexiſſem, quæ ab illius argumento non admodum abluderent, incidi in litteras Reverendiſſimi ac Excellentiſſimi Domini Thebarum

barum Archiepiſcopi, Apoſtolici apud Colonienſes Nuntii, in quibus ſingularia quædam & ſcitu non indigna de hodierna fortuna Monaſteriorum, quæ ſe dudum Monaſterio Bursfeldenſi Congregationis nomine unierunt, referuntur. Scriptæ autem hæ litteræ fuerunt ad Eminentiſſimos S. R. E. Cardinales eo tempore, quo de ſtabilienda Monaſteriorum Congregatione Benedictino-Bavarica Romæ alibique maximè agebatur. Eæ ſic habent:

* * *

Retuli Eminentiis Veſtris, litteris 15. Februarii datis, quòd ſcripſerim perſonis fide dignis Monachium, ut haberem notitiam, quæ deſideratur a Congregatione deputata ſuper negotia Congregationis Benedictino-Bavaricæ, circa diſciplinam Eccleſiaſticam ac œconomicum gubernium Monaſteriorum illius Congregationis, conformiter ad ea, quæ Eminentiæ Veſtræ a me requiſierunt litteris 24. Januarii ad me ordinatis.

Cùm itaque reſponſiones ab iis, quibuſcum ſuper hoc negotio correſpondi, advenerint, eas Eminentiis repræſento fideliter in ſex capita diviſas, ſicuti ab illis habeo, a quibus informationem capere debui.

Primò in ordine ad diſciplinam Eccleſiaſticam audio, quòd a tempore conceſſæ Exemptionis ſupradicta Congregatio celebraverit quatuor Capitula Generalia, id eſt: annis 1684. 86. 89. 1692. Subſecutæ ſunt poſtea viſitationes Monaſteriorum ad minimum duæ in duobus annis, quando præ-

ſcripto

ſcripto tempore, ſcilicet ante erectam Congregationem Monaſteria Bavariæ exceptis illis, quæ in Diœceſi Auguſtana conſtituta ſunt, aut nunquam aut rariſſimè viſitata ſunt ab Ordinariis, taliter quòd Religioſi triginta & pluribus annis in Monaſterio viventes nec recordentur alicujus viſitationis cælebratæ.

Secundò in illius Congregationis Monaſteriis eſt ſtabiliter introducta recollectio Spiritus, quæ fit tribus vicibus de die, uſus Exercitiorum S. Ignatii & renovatio votorum ſolemnium facienda voce & in ſcripto ſemel in anno. Inſuper frequentiora jejunia: lectio ſpiritualis tam in refectorio ſuper menſam, quàm extra refectorium ſtatutis temporibus de die iteranda. Unde bonus odor eſt conceptus de iſtius Congregationis Religioſis, & in tota Bavarìa ſparſus.

Tertiò circa paupertatem regularem informatus ſum, quemlibet Religioſum de anno in annum tradere Prælato ſpecificationem omnium rerum, quas habet apud ſe & ad proprium uſum: & Superior vel auget vel imminuit uſum rerum deſcriptarum juxta arbitrium & beneplacitum ſuum, ut tollat omnem omnino proprietatis occaſionem.

Pro inſtructione Novitiorum habent communem Novitiatum in Monaſterio S. Stephani propè Friſingam, ubi obſervatur exactiſſimè diſciplina Monaſtica ſub directione hominum ætate profectorum, & in diſciplina regulari ac virtutibus Religioſis practicatorum, ubi plurimum adfert fructum unio multorum Novitiorum: quod neutiquam fieri poſ-

ri poſſet, ſi, quod ſæpius ante contigerat, in particulari aliquo Monaſterio unicus tantùm Novitius inſtrui deberet.

Ut etiam aliquid de commodo Studii Communis referam & explicem, dico, quòd habeant Studium Theologiæ in Monaſterio Sancto Andex, & Monaſterio Frauencellenſi: Studium Philoſophiæ Schyræ, præterquam quòd aliqui cum conſenſu Capituli Generalis poſſint ad alias Univerſitates mitti ad ſtudia. Et hæc ſunt quatuor puncta ſeu capitula concernentia regularem diſciplinam.

De reliquis duobus punctis circa œconomiam non potui in particulari aliquid expiſcari, niſi quòd in Capitulis Generalibus Domini Abbates reddant exactam rationem ſuæ adminiſtrationis Commiſſariis,ab eodem Capitulo pro recipiendis rationibus ordinatis ac conſtitutis. Dant etiam notitiam omnium redituum & exituum ſeu expenſarum cujuslibet Monaſterii ſeriò indagando, an debita contracta aut bona alienata ſint &c. Credibile eſt, expenſas Monaſteriorum eſſe nonnihil imminutas, cùm Religioſi juvenes minoribus impenſis & ſumptibus in ſtudiis alantur, quàm antea factum ſit. Domini Abbates accedunt communiter refectorium ad regularem menſam, quod antea non faciebant, atque ideo multæ inutiles expenſæ cauſabantur.

Viſitationes triennales in hac Congregatione conſuetæ, ſine ſplendore & magnis expenſis celebrantur. Nulla ampliùs pretioſa honoraria, ùti olim Miniſtris Epiſcopalibus dari conſueverant, in electionibus novorum Abbatum donantur. Deni-

que

que poſt erectam Congregationem ſublata eſt frequentia comminationum, quæ ſub quocunque prætextu ſine ſufficienti cauſa præteritis temporibus facile expediebantur ab Ordinariis cum maximis expenſis Monaſteriorum.

Hæ ſunt notitiæ, quas cum omni circumſpectione debita excepi circa ſtatum Congregationis Benedictino - Bavaricæ, quæ multùm diverſa eſt a *Congregatione Burſfeldenſi* iſtarum partium, quæ quia non potuit ſeſe eximere a ſubjectione Epiſcoporum, jacet in deplorato ſtatu, & deficit vehementer tum in diſciplina regulari & Eccleſiaſtica, tum œconomica, præſertim in principalioribus Monaſteriis. In cujus rei argumentum & pro clara probatione illorum, quæ in relatione mea affero, licitum mihi ſit in iſta occaſione Eminentiis Veſtris humillimè ſignificare ac præſentare, quòd in Diœceſi Colonienſi Monaſterium *Cornelii Münſter*, aliàs Congregationis Burſfeldenſis, poſt multas viſitationes & comminationes, quas ab Archiepiſcopi Colonienſis Miniſtris perpeſſum eſt, inventum fuerit habere uno eodemque tempore tres Abbates reſignatos aut depoſitos. Nam iſti Miniſtri & Commiſſarii Epiſcopales nihil magis curabant, quàm occaſionem habere novos Prælatos in dicto Monaſterio idenidem benedicendi ac inſtituendi ea ſolùm de cauſa, ut ex ejuſmodi electionibus & inſtitutionibus ac confirmationibus Monachorum loculos emungere, ac magnam pecuniarum ſummam ad ſe attrahere poſſent: atque ideo maximè ſoliciti fuerunt occaſione depoſitionis alicujus Superioris vel Prælati, non adeò boni, ſeſe offerente,

te, ad novas electiones quantocyùs procedere, alios atque alios eligendo ſine delectu ſubjectorum habilium, & in ipſa depoſitione aut electione absque prævia inquiſitione in mores eligendorum, ac in cauſas depoſitionum frequentes Prælatorum mutationes moliri. Ex quo factum eſt, ut, ſicut ſine omni delectu & prævia in qualitatem perſonæ inquiſitione ad Infulam promoti ſunt, ita poſtea de facili ſine reſpectu ad quamlibet inſtantiam, etiam inſufficientem, a dignitate Prælaturæ dejiciebantur cum maximo Monaſterii damno, infamia ac pecuniarum expenſis: quia Monaſterium hujusmodi depoſitis Prælatis obligatum manſit quot annis magnam pecuniæ ſummam ſubminiſtrare, tantummodo ut quieti perſiſterent in Conventu. Atque per hunc procedendi modum inſigne illud Monaſterium *Cornelii-Münſter* eò devenit, ut præclara illa fundatio hodie non longè a totali ruina abſit.

Etiam Monaſterium *Brauvillere*, aliàs ditiſſimum, in diſtrictu ſacræ Nuntiaturæ Colonienſis exiſtens, ad incitas & extremam neceſſitatem redactum eſt propter diſſenſiones Monachorum. Hoc Monaſterium etiam non eſt exemptum a jurisdictione Ordinariorum, ſed ſubjacet Ordinario Colonienſi, qui ne quidem permittit, ut Viſitatores ex Congregatione Bursfeldenſi faciant ſuum officium, illudque reforment, ac emendanda emendent. Quin immò cùm clarè cognoſcat Ordinarius Colonienſis, modernum Abbatem eſſe omnino incapacem ad regimen continuandum, indulſit quidem poſt longam tergiverſationem, ut S. Sedi Pontificiæ ſupplicari

poſſet

poſſet pro Coadjutore, qui incapaci Prælato auxiliatrices manus porrigeret eumque ſuccollaret: ſed pro officio Coadjutoris Epiſcopus Colonienſis præſentavit ac promovit virum ſeptuaginta duorum annorum, decrepitum & valetudinarium, pro cujus in officio Coadjutoriæ inſtitutione prænominatum Monaſterium ſolvere debuit duo millia Scutorum Romanorum, noſtra moneta ultra quatuor millia florenorum in parata pecunia. Et quas utilitates vir adeò decrepitus & extrema ſenectute exhauſtus Monaſterio cauſabit?

Ita etiam proceditur in aliis Monaſteriis, in S. Nuntiatura exiſtentibus, non exemptis ab Ordinariorum jurisdictione, ubi Epiſcopi liberè ſuam authoritatem exercere & diſponere poſſunt.

Unde putarem ego, non tantùm utile & S. Ordini proficuum, ſed etiam omnino neceſſarium fore, ut omnia Monaſteria (exceptis illis, quæ in ipſo territorio & jurisdictione Epiſcoporum exiſtunt) a jurisdictione Epiſcopali eximerentur, ut ſaltem diſciplina Monaſtica reſtitueretur, & in antiquum florem reponeretur, tacendo de rebus œconomicis.

Rogo Eminentias Veſtras, dignentur hanc meam informativam narrationem benignis auribus excipere, & me, qui ſacræ Purpuræ reverentiam facio, porro ſuis gratiis fovere.

Coloniæ 22. Martii 1693.

Eminentiarum Veſtrarum

Humill. devotiſſimus & obligatiſſimus ſervus

G. A. Archiepiſcopus Thebarum.

S. Johannis Capiſtrani
Ord. FF. Minorum
EPISTOLA (a)
Ad Univerſitatem Wiennenſem.

Argumentum.

Narrat felices & amplos, quos Dei gratiâ in Moravia fecit, Catholicæ fidei progreſſus, Univerſitatemque rogat, ut doctrina præſtantes aliquot viros ad ſe mittat, qui publicæ ſuæ cum Rockizano Huſſita Concertationi interſint.

Sacræ & Illuſtri Theologiæ Artium Univerſitati Wiennenſi Frater Johannes de Capiſtrano, Ordinis Minorum minimus & indignus, commendationem humilem & devotam, ac gratiam ſalutarem, & pacem in Domino ſempiternam.

NOlo vos admirari, Clariſſimi Viri, Doctoresque celeberrimi diuturnum ſilentium meum, quo vobiſcum uſus ſum, poſtquam ex ipſa inclyta Urbe Wiennenſi diſceſſi: quandoquidem nihil grave, quod ſcribendi ad vos cauſam mihi

(a) *Ex Cod. Mellic. N. 13.*

hi præberet neceſſariam, [occurrit]. Neque enim id ulla negligentia vel oblivione erga me veſtrî factum fuiſſe putetis, cùm tantus ſit cumulus veſtrorum erga me beneficiorum, ut veſtri memoriam nulla unquam poſſit delere oblivio. Quis enim tanta ingratitudine plenus extiterit, ut tam grandi honore a vobis ſuſceptus, poſſit conſcientia reclamante, tantæ humanitatis & benivolentiæ oblivisci, quanta, ut apud vos eſſem, amplexati me fuiſtis, ultra quàm decebat parvitatem meam? Equidem ita me Illuſtriſſimæ veſtræ Univerſitati perpetuò devinctum fateor, ut ſemper illam ſim cum honore habiturus. Cui cùm præter me habeam nihil, meipſum totum dedam, totumque tradam, quo uti valeat tanquam mancipio ſuo. Sed de his hactenus.

Ut Hieronymus ait, *tractant fabrilia fabri.* Igitur Clariſſimi Doctores, de tuenda cauſa inter Bohemos & me, Catholicæ ſcilicet fidei noſtræ, cujus tutelam cùm non minùs libenter quàm acute protegendam ſuſceperitis, ſemper omnibus poſtpoſitis magnum mihi præſtant argumentum ad vos eſſe recurrendum tanquam ad eos, qui non ſolùm provocati, ſed ſponte hujuſcemodi cauſam tueri minimè verentur tum pro ſuſtentanda veritate, tum quia veſtrum & meum eſt officium, non ſolùm cauſam Catholicæ fidei defendere, ſed augmentare & magnificare, magnificatamque conſervare.

Poſtquam hanc Moraviam patriam ſum ingreſſus, Præſtantiſſimi Magiſtri & Doctores, ùt debui, ſemper pro viribus contra Bohemorum damnatas hæreſes egi, neque minis neque aliquo alio timore

 unquam

unquam a prædicandi officio deſtiti, ſed palam locutus omni, quo valui, ſtudio, ad refellendam illorum damnatam opinionem, qui dicunt neceſſarium eſſe ad ſalutem ſub utraque ſpecie communicare, me contuli. Quo factum eſt, ut non ſolùm multi Barones, Nobiles & Sacerdotes, atque omnibus computatis ultra quàm quatuor millia meis in manibus Huſſitarum errores abjuraverint, (ut ſileam multos alios converſos, qui ſub iſtorum Baronum converſorum dominio degunt) ſed toto Bohemiæ regno ſublevato & in rumore poſito, Barones ipſi Bohemi, ſub utraque ſpecie communicantes timentesque de populorum converſione incitaverunt, & ut veriùs dicam, compulerunt Magiſtrum Johannem Rokiczan ad habendum mecum diſputationem, ut ego ab illo devictus cogar ſilentium imponere, aut ille a me ſuperatus fiat illis cauſa ſalutis.

Ipſe autem Rokiczanus audacia pro ſapientia uſus, ut ſe inſuperabilem Baronibus redderet charumque & gratum, pridie ſuas ad me litteras dedit ſatis honeſtas, licèt tamen meo judicio, ſummo cum cordis dolore. Quarum quidem litterarum copiam cum reſponſivis meis pariter & non nullas alias litteras ad me deſtinatas, ad ſuam Regiam Majeſtatem transmittam. Quas omnes cùm inſtituerim ad vos eſſe deferendas nomine Sereniſſimi Domini Regis, rogo, ut non pigeat illas perlegere, ut maturiùs & cautiùs determinationi ſuæ Regiæ Majeſtatis conſulere poſſitis, quæ pro loco, tempore & die & perſonis affuturis in actu facienda eſt. Antea enim, quàm a Johanne Rokiczan invitatus fuiſſem, mihi ipſi pro loci digni-

dignitate & peritiſſimorum pro pulchra corona ipſam Inclytam Wiennam delegeram, ſi hujuſcemodi actus deberet celebrari. Sed ne ipſi Bohemi dicant me elegiſſe locum pro arbitratu meo, malo, ut a Sereniſſimo Domino Rege locus determinetur, quàm a me, ne collationem facere recuſent. Et quanquam non ignorem, hujuscemodi fidei cauſam determinandam fore per ſanctam Romanam Eccleſiam, tamen quia aliàs & in Concilio Conſtantienſi & Baſilienſi determinata & deciſa fuit, non incongruum viſum fuit, ut pro fidei defenſione & Bohemorum reductione illam viriliter aggrediamur.

Quamobrem cùm hujusmodi diſputatio celebranda omnino ſit, me totum ad ipſam ſacram veſtram Univerſitatem convertam, illam precibus, quibus valeo, obſecrando per eam ſummam benivolentiam, quam erga me gerit, per pretioſiſſimum Chriſti ſanguinem, per communem Bohemorum ſalutem, perque ea ſtudia, quibus tanto tempore delectatur, ut determinato priùs loco per Sacram Regiam Majeſtatem, eligere dignentur nonnullos viros peritiſſimos, & quàm maximè in ſacris litteris, ex ſufficientioribus totius almi ſtudii Wiennenſis, qui quidem ad locum determinandum habeant proficiſci. Si Wienna eligeretur locus, nihil mihi gratius nihilque jucundiùs afferri poterit. Quoquo modo tamen res ſe habeat, victoriam de Bohemis aſſequi volumus Divina favente gratia, ſi operam dare volueritis. Comparabitis etenim laudem & gloriam immortalem apud Deum & apud homines, ſi rem hanc attentare minimè dubitabitis. Ego autem omnem

ſpem præter cœleſtem in vobis fixi & locavi. Quos quidem tanto adjumento mihi eſſe, ſi volueritis, poſſe intelligo, ut nihil ſit præterea mihi requirendum. Quare ſi mei memorem, ſi me chariſſimum, ſi dignum denique veſtris beneficiis judicatis, hoc a vobis peto, ut omnino huic præclaræ Collationi celebrandæ, quæ non parvum pondus habet, nonnulli ex vobis velint intereſſe, cùm magnum & maximum decus ſimulque ornamentum Illuſtriſſimæ veſtræ Univerſitati ſitis allaturi.

Pergite itaque Præclariſſimi Viri, & ad quod veſtra præclara ſtudia vos incitant, dirigite greſſus, ut vobis laudem, ſplendorem & præmia, mihi lætitiam & conſolationem & jucunditatem, Bohemisque univerſis ſalutem & pacem æternam afferatis.

Valeat Sacra Illuſtriſſimaque Univerſitas veſtra Wiennenſis ad gaudia ſempiterna. Libellum, quem his diebus contra Bohemos edidi, ad vos aliàs transmittam, mitteremque nunc illum libenter, ſi transſcribendi otium præſtaretur, cùm tantis [negotiis] ſimus præpediti, ut vix has manu feſtina exarare valuerim. Valete interim, & quid de hujusmodi collatione facienda ſentiatis, nobis reſcribere non ſit moleſtum. Ex Znoyma XXIV. die Septemb. anno Domini 1451.

Totius almæ Univerſitatis Wiennenſis inutilis ſervus, licèt Orator fideliſſimus Frater Johannes de Capiſtrano Minorum minimus & indignus, filiusque veſter immeritus.

Ejusdem

Ejusdem
EPISTOLA SECUNDA
De publicis & promiſcuis Balneis Religioſorum.
Ad Thomam de Paden, Priorem Mellicenſem.

Monitum (a) *Librarii.*

Quæſitum fuit a Venerabili Patre Johanne de Capiſtrano, Generali Ordinis Fratrum Minorum Citramontano, utrum Religioſus balneans inter ſeculares, non domeſticos ſine ſigno vel habitu Religionis ſuæ incidat excommunicationem, quod aſſerebatur præfatum Patrem Johannem prædicâſſe, & ubi Canon hic in Sexto contineatur: Et ſi ſic, quis a tali excommunicatione poſſit hujusmodi Religioſum abſolvere. Item quis diſpenſare poſſit ſuper irregularitate, ſiquam taliter excomunicatus Divinis ſe immiſcendo &c. contraxiſſet. Super quibus reſpondit præfatus Venerab. Pater.

Reverendo in Chriſto Patri & Religioſo Venerabili Fratri Thomæ Ord. S. Benedicti, ſacri Monaſterii Mellicenſis digniſſimo Priori, mihi percolendiſſimo.

VEnerande in Chriſto Pater humili cum recommendatione gratiam ſalutarem & pacem in Domino

(a) *id totidem verbis præfigitur Epiſtolæ in Cod. Mellic. N. 13.*

mino ſempiternam, & animum ad obſequia grata paratum. Heſterna die veſtras ſuſcepi litteras, quibus quæritis, an verum ſit, quod fama veſtras perduxit ad aures, me videlicet prædicâſſe; Religioſos, qui balneantur cum laicis, non domeſticis, ſine ſigno Religionis ſuæ, excommunicatos eſſe ex Canone Sexti: & quod ſi ita eſt, velim vos informare, in quo loco Sexti præfatus contineatur Canon &c.

Ad quod breviter quæſitum reſpondeo: verum eſſe, me juxta prædictum Canonem & alia Canonica jura prædicâſſe multoties. Canon autem ille Bonifacii VIII. eſt in ti. *Ne Clerici vel Mo. ſe ne ſ. mi. C. ut periculoſa*, ubi ſequitur Textus: *ut periculoſa Religioſis evagandi materia ſubtrahatur, diſtrictiùs inhibemus, ne de cætero aliquis quancunque Religionem tacite vel expreſsè profeſſus in ſtudiis vel alibi temere habitum Religionis ſuæ dimittat, nec accedat ad quævis ſtudia litterarum, niſi a ſuo Prælato cum conſilio ſui Conventus vel majoris partis ejusdem ſibi eundi ad ſtudium licentia primitus ſit conceſſa. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto* &c. Talis eſt textus. Gloſſa autem Joannis Andreæ ita dicit: *ut periculoſa, tracta fuit de Extravaganti*: Gravis & dolore non vacua. Et in verbo: *quamcunque Religionem* dicit Gloſſa: *dum tamen approbatam* de voto eod. Lib. Et in verbo: *expreſsè* dicit Gloſſa ſuper eodem Libro de Regulis c. 1. &c. ſicut in libris veſtris pleniùs videre poteritis. Attendite tamen ad verbum: *temere*, ſuper quo dicit Gloſſa:

ex

ex cauſa enim licèt habitum transformare, ſi juſta ſit, puta timor ſupra de vi. & ho. Cler. c. Clerici.

Idem autem Joannes Andreas in eod. c. *Ut periculoſa* in Novella ſua Lectura dicit, quòd prædicta excommunicatio ligat Religioſos balnea intrantes ſine habitu in conſpectu ſecularium perſonarum. Sed ſi occultè intrent & ſtent ita, quòd a ſecularibus non videantur, non incidunt. Ex quo etiam includitur, quod Religioſi exuentes ſe, id eſt: deponentes habitus propriæ Religionis in conſpectu ſecularium ſive in clauſtro, ſive alibi, ut ludant ad pilas, vel ſimilia, excommunicationem incurrunt. Idem eſt etiam, ſi cauſa non eſt urgens, ùt quia vadunt ad piſcandum deponentes habitum in conſpectu ſecularium.

Archidiaconus autem in prædicto c. *ut periculoſa* dicit: *licèt iſta conſtitutio attribuatur Domino Bonifacio, tamen originaliter fuit Innocentii IV.* Et infra in verbo *temere* Archidiaconus ipſe apoſtillat dicens: *hoc dicit, quia ex cauſa poſſet &c.* Et in verbo *habitum* dicit: *habitus Monachialis videtur eſſe cuculla, ùt patet in eo, quod legitur & notatur 19. q. 3. mandamus. 20. q. 3. præſens. Et eadem cauſa in themate. Et ſupra de æta. & quali. intelligimus.* Et in verbo: *dimittat* dicit idem Archi-Diaconus: *adeò habitus eſt annexus oſſibus Monachorum, quòd in quocunque loco conſiſtentes, ſive in lecto quieſcentes conſtanter eo uti debent, ùt habetur. 20. q. 1. c. vidua.* Ad hæc ſupra de vita & hon. Cler. c. Clerici in fin. & 23. d. c. Sanctimonialis, ubi Gloſſa dicit: *etiam in infirmitate.* Et opponit Archi-Diaco-

nus de *cap. ſine ornatu 21. q. 4.* Sed idem ipſe ſolvit, quia illud Capitulum loquitur in Clericis ſecularibus, qui non ſunt ita adſtricti ſicut Monachi. Et igitur dicit Archi-Diaconus, pœnam iſtius prohibitionis extendi etiam ad Abbatem, quia Monachorum appellatione includitur etiam & Abbas, ùt in c. *Mandato. de Simonia.* Et probat per multa jura, oſtendens etiam, quòd licèt Monachus dimittens habitum poſtea reaſſumat, ſicut faciunt Apoſtatæ, quamvis poſtea efficiatur bonæ famæ, non poteſt eligi in Abbatem argum. *1. q. ultra ſi quis omnem.* Et adhuc etiam allegat multa jura.

Hoc etiam tenet Dominus Petrus de Ancharano in dicto c. *ut periculoſa* dicens: *Sed nunquid in lecto debet tenere*, ſcilicet habitum? *Reſpondeo: Canon ſentit, quòd ſic 20. q. 1. c. ſi. dum dicit:* ſemper. Subdit Johannes Andr. hìc, ſcilicet in dicto c. *ut periculoſa* in Novella: *Non putat de mente hujus textus, quòd Monachus in cella ſua dimittens habitum, vel dum balneum intrat in occulto, vel jacens ſine habitu ligetur hac conſtitutione, videlicet quòd incidat excommunicationem, ſed tunc demum, quando exhibet ſe aſpectibus hominum ſine habitu ſuæ Religionis.*

Hoc etiam tenet Frater Petrus noſtri Ordinis in Directorio Juris in *ti. de Ornatu Ordinis* §. *item honeſtas.* Et in *ti. ne Cler. vel mo.* §. *Sed quid ſi Religioſis.* Et *in ti. de ſent. exc.* §. *25.* Hoc communiter tenent moderni Doctores in Univerſitatibus Italiæ, licèt verbum *temere*, non amplè declarent. Ideo dicendum ſecundùm Papiam, *temere*, id eſt:

id eſt: præſumptuosè, fatuè, ſtultè, ſine cauſa, ſine conſilio. Unde *temeritas* præſumptio, violentia, fatuitas. Et eſt temeritas cum inconſiderata dolorum perpeſſione gladiatoria periculorum ſuſceptio. Et hinc temerarius dicitur præſumptuoſus, audax, qui audet audenda & non audenda.

Ad id, quòd dicitis, quòd inſuetus eſt Canon apud vos, valde miror: quia in Univerſitatibus, ubi Canonica jura leguntur, ventilatur Capitulum: *Ut periculoſa. Ne Cleric. vel. Monachi Lib. VI.* Nec tamen abolitus eſt per antiquitatem dictus Canon, nec per contrariam conſuetudinem abrogatus: quin immò talis conſuetudo, quæ dicenda eſt potiùs corruptela, peccatum magis aggravat; quia tantò graviora ſunt peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam, ùt in *c. fi. extra. de Conſuet. & in C. quanto. c. t. & extr. de Simo. C. non ſatis &c. ſe & in C. non debet de conſang. & affinit. & in C. cùm haberet, de eo, qui dum in ma. quam pol. per adult. ad fin.*

Eſt ergo remedium, ùt communiter ſervant Religioſi de obſervantia per Italiam balneis indigentes ex conſilio Medicorum, quòd provideant ſibi de levibus & antiquis habitibus vel tuniculis cum cuculla, aut occultè intrent, ita quòd nudi a ſecularibus non videantur. Sed certè, ùt mihi relatum eſt per eos, qui interfuerunt, quod abominabilius & impudicitius eſt, & a Religioſis perſonis tanquam peſtiferum & pernitioſum venenum protinus fugiendum, quod etiam mulieres indiſtinctè, juvenes & profectæ nudæ cum viris nudis balnea, quæ dixiſtis,

ſtis, frequentiùs intrant. Cujus turpitudinis abuſum judicandum veſtris conſcientiis ſub Divino timore & ſalutis deſiderio relinquo.

Abbas autem abſolvere poterit ſive Prælatus, quia abſolutio a tali excommunicatione non eſt ſpecialiter Sedi Apoſtolicæ reſervata. Ergo Epiſcopi & Prælati Epiſcopalem jurisdictionem habentes ſuper ſuos ſubditos abſolvere poſſunt, ùt in *C. Imper. de ſent. excomm.*

De irregularitate autem majus dubium eſt per ea, quæ notantur in *C. cùm æterni* §. *ſciturus de ſen. & re judic. Lib. VI.* dum dicit: *damnabiliter ingeſſit ſe Divinis.* Unde dicerem, quod ſi ſcienter & appenſatè in contemptum Canonis poſt excommunicationem, talis irregularitas non niſi auctoritate Apoſtolica poterit aboleri, ùt in dicto c. *cùm æterni.* Cautela igitur eſt in tali caſu recurrere ad Reverendum Dominum Senenſem in Nova Civitate, qui nunc auctoritate fungitur Apoſtolica. Valete feliciter, & animadvertite diligenter, quòd ſi non vultis pati pro ſanctimonia & honeſtate veſtra, ut mulieres, quantumcunque velatæ & antiquæ, veſtrum clauſtrum ingrediantur, nedum Eccleſiam: quantò minùs ergo talibus Religioſis convenit balnea nudos cum nudis mulieribus introire? Ex Wienna 1455. die ultima menſis Februarii.

Veſter, ſi quid eſt,

Frater Joannes de Capiſtrano

manu propria me ſubſcripſi.

Animad-

Animadverſio in præcedentem Epiſtolam, ipſius, ùt videtur, Thomæ de Paden, Prioris Mellicenſis.

IN hac Epiſtola notandum. Johannes Andreæ, ſuper cujus dicta fundat ſe Pater Johannes de Capiſtrano, ſuper Canone: *ne periculoſa*, in Novella ſua Lectura dicit, quòd prædicta excommunicatio ligat Religioſos balnea intrantes ſine habitu in conſpectu ſecularium perſonarum: ſed ſi occultè intrent & ſtent, ita quòd a ſecularibus non videantur, non incidunt. Ubi idem Johannes in fine addit, quòd ſi Monachus in cella dimittat habitum, aut jaceat ſine habitu, non incidit, ſed ſolùm cum conſpectibus hominum ſe objicit ſine habitu. Ubi tantùm vult dicere, quòd intentio Canonis ſolùm ligat, dum depoſitio fit in conſpectu hominum. Sed verba Canonis non videntur ſonare ad illam intentionem, ſed ad illam, ne Monachi apoſtatent ab Ordine & vagentur hinc inde ùt ſeculares: Et hoc expreſsè continetur in initio Canonis, quia talis eſt *temeraria* depoſitio habitus, non autem illa, quæ fit ad utilitatem in balneo vel ad ſolatium parvum in horto, ubi non deponitur habitus temerariè nec dimittitur, nec abjicitur, ſed locatur ad locum aliquem, ut ſtatim reinduatur. Item ſequeretur contra Joannem Andreæ, quòd ſi quis volens apoſtatare ab Ordine, & adhuc exiſtens in Monaſterio occultè abjiceret habitum in cloacam cum ſpretione & contemptu, & ſic occultus ſine habitu maneret in Monaſterio per triduum, donec tempore opportuno clam exiret, ſequeretur [inquam], quòd in illo triduo talis non eſſet excommunicatus, eò quòd hoc non fecit in conſpectu hominum &c. Udal-

Udalrici de Weilhaim
Canonici Reg. S. Aug. in Dieſſen
Ad
Johannem de Weilhaim
Priorem Mellic.
EPISTOLA
De tribulationibus & procellis Monaſterii ſui ob ſanctioris diſciplinæ introductionem. (a)

Obedientiam filialem tam debitam quàm condignam cum orationibus in Chriſto utinam devotis.

PAter amantiſſime. Jam per multos annos nulla a me habuiſtis ſcripta. Sed nolite cogitare, quòd hoc omiſerim propter aliquam indignationem aut diſplicentiam, aut quòd oblitus ſim de beneficiis veſtris olim mihi a vobis impenſis, & de magna charitate mihi exhibita, aut quòd decreverit in me charitas erga Veſtram Paternitatem: aut quòd ductus ſim pœnitentia de ingreſſu meo Religionis. Nequaquam: ſed confiteor coram Deo, quòd ſi non intrâſſem Religionem, adhuc intrarem & refero vobis grates æternaliter, quòd me induxiſtis

(a) *Ex Cod. Mellic. H. 45.*

ſtis & informâſtis ad intrandum. Spero enim me per vos ſalvari. Nullum habeo amicum poſt patrem meum carnalem, qui mihi tanta bona contulit, quàm ſicut Paternitas Veſtra. Abſit a me, ut de illis ingratus exiſtam & ea oblivioni tradam. Sed propter multas rationabiles cauſas omiſi, ut vobis non ſcriberem.

Et primò quia hucusque quaſi per decem annos in tanta anxietate & tribulatione fui una cum fratribus meis de Underſtorff & maximè cum Decano noſtro Magiſtro Johanne, cui ſemper adhæſi, propter ſanctam obſervantiam, quòd etiam tæduit nos quàm pluries vivere. Tradidit enim nos Dominus culpis noſtris exigentibus in manus inimicorum noſtrorum, ut ij, qui antea expulſi fuerunt, cùm primò inciperetur obſervantia in Monaſterio noſtro, nolentes ad hanc dare conſenſum; dominarentur nobis. Et hucuſque fortiores nobis fuerunt. Qui etiam nos ſine miſericordia afflixerunt die ac nocte, ſperantes illo modo nos removere a Monaſterio. Sed confortati in Domino hæc omnia ſuſtinuimus per longa tempora propter obſervantiam, & hucuſque ſemper timebamus expulſionem. Sed pius & miſericors Dominus videns afflictionem noſtram & intentionem rectam eripuit nos ab inimicis noſtris & æmulis in tantum, ut omnia, quæ cogitabant mala erga nos & ſanctam obſervantiam, Dominus permiſſit ſuper eos. Et pro nunc non eſt mihi timor, quia certus ſum, quòd pro nunc habebimus progreſſum in ſancta obſervantia.

Igitur

Igitur Venerabilis Pater nolui hucusque vobis inſinuare anxietatem meam, nec alicui amicorum meorum, ne aliquem contriſtarem. Et forſitan Deo volente ita factum eſt: quia ſi vobis inſinuâſſem omnia, quæ hucuſque ſuſtinui in obſervantia in loco iſto, forſitan a vobis informatus fuiſſem, & ad alium locum me dediſſem, & ex illa mutatione multa mala & ſcandala veniſſent, quæ omnia fuiſſent in detrimentum animæ meæ. Et devotione quadam motus vovi, quòd propter nullam tribulationem mutare vellem locum, ſed omnia tolerare pro Chriſto (etiam mortem) ſicut etiam mihi factum eſt.

Pro obſervantia incarceratus binies fui. Decem diebus in tenebris ſedi. *Te Deum Laudamus* ibi cantavi. Per decem ſeptimanas a Monaſterio excluſus fui, ſed cum honore ſtatim reverſus. Bis coram Principe & Conſulibus ſteti & reſpondi pro obſervantia. Et tandem dedit nobis Dominus victoriam, ita ut quinque fratres inimici regularis vitæ & perſecutores noſtri miſſi & ſeparati ſint a loco iſto. Et hæc noviter facta ſunt.

Venerabilis Pater, multa haberem vobis ſcribere, ſed nuntius modò expectat nolens tardare, ut amplius ſcriberem. Sed in brevi Domino concedente vobis ſcribam omnia geſta noſtra. Dominus mirabilia operatur nobiſcum & in omnibus Monaſteriis circumquaque. Supplico vobis cordintimè, ut aliquid mihi ſcribatis. Commendo me orationibus

nibus veſtris. Scripta ſunt hæc raptim in Monaſterio Dieſſenſi in die S. Magni anno 1456.

Item hucusque nulli unquam audebam ſcribere.

Frater Ulricus de Weilhaim,

Profeſſus in Dieſſen.

Ad calcem hujus Epiſtolæ ſequentia ſua manu Joannes de Weilhaim noſter adnotavit: Idem poſtea de dato feria 6. poſt feſtum S. Andreæ anno 1458. miſit prolixum ſcriptum (a) de majoribus tribulationibus & vexationibus, quàm fuerint præcedentes, & de malitia adverſariorum. Item tertium ſcriptum non fuit allatum, ſed aliàs novi certitudinaliter, quòd Magiſter Johannes Schön, Zelator Religionis promotus eſt in Præpoſitum dicti Monaſterii Dieſſenſis.

(a) *Hoc nondum reperi in Bibliotheca Mellic.*

Cœnobitarum Mellicenſium EPISTOLA ENCYCLICA De obitu Ven. Nicolai de Mazen, Abbatis & Reformatoris ſui (a)

Univerſis & ſingulis venerabilibus in Chriſto Patribus, Dominis ac Fratribus, Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, Decanis, ac eorundem vicesgerentibus, & Conventibus eorum venerandis, Frater Leonardus electus, totusque Conventus Monaſterii Mellicenſis Ord. S. Ben. Patavienſis Diœceſis, humilem in Chriſto recommendationem, & nobis afflictis orbatisque condolere.

PAtres amabiles, & Fratres in Chriſto venerandi. Solicitat nos gemituum luctusque intolerabilis magnitudo, perſuadet gratitudinis integritas, admonet verus amor, ejus ſingulariter animam fidelibus, præſertim Religioſis, commendandam, per cujus vitæ decurſum ſacra Religio felicia ſuſcepit incrementa, cujus ope multos ſanctæ Eccleſiæ filios regularibus diſciplinis conſtat imbutos, cujus denique exemplo ac religioſa doctrina ad virtutum

(a) *Ex Cod. Tegernſeenſ.*

tutum ſtudia innumerabiles allecti promotique creduntur. Illorum, inquam, animabus ſingulariùs ſuccurrendum fore arbitramur, qui, dum in hac adhuc terra viverent, obſequioſo virtutum famulatu rei Eccleſiaſticæ vigilanti ſolicitaque curâ promovendæ inſudârunt indefeſsè.

Cum quanta verò laborum inſtantia ac ſedulitate Reverendus in Chriſto Pater, Dominus Nicolaus, noſter noſtrique Monaſterii Pater & Abbas quondam Divinis rebus, Monaſticæ diſciplinæ ac virtutum ſtudio tam in ſe quàm ad proximos operam dederit, multorum, qui hunc in corpore poſitum noverunt, teſtatur laudis preconium. Cùm itaque Pater miſericordiarum ac Dominus univerſæ terræ eundem Venerabilem in Chriſto Patrem noſtrum, quod quidem cum multa cordis anxietate ſcribimus, viam univerſæ carnis nuper infra ſacram Dominicæ incarnationis noctem ingredi juſſerit, Eccleſiæ ſacris devotè procuratum, idcirco univerſitati veſtræ ex laudabili, quæ inter ſacræ Religionis Monaſticæ perſonas in commendandis utrimque fratrum animabus noſcitur vigere conſuetudine humiliter & devotè duximus ſupplicandum, quatenùs ejusdem Venerabilis Patris, fidelis quondam animarum zelatoris, animam Divinæ pietati ac miſericordiæ in veſtris orationibus ſincero commendare velitis affectu, conſuetudinesque Monaſteriorum veſtrorum, in hujusmodi charitatis operibus hactenus obſervatas, illi fideliter impertiendo: nomen quoque ipſius pro annua ſtatuenda memoria, virtutis ipſius ac religionis noſtrique precatûs intuitu Mortilogiis ve-

ſtris annotantes. In quo præter ſpem æternæ retributionis etiam nobis ſolatium gratiamque facietis ſingularem.

Inſuper venerabiles Patres & Fratres in Chriſto chariſſimi annuam honorabilis viri Conradi Seüringer, genitoris ejusdem quondam Venerabilis Patris noſtri, ſub eisdem nocte & hora defuncti ſecumque ſepulti, ſimili apud Dominum veſtris charitatibus recommendamus affectu, ut, ſicut in vita ſua dilexerunt ſe, & in morte non ſunt ſeparati, ſic Divino conſpectui veſtris devotis orationibus ſuffragantibus pariter repræſentari mereantur per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Amen.

Interea animam cujusdam Fratris Egidii Hager, noſtræ Congregationis Diaconi profeſſi, & ante triennium defuncti, eadem devotione per vos petimus adjuvari, fidem de prædictis manus veſtræ ſubſcriptione nobis facientes.

Datum in præfato noſtro Monaſterio Mellicenſi in Feſto S. Scholaſticæ Virginis anno Domini MCCCCXVI.

Johan-

Johannis de Welming
Abbatis Mellicenſ.
EPISTOLÆ (a)

De reſtituenda univerſim in Ordine S. Benedicti Monaſtica diſciplina & procuranda rituum ac obſervantiarum conformitate.

I.

Ad Caſparum Abbatem Tegernſeenſem.

Supermelliflua dulcedinis ſuavitate abundanter indefeſſeque inter procelloſos hujus Mundi occurſus, ipſius, quem cuncta deſiderant, frui, cunctasque laborum fatigas optatum in finem cedere, nec non cum orationibus ſinceriſſimum in omnibus complacendi affectum.

REverende Pater, amicorum colendiſſime. Nuper receptis, & diligenter penſatis Paternitatis Veſtræ ſcriptis, doctrina ſalutari Religionisque noſtræ zelo & affectu refertis, clarè paſtoris boni emicuit pia, diſcreta, utilis ac neceſſaria mentis ſolicitudo cum devota precum ad par-

(a) *Ex Cod. Tegernſeenſ.*

vitatem meam inſtantia pro unionis modo obſervantiæ noſtræ Religionis, ejusdem inter nos conformitate, nec non perpetua ſtabilitate, animadvertens ſolicitè diſſimilitudinem obſervantiarum Ordinis noſtri, disgregationis & inſtabilitatis matrem, providensque humanæ conditionis fluxibilitatem, per quam faciliùs defluit bonum quàm conquiritur, potiſſimè ſi deſit tutela provida Rectorum cum vigilantia continua. Nil ſiquidem adeò ineſt menti noſtræ, quin inertiâ labi contingat, ſicuti prô pudor experientia oſtendit in noſtræ ſacræ Religionis collapſu, quæ pluribus in locis viduata paſtoribus, dilacerata ordinibus, facta videtur ſcandalum interitûs.

Hinc noverit Paternitas Veſtra percolenda, ſæpius inter plures Ordinis noſtri Patres de ſtabiliendis noſtris cerimonialibus ac obſervantiæ unione introducenda retroactis temporibus collationes varigenas habitas fuiſſe, certis quidem Patribus ad hæc anhelantibus, aliis ad alia ſe referentibus, ſed penè omnibus mihi id onus imponentibus, cùm utique plus aliis mens mea perplexa temporalium cauſarum retibus id efficere nequiverit. Conſiderata ſiquidem negotiorum magnitudine & propria in his inidoneitate ac inexperientia plus placuiſſet dudum habuiſſe mutuam Dominorum Patrum in aliquo loco ad invicem conventionem.

Inde juxta Paternitatis veſtræ deſiderium, petitionem & oblationem, habito cum certis Dominis & Patribus colloquio, placuit de his collationem ſufficientem haberi in Monaſterio noſtro per certos

Pa-

Patres, licet paucos, proximo menſe Februarii, ſi & in quantum Paternitas veſtra Reverenda aliquem vel aliquos e veſtris mittere decreverit. Alioquin ſi auræ aſperitate aut alio impedimento id a parte Paternitatis Veſtræ fieri nequiret, ſaltem ſine ulteriori dilatione Paternitas Veſtra dignaretur mittere ad Octavas Paſchæ, ubi ſufficiens, & quantum fieri poſſet, concluſiva deliberatio de ſingulis neceſſariis & utilibus fieri deberet Deo aſſiſtente ac dirigente, ſicut hæc latius in præſenti calamo commiſi ad ſinceriſſimum & affectu plenum Patrem meum & filium Paternitatis Veſtræ, Fratrem Conradum, quem affectuoſiùs præſumo commendatum unà mecum & meis Eidem Paternitati Veſtræ, mihi ſinceriùs præcolendæ, Domino Priori & omnibus filiis Veſtris, Patribus meis prædignis.

Datum in Monaſterio Mellicenſi die S. Galli Abbatis anno Domini MCCCCLIX.

Fr. Johannes Abbas Monaſterii Mellicenſis.

II.

Ad Eundem.

Reverentiam & orationes, & omne, quod decet, & poteſt cordis mei affectus.

REverende in Chriſto Pater, Domine & amice percolende. Abundè refrigeratus, directus ac conſolatus per Veſtræ Paternitatis Reverendæ Filios & Patres meos in Chriſti amore ſinceriſſimos, præſentium bajulos, gratias, quas poſſum,

Deo offerens pro veſtri & totius ſacri Conventus veſtri Religioſiſſimi zelo, converſatione ac incremento ejusdem in omni diſciplina & vita Monaſtica ac regulari, obnixiùs deprecor, magis ac magis in idipſum nos extendentes, viriliter perſeverare, ac confidenter ſtare, conari ac laborare pro Monaſticæ diſciplinæ Ordinis noſtri efficaci manutentione, unione ac conformatione, quemadmodum providus & zeloſus Pater meus, Dominus Prior (a) Veſtræ Paternitatis Reverendæ diligenter ad hoc egit & ſe occupat, utì id ore ad os & ſcriptis oſtendere, ac de cunctis copiosè eandem informare poterit. Quapropter eidem Patri mora non imputetur, quæ protelata eſt ob aliorum Patrum abſentiam & petitionem meam, ut ejus in Domino frui poſſemus dulci alloquio & præſentia, quem unà cum altero filio veſtro ſuperfluum puto commendare, cùm vita religioſa eos meritò commendet.

Cæterùm Patrum Præſtantiſſime, noverit Paternitas Veſtra, de pluribus quoad regularis obſervantiæ incrementum factam eſſe collationem, ſed concluſum adhuc abſolutè nihil, ſicut de his clarè conſtat ſæpe dicto Patri Priori. Omnia ſiquidem tempus habent. Veſtris tamen devotiſſimis orationibus ſpero ſuo in tempore rebus dari finem felicem, quem concedat Omnipotens omnibus nobis.

Datum in Monaſterio Mellicenſi die 26. Menſis Februarii anno Domini MCCCCLX.

Fr. Johannes Abbas Monaſterii Mellicenſ.

III.

(a) *Bernardus de Waging.*

III.
Ad Eundem.

Reverendo in Chriſto Patri, Domino Caſparo, Abbati Monaſterii in Tegernſee, Patri & amatori ſuo ſingulariſſimo, Agni Paſchalis veri gaudium perenne, atque cum debita reverentia orationes in Domino.

REverende, emerite ac in Chriſto colendiſſime Pater. Nuper receptis veſtræ amplectendæ Paternitatis ſcriptis, charitatis ac Religionis zelo eximiis adeò incaluit cor meum, quòd nihil plus liberet, quàm tanti Patris votis, piis & juſtis, quantocyùs effectualiter in omnibus, prout exilitas mea ſufficeret, cooperari. Id ſiquidem Deo gratius ac animarum ſaluti accommodum, & denique ſtatui noſtro neceſſarium ac debitum. Sed heu temporum varietate vel potiùs malitia in tantum adſunt mentis diſtractiones, ut vix tot timoribus & tortuoſis perplexitatibus ac varietatibus cor hominis ſufficiat.

Inde, Patrum Optime, inſtantibus ac plenæ fiduciæ precibus ad præſens ſatisfacere totaliter nequiens, eò quòd Synodo, ſi etiam haberi poterit, perſonaliter non interero: Nihilominus nacta aliquali occaſione operam dabo videre tanti Patris ac Patrum & fratrum in Chriſti viſceribus percolendorum deſiderabilem præſentiam: interim poſſetenus acturus, & utinam ad vota in his, quæ ad noſtræ Religionis ac obſervantiæ uniformitatem, conſerva-

tionem ac incrementum, Deo auxiliante opportuna videbuntur, & per veſtros aviſata ſunt, veſtrûm omnium devotiſſimis fotus orationibus, deſideriis & adminiculis!

Etiam, Reverende Pater, præſentium latorem, dilectum in Chriſto Fratrem Leonardum, qui ſatis honeſtè & religiosè nobiſcum converſatus eſt, Veſtræ committo Paternitati.

Datum in Monaſterio Mellicenſi Secundà poſt *Quaſi modò geniti* anno Domini 1460.

Fr. Johannes Abbas Monaſterii Mellicenſis. (a)

Caſpari Abbatis Tegernſeenſis EPISTOLA, *qua ad præcedentem reſpondet.*

Jeſum Crucifixum, in quo Paſcha gaudioſum, & in eo cum orationibus affectum plus quàm amoroſum.

REverende, Supercolende, Digniſſime ac amantiſſime Abba. Dum eſſem pridie propter quorundam Fratrum ab hac vita deceſſum confe-

(a) *alias tres ejusdem Epiſtolas vide paulò poſt.*

confectus nimio mœrore, mox Deo dirigente adfuit inopinatè Veſtræ Paternitatis Colendiſſimæ afferens omni charitate plenas & ornatiſſimas, mihi tunc diu deſideratas plurimumque gratas. Tantam exinde conſolationem recepi, ut omnis mœror, ſi non auffugit penitus, tamen non modicùm ſit mitigatus.

Placent profectò Paternitatis Veſtræ ſolicitudo, zelus ac diligentia multa in re noſtra tam honeſta quàm ſancta. O finis quando veniet? O ſi, quod tam ardenter deſidero, ut fiat, aliquando factum gaudenter videbo! O ſi, quod benè apparet initiatum, optato aliquando fine adimpletum videam! O quis ſcit, ſi tam diu in hujus vitæ miſeria durabo, ut aliquando valeam gaudenter oculis conſpicere carnis, pro quo tam crebrò & acriter pungit & ſolicitat ſtimulus mentis? Timeo vehementer, quòd mors vorax, dira nimis & rapax mihi tam diu non parcat. Tunc quoque ſpes omnis decidet, ignorans de meis ſucceſſoribus, quid fiet.

Hinc optarem unicè & deſiderarem, ne impedimentum pararet multitudo, aut ne diutiùs negotium hoc maneret in ſuſpenſo. Nos pauci, qui dudum ſimul convenimus, puta Monaſteriorum quinque Abbates & Conventus, rem ipſam pleniùs diſcuteremus, atque ut ſic ad finem tenderemus optatum. Non tamen per hoc veſtræ Colendiſſimæ Paternitatis intentionem, quæ juſta [eſt] & ſancta, aliquatenus reprehendo; ſed rem taliter concluſivè terminari videtur difficile valde, & mora prolixior diſpendium parit, eſtque non modicum nociva. En præſtò ſum hodie & omni tempore, prout etiam ſum antea pollici-

licitus, non perſonis parcere, non rebus. O læta mors & dies lætitiæ ab hac vita decedere priùs plantatis & benè regulatis, nec non firmiter roboratis omnibus & ſingulis, quæ ad rem noſtram accommoda & neceſſaria noſcuntur! Sufficiant nunc iſta de his. Nam Prior noſter reliqua ſupplebit.

Unum autem avidiſſimè ac deſideratiſſimè præſtolabor, ut Veſtræ amplectendæ Paternitatis venerabilis perſona, quemadmodum ejusdem ſcripta promittunt, ſe nobis in Monaſterio Tegernſee, dum id commodiùs poterit, viſibilem exhibeat pro ædificatione, gaudio & conſolatione ſingulari, nullo unquam tempore tradenda oblivioni. Tunc enim de rebus noſtris & aliis poſſemus pariter quietiùs & pleniùs conferre.

Nova noſtra in patria ſunt omnia mala: ideo de eis nil ſcribo. Deus nos adjuvet & donet vitam æternam amen.

13. die Maji anno Chriſti 1460.

Fr. Caſpar Abbas Monaſterii Tegernſeenſis.

Obſervatio in præmiſſam Epiſtolam.

NEquaquam vanè Sanctiſſimus Abbas auguratus fuit timuitve, ne ſibi feſtina mors tantam felicitatem, quantam in patrata Benedictinorum Monaſteriorum unione meritò reponebat, invideret. Siquidem ex Tegernſeenſium Cœnobitarum Epiſtola Encyclica,

cyclica, quam lectu digniſſimam ex Codice Mellicenſi, ſignato nunc Lit. H. num. 45. mox integram exhibebo, ſatis conſtat, Caſparum Aindorffer, Abbatem hactenus laudatum, anno illico inſequente diem ſupremum obiiſſe. En ipſam Encyclicam, cujus auctorem eſſe Bernardum de Wahing, Priorem Tegernſeenſem nullus dubitaverim.

Tegernſeenſium EPISTOLA ENCYCLICA De Obitu Domini Caſpari olim Abbatis in Tegernſee. (a)

Reverendo in Chriſto Patri ac Domino, Domino Johanni Abbati, nec non honorabilibus, Religioſisque Viris R. Priori, totique Conventui Monaſterii Mellicenſis fratribus ſibi in Chriſto dilectiſſimis, Fratres Prior & Conventus Monaſterii Tegernſee, heu oves ſine paſtore, in Jeſu omnium Salvatore poſt luctus & lamenta præſentis miſeriæ vera futuræ beatitudinis gaudia feliciter aſſequi ſempiterna.

REverende Pater, honorabileſque Religioſi Patres & Fratres. Cùm ſit verſa in luctum noſtra cythara, gaudium noſtrum & omne ſolatium

(a) *Ex Cod. Mellic. H. 45.*

latium ingenti mœrore ſit penitus abſumptum, nil ſcimus aut poſſumus aliud depromere, niſi lamentum cordiale, carmen perlugubre ac totius amaritudinis intolerabile væ. Revera nunc iſtis diebus, malis id noſtris exigentibus, ira Dei graviſſima deſæviit in nos, ac veluti torrens aquæ vehementer inundantis operuit nos. Siquidem receſſit a nobis paſtor optimus, dux noſter & bellator fortis interiit, capitis noſtri corona decidit, decor omnis noſter totaliter emarcuit, norma vitæ noſtræ & exemplar virtutum & morum occubuit, lucerna noſtra extincta eſt, & caligo tenebrarum irruit in nos. Hinc premunt, quin immò opprimunt nos totos vehementes anguſtia & mœror circumvallatos undique amaritudine ac repletos inæſtimabili dolore.

Sanè, quod gementes & flentes atque dolentes cumque luctu referimus graviſſimo, noſter quondam Ductor & Præceſſor digniſſimus, noſtri Monaſterii intus & extra Reſtaurator, quin verius, alter Fundator, nec non noſtræ ſacræ Religionis obſervantiæ Reparator, Inſtitutor, Augmentator & Conſervator, Reverendus Pater Dominus divæ memoriæ Caſpar, olim Abbas noſter & prænobilis vertex, qui dum in humanis vitam ageret, noſtri ſtatum Monaſterii annis triginta quatuor, menſibus ſex, laudabiliter & optimè gubernando ſic providè temporalia & ſagaciter adminiſtrabat, ut curam non minùs neceſſariam ſpiritualibus ſolerter ac devotè impenderet: ſic curis externis vigilanter intendebat, ut interna nequaquam negligeret: ſic in iſtis ſolicitè agebat, ut in illis minimè tepeſceret: ſic manu utra-

que utens pro dextera, ut, quamvis corpore & viribus imbecillis, infirmitatibus continuis, gravibus ac diverſis creberrimè ureretur, non tamen illis, ſcilicet temporalibus, miniſterium neceſſarium ſubtrahebat, nec iſtis, ut puta ſpiritualibus, ſolertia debita jugique vigilantia aliquatenus deerat.

Hic talis ac tantus Jeſu Chriſti imitator præcipuus, vitæ regularis zelator maximus, in conſiliis ſagax & providus, in agendis conſtans & ſtrenuus, ad Deum devotè fervidus, ad fratres religioſitate præclarus, omni quoque morum honeſtate perſpicuus, hominem non verens, Deum ſolum timens, in magnis & aſſiduis infirmitatibus plus gaudens quàm dolens, Deoque ſemper gratias agens, nunquam otio torpens, aſſiduè orans aut legens aut curæ domeſticæ aut fratrum utilitati proſpiciens, quotidie Deo Patri Filium in ſacrificio offerens, carnis commoda non quærens, eique vix neceſſaria indulgens, ſupra indictam Ordinis cenſuram & præter Regulæ rigorem ſeipſum diſtrictiùs affligens, in adhibendis ad conſilium fratribus ſemper eorum potiùs voluntatem quàm propriam perficiens, pacem ad ſubditos ac inter eos unitatem concordiæ velut unum ſummè neceſſarium, ſine quo cætera ſunt nihil, ſummopere providens, jugiter nutriens, conſervans & augens: hoc ſolum præ omnibus intendens, ut ipſi & ſinguli fratres eſſent in idipſum unum, invicem amantes, pacem ſectantes, alterutrùm obedientes, idem ſapientes, unum cor & animam in Deo habentes. Hæc & his ſimilia ſtudio, quo poterat, vir optimus iſte in ſe ſuisque ſubditis efficere ſedulò magnopere ſatagebat,

bat, ſeſe nihilominus bonorum omnibus exemplum vividum in cunctis præbebat.

Nam quidquid ad animæ ſalutem pertinebat, plus opere quàm ſermone implebat. Fuit namque lucerna, quæ non ſub modio curæ corporeæ, nec torporis aut deſidiæ latebat, ſed ſuper candelabrum ſanctæ Deoque dilectæ converſationis poſita cunctis lucebat. Eminebat quippe in ipſo exteriori habitu animi ejus interna pulchritudo. Erat enim in inceſſu venerabilis, benignitate affabilis, moribus immutabilis, humilibus placabilis, rebellibus inexorabilis. Veruntamen rigorem auſteritatis temperabat in eo manſuetudo humilitatis. Delinquentibus minabatur frontis auſteritas, ſed blandiebatur cordis ſerenitas. Erga benè agentes Petrus apparebat in vultu, erga delinquentes Paulus in Spiritu, & juxta Patris ſanctiſſimi Benedicti monitum in eo durum Magiſtri, pium Patris ſemper oſtendebat affectum.

Nempe in ſuis judiciis ſupremum judicem vehementer formidabat, cui ſe redditurum de cunctis rationem inevitabiliter cogitabat. Sed quid plura? Virtutum cultor, vitiorum ultor, fratrum amator, neminem palpans, peccata non diſſimulans, præeſſe dolens, prodeſſe gaudens, plùs amari a ſubditis quàm timeri appetens, miſericordiam judicio præponens, ſub onere Prælaturæ crebrò ſuſpirans & gemens, dignitatem cœleſtem plus quàm terreſtrem ambiens. Abſolvi namque ab officio ſæpiſſimè poſtulabat, & alteri cedere frequenter affectabat, nec petulanti, ùt aſſolet, in ipſo officio quocunque detinebatur affectu, ſed ſolo charitatis communisque utilitatis reſpectu.

Non

Non enim propria quærebat, ſed propriis communia anteponebat, ſeque ultrò laboribus cunctis ingerebat, majorem fructum de aliorum ſperans quiete, quàm ſi vacaret ſibi ipſe.

Erat autem in regiminis cura plurimùm pavidus, in judiciis providus, in imperiis moderatus, in increpatione diſcretus, ſuam propriam fragilitatem ſemper ſuſpectus. Erat quoque ſobrius, caſtus, pudicus, quin immò pudiciſſimus, ſed & in omnibus temperatus ac benè regulatus. Erat demum pro ſalvandis animabus ſolicitus, ac de reddenda pro eis ratione ſemper timens & anxius.

Hic itaque vir cœlicus & homo Angelicus poſt mira & grandia, quæ annis & menſibus, ut ſupra, in ſui regiminis cura operatus eſt, bona, poſtquam plurima & gravia, quæ annis totidem in ſuo corpore pertulit, mala, cùm ſe ſentiret ad exitum jam propinquare, recepto ſecum devotiùs viatico, corpore videlicet Dominico, nec non ſacro perunctus oleo XVII. die menſis Januarii, portas mortis horridas pertranſiens, ac luce vitæ præſentis valedicens, paulò poſt Solis occubitum nos orphanos, deſolatos relinquens Solem adiit, qui neſcit occaſum.

Verùm cùm vix aliquis inveniatur & rarus, etiam quantùmvis perfectus & juſtus, qui viam vitæ mortalis Mundique ſpurcitias impollutus tranſcurrere valeat, ut nil prorſus cœnulentum, quod horrendi exuſtionem purgatorii non vereatur, remaneat, maximè in eis, qui cura temporalium onerati in regimine animarum cæteris præſunt: eapropter ad veſtras devotiones ſpiritu anhelo currentes, cum devoto

precatu exoramus attentiùs, ut, ſiquid, quòd oculos lateat mortalium, Pater noſter prætactus hinc ſecum purgandum tulerit, eidem pietatis affectu apud juſtum indicem veſtro fideli dignemini interventu ſuccurrere.

Si verò nil dignum cruciatu, ſicut optamus, in eo remanſerit, apud eundem nihilominus miſericordem Dominum pro gratiis reddendis debita juxta mutuæ condictum fraternitatis officia cum additionibus quantociùs perſolvere velitis: nomen quoque ipſius, ut vobiſcum in memoria remaneat perpetua, veſtro mortuorum catalogo diligentiùs annotare, pro nobis omnibus ùt ſic deſolatis, orbatis, afflictis, tribulatis & nimiùm conturbatis apud Patrem miſericordiarum, conſolatorem mœrentium preces effundere, nobisque impetrare, quod propriis aſſequi meritis diffitemur.

Hoc autem potiſſimè ac devotiſſimè precamur, quatenus veſtrarum interventione orationum devotarum apud Dominum miſericordiarum talem nobis paſtorem & ducem obtineatis, cujus doctrinam imitari & vitam ſit noſtræ profeſſionis jam citiùs attingere finem. Sed o Abba Caſpar, paſtor bone, quis nobis dabit alterum te? Certè quia ſimilem tibi eſt impoſſibile inveniri, optamus, ut nobis talis divinitus detur, qui tua veſtigia a longe ſaltem imitetur: qui per te plantata ſuſtentet, rigata fœcundet, ædificata non diſſipet, reſtaurata conſervet, firmata ampliùs roboret: ſanata non aliquatenus infirmet, neque a tuis rectis ſemitis vel modicùm declinet. Tribuat hoc ipſum pius & miſericors Dominus

minus, qui cùm ſit potens, ſit etiam volens Amen.

En Patres & Fratres, quia amor ejus, de quo ſermo, ſed & dolor pro eodem nos verbis excedere fecit, quod quidem veſtra charitas velit benigniùs interpretari. Datum xx. die Menſis Januarii anno Chriſti 1461.

Ven. Bernardi de Wahing, Prioris Tegernſeenſis Epiſtola de ejusdem Abbatis Caſpari obitu & electione Conradi, hujus nominis V. Abbatis Tegernſeenſis (a) ſcripta ad Johannem de Weilhaim Mellicenſem.

In JEſu Chriſto cum orationibus devotis & recommendationibus ſolitis filialem ſinceriſſimum affectum.

REverende cordialiſſime Pater, nunc inter mortales unice & ſingulariſſime dilecte, immò ſuper omnes amantiſſime. Veſtræ Reverendæ Paternitatis pridie ad me ſcripta recepta mihi mœrenri & amarè dolenti non modicum attulerunt ſolamen. Quippe eo extincto, qui me ampliùs quàm ſeipſum diligebat, mihique ad vota ſingula parere, nec non in omnibus conſentire, & ſemper complacere ſtudebat, qui denique mihi, dum viveret, lux

Pp 2 erat,

(a) *Ex eod. Cod.*

erat, oculus & dux, quin immò pater, mater, ſoror & frater, paſtor quoque pius & rector, nec non benignus in omnibus auxiliator & optimus ſemper conſiliator: hic me nuper ſeminecem ſuperſtitem relinquens, ab hac luce migraturus, finem jam adeſſe præſentiens, ſingulis fratribus per ordinem cum amplexu & oſculo valefaciens expletis orationibus ſolitis, ſana ratione inter fratrum manus appodiatus, (a) circumſtantibus omnibus, & pariter orantibus, corde & animo in Deum ſuſpenſus, veluti ſuaviter obdormiens; beato & Chriſtianiſſimo fine quievit.

In cujus tranſitu, & ante & poſt, quantùm contriſtatus extiterim, afflictus & anxiatus, quantùmque viribus mentis & corporis extenuatus, novit ipſe, qui omnia ſcit. Quin etiam ipſe, prout ſentio, agnoſco, quamvis non plenè. Siquidem ex quàm pluribus ſatis evidenter conjicio, quòd eum, qui ut ſic dum humanitus viveret, mihi vita extiterat, nunc, o Deus miſerere, ſum citiùs ſecuturus in morte, nec poſt eum, qui alterum cor, & cujus anima cum mea erat eadem ſecundùm Deum, diutiùs ſubſiſtere valeo aut volo. Nulla unquam citò pertranſiens & umbratilis conſolatio animum ſic penitus mœrore abſumptum, ac ingenti dolore nimis depreſſum, poterit in priſtinum reſtaurare, quamvis, o Pater dulciſſime, conſolationes tuæ, tuis ſcriptis gratiſſimis miſericorditer mihi exhibitæ, aliquantulum meam affecerint mentem.

Con-

(a) *reclinatos.*

Conſolatur proinde non modicum, quòd virum hunc optimum, multarum utique & magnarum operatorem virtutum, quibus per omne tempus, dum viveret, inceſſabiliter inſudavit, quaſque tandem fine laudabili conſummavit, abiiſſe potiùs crediderim quàm obiiſſe. Sed unde & quo? Certè de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de mœrore ad gaudium, de miſeria tranſitoria ad gloriam ſempiternam. Quòd cum ita ſit, ùt piè ſpero & opto, veruntamen de ejus abſceſſu & abſentia affectus ſenſualis gemitum extorquet, lachrimas exprimit, atque crebriores excitat ſingultus. Rurſus ea, quæ modò divinitus mecum ſunt acta, mentem dejectam relevant & erigunt, ac plurimùm conſolantur: ſed & robur præſtabunt, & vires reſtituent qualeſcunque.

Ut autem veſtra Reverenda, ſemperque amanda Paternitas noſtri ſtatum ad præſens noſcat Monaſterii & fratrum, utque, prout decet congaudeat, & orationes efficaces pro bona continuatione effundat, Eidem ſummariè notifico, quòd, dum divæ memoriæ Reverendi Patris, olim Domini Caſparis Abbatis fuiſſet funus lachrimabile juxta morem traditum ſepulturæ, mox ego timoribus & curis maximis repletus Capitulum convocavi, meamque mentem & conſilium ſuper plurimis agendis, cavendis & prævidendis latiùs explanavi. Et quia vacante Abbatia jam ſingula vacabant officia, ego cum clavibus officium Prioratus reſignans hortabar ſupplicando inſtantiùs, ut regimen Monaſterii alicui & curam committerent, qui poſſet & nôſſet in agen-

dis nos omnes dirigere, & in caſibus & curis emergentibus cuique ſupervenienti reſpondere: volensque exire omnes acclamabant, & precibus multis exorabant, ut id onus uſque ad novi Abbatis inſtitutionem de novo aſſumerem, & ne meipſum quærendo partialem me redderem, ſed communi potiùs utilitati providerem.

Igitur piis annuens votis eorundem, coaſſumtis per me & ſociatis mihi quibusdam in auxilium fratribus, ne mora nobis diſpendium faceret, quamvis viribus deſtitutus competentibus, acquievi. Moxque die altera Capitulum convocans, pleniùs mentis conceptum coram omnibus expoſui. Gratia autem aſſiſtente Divina, meis votis in cunctis ſine reſiſtentia ſinguli parebant, me nihilominus, quem deſolatum nimiùm cernebant, ſuis piis ſolaminibus ſinceriter confortantes fidem præſtabant, quòd mihi adhærere, & in omnibus meis monitis & ſuaſionibus vellent plenariè conſentire. Ecce cum bona voluntate fraterna concordia, ubi idem in idipſum aderat ſapere & ſentire, quod & meritò Deum exorabilem nobis & placabilem effecit.

Accito itaque cum teſtibus Notario publico diem pro electione futuri Abbatis, conſentientibus univerſis aſſignando, feriam videlicet ſecundam, quæ erat in craſtino feſti S. Pauli converſionis, tanquam terminum peremptorium cum ſequentibus immediatè præfixi. Erat autem hæc dies octava poſt ſepulturam Domini Abbatis defuncti. Miſi quoque concitè ad Dominum loci Ordinarium, eundem ex nomine totius Conventus vocans ad intereſſendum

dum hujusmodi noſtræ electioni. Vocavi etiam Venerabiles Dominos Abbates Monaſteriorum Scheirn & Montis Andechs. Qui unà cum legatis Domini Ordinarii accelerantes in jam dicto feſto nobiſcum præſentes affuerunt. Cum quibus in craſtino ſervatis ſervandis juxta formam Decreti Baſilienſis Concilii, & per viam mixtam, in quam præ cæteris coram Notario & teſtibus capitulariter conſenſimus, ad electionem proceſſimus, Compromiſſarios ſtatuentes duos Abbates prædictos unà cum Venerabili Patre Domino Johanne Simonis, Decano Eccleſiæ Friſingenſis, aſſiſtentibus Venerabilibus viris, Domino Decretorum Doctore Stedler in Spiritualibus Vicario, nec non Domino Wilhelmo Tacz, jam dictæ Friſingenſis Eccleſiæ Canonicis.

Porrò ipſis Dominis Compromiſſariis jam dictis inter alia commiſſionem ſub jurejurando fecimus, ut votis ſingulorum ſingillatim & ſecretè perſcrutatis, eum in Abbatem eligerent, qui votorum pluralitatem ultra medietatem totius Conventus eſſet habiturus, nullum habendo reſpectum ad meritum vel Zelum. Expleto igitur ſcrutinio omnium vota exceptis duobus peregrinis in duas perſonas confluxerunt, quarum nulla juxta condictum ultra medietatem attigerat, ſed citra numerum medium pariter ſtabant. Quo experto una ex his duabus Deo inſpirante mox ſua vota in alterum tranſtulit, in quam etiam illa duo vota peregrina translata ſunt. Et ſic de novo omnes unanimi conſenſu & concordi voluntate in eandem perſonam conſenſi-

mus eamque Deus dudum elegerat, in noſtri Monaſterii Abbatem & paſtorem elegimus.

Ipſe eſt Venerabilis Pater, Dominus Conradus de Weilhaim, qui fuit noſtri Monaſterii Cellerarius & proviſor in temporalibus annis quàm plurimis, vir utique bonus & religioſus, induſtrioſus, providus & gnarus, zelum habens ad obſervantiam, & in temporalibus experientiam multam. Qui quidem mihi ſingulariter & intimè conjunctus ac inſuper conſentaneus in omnibus, talem ſe erga me exhibet, quòd extra & præter beneplacitum meum & velle, ut ita dicam, nec pedem velit movere. Deus-Homo ipſum confirmet, ac ſibi ad gloriam nos inſimul unanimes in cunctis conſervet! Pro quo tu Pater ſancte, Deum exora quotidie devotè.

Hic itaque Deum offendere timens ejusque voluntati contraire non debens nec valens, licèt cum plurima & importuna renitentia raptus, tractus & coactus, obedienter ſubiit onus. Pro quo Deo grates & laus.

Hæc ſunt, Pater Colendiſſime, quæ tuæ Venerandæ Paternitati volui ad præſens inſinuare, ut & tuis precibus ſanctis & meritis nobis apud eum, quem amas, quæ ſunt bona & neceſſaria, obtineas, ut quemadmodum cœpimus, proficiendo quotidie in melius finem tandem optatum & optimum feliciter aſſequamur amen. Valentini 1461.

Fr. Bernhardus, Prior in Tegernſee.

Nota

Nota Johannis de Weilhaim in præmiſſam Epiſtolam.

Ex præmiſſa epiſtola luce clariùs patet viri mittentis religioſitas, charitas, ſtyli ſcientiæque claritas atque profunda humilitas. Qui cùm alter erat, in quem vota concurrerant, nomen ſuum reticet, & in concurrentem ſua transfert vota & quod mirabile eſt, ad hominem comparatione ſui nullius momenti exiſtentem, ſe tantùm inclinat, prout tenor epiſtolæ declarat. O Deus piiſſime & miſericors, fac me talem, qualem me vir tantæ excellentiæ reputat amen.

EPISTOLA
Conradi Abbatis Tegernſeenſ. Ad Johannem de Weilhaim Mellicenſ.
De ſua electione in Abbatem.

In eo, qui eſt, ſingulariſſimæ charitatis affectum cum Orationibus, quæ mens ſic colligata & unita valet.

Deceſſus ab hoc ſeculo nequam & acceſſus ad eum, qui pro piiſſimis laboribus coronat laborantem usque ad veſperam viriliter in ſua

 vinea

vinea ſi gaudium præſtat, incuſſit tamen immenſum fletum & dejectionem in eo, quia redundavit in caput meum. Onus enim grave cecidit ſuper caput meum, onus mihi impoſſibile, onus exceſſivæ proportionis ad perſonam, vitam, ſcientiam &c. onus, inquam, quod ſecundùm B. Benedictum taliter gravatus ſemper meminiſſe debet, ſciens, quam difficilem rem ſuſcipit, animas præcipuè regere, multorum ſervire moribus, arguere, obſecrare, increpare &c. reddere rationem Deo de ſingulis animabus & judiciis, culpam ſibi incumbere, quidquid ipſe in ovibus utilitatis minus potuerit invenire, proferre nova & vetera, lucrari animas, caſtum in moribus, vitia odientem, non turbulentum, non anxium, ſervare in omnibus diſcretionem & potiſſimè ſanctam Regulam. O ubi hæc & alia ad illa neceſſaria ſunt? Ad hæc quis idoneus? Ille ſolus, cui gratia Divina ſuffragatur. Ego non talis ſi ſine Dei offenſa potuiſſem, fugiſſem, certâſſem, reſtitiſſem usque ad mortem. O utinam hæc vocatio miſeratione, & non ultione Dei facta ſit!

Terret valde illud: *Cui plus committitur, plus ab eo exigitur:* quantò ſtatus altior, tantò caſus proclivior: Alios regere, qui ſe hucusque neglexit! O pie Jeſu quid feciſti mihi ſic? Nonne facies tentato & deſtituto proventum? Facies quidem, ſi fecero meum. Talis ergo ſic minùs idoneus, impotens & dejectus quærat auxilium, ſolatia, directorem, te Deum meum præcipuè: te deinde, quem alloquor, te, qui & ego: aliàs colligati fraterna charitate ſumus, ex quo mihi plus teneris. Auxiliare ergo

ergo mihi, frater mi, conſolare mœſtum, erige dejectum, conforta puſillanimem. Sit demum affectus erga me & Monaſterium noſtrum, utì fuit tempore pii patris anteceſſoris. Sic curramus viam mandatorum Dei hìc, ut tandem epulemur Paſcha æternum Amen. Datum Dominica *Reminiſcere* per fratrem tuum Conradum, dictum Abbatem 1461.

Inſcriptio: Zelatori ſacræ Religionis
P. Johanni dicto de Weilhaim, ſuo Cordiali.

Johannis Abbatis Mellicenſis EPISTOLA IV. (a) Ad Conradum Abbatem Tegernſeenſem,

De negotio unionis & conformitatis in Regulari obſervantia Monaſteriorum Benedictinorum in Germania.

In Chriſto JEſu orationes, & ad beneplacita paratam cum affectu complacendi voluntatem.

REverende in Chriſto Pater. Patres & Domini Abbates noſtri in Auſtria aliàs circa feſta Pentecoſtes & ex poſt, ſcriptis Dominorum

(a) *Ex Cod. Tegernſ.*

norum Patrum & Abbatum Provinciæ Moguntienſis informati ſunt, quomodo de his, quæ per eos hucuſque deliberata ſunt pro ſancto unionis obſervantiarum Ordinis noſtri, informationem vivæ vocis oraculo per veſtræ Paternitatis Reverendæ Dominum Priorem citiùs habituri eſſent: ſicut hoc idem nuper circa feſtum Viſitationis Beatæ Virginis exilibus, ùt potui, precibus a Paternitate Veſtra Reverenda optavi. Inde veroſimiliter demeritis meis fruſtratus hucusque, non deſino mei & citatorum Dominorum & Patrum Abbatum Ordinis noſtri loco adhuc obnixiùs pulſare & petere confidentia ſingulari, quatenus Paternitas Veſtra Reverenda ob tam grande bonum Ordinis dignetur annuere quantocyùs deſcenſum ad Patres Provinciæ Salisburgenſis, præfato viro Patri Priori Veſtro ad hauriendum ex eo informationem in prætactis, ac ex poſt deliberare, & ſi videbitur, aliquos ex nobis mittere ad cæteros Patres & Dominos Abbates Provinciæ Moguntinenſis pro conſummatione operis tam felicis, offerens meos & me pro poſſe. Ocyùs ex Monaſterio Mellicenſi, 3. Fer. ante Michaëlis anno Domini 1464.

Con-

Conradi Abbatis Tegernſeenſis EPISTOLA Ad Melchiorem (a) Abb. S. Udalrici Auguſtenſ.

in eadem cauſa. (b)

Reverendo in Chriſto Patri, Domino Melchiori, Monaſterii S. Udalrici in Auguſta Abbati, nec non Capituli Provincialis digno Præſidenti, Amatori ſuo ſingulari, in JEſu Chriſto cum orationibus ſinceriſſimum affectum, nec non animum conſtantem ad incœpta jam dudum pro Ordinis exaltatione firmiter proſequendum Deo ad laudem animarumque æternam ſalutem.

REverende Pater, & uti confido, amator ſingularis. Venerunt pridie, id eſt, in feſto Omnium Sanctorum Reverendi Patris Domini Abbatis Mellicenſis ad me litteræ, quarum data ſonat de feria III. ante Michaëlis, in effectu continentes, qualiter ipſe idem jam dictus Reverendus Pater & alii quidam cum eodem Abbates Provinciæ Salzburgenſis ſcriptis Dominorum Abbatum Provinciæ Mogun-

(a) *Cognomento* de Stamheim, *anno 1435. Monachum Mellicenſem.* (b) *Ex eod. Cod.*

Moguntinenſis dudum informati extiterint ſuper unione obſervantiarum Ordinis noſtri ejusque reformationis, de qua jam dicti Domini Abbates apud ſe diu & multùm tractaverunt ſecum, in ejusmodi unionem &c. noſtræ Salzburgenſis Provinciæ Patres Ordinis convenire cupientes &c. Et quoniam Dominus Abbas Mellicenſis prætactus de commiſſione, a quibusdam veſtræ Provinciæ Patribus Priori meo tunc factâ, dudum certa ex me & iterata ſcripta recepit, quarum occaſione cum aliis, prout ſcribit, perpaucis colloquium habuit, quos ſibi conſentaneos & gratos invenit, fuiſſentque iidem parati ad Patres veſtræ Provinciæ juxta intentionem ipſorum in finem, qui quæritur, ex ſuis tunc mittere duos vel tres. Sed quia nec diem nec locum aſſignatum receperunt, idcirco eorundem piis votis hucusque reſpondere ad placitum & parere neglexerunt. Denique mei Prioris antedicti præſentiam, quam optabant & ſperabant, obtinere hactenus minimè potuerunt: quem etiam ego ad veſtræ Paternitatis aliorumque preces & beneplacitum ad eosdem mittere etſi volui, non valui cauſis & impedimentis legitimè retardatus.

Hinc etiam Patres prædicti, ignorantes, quid agerent, ſeipſos ſuſpenderunt, certiora ſibi nuntiari poſtulantes. Sed & ego jam diu a Paternitate Veſtra cum deſiderio informari exſpecto, qualiter erga veſtros agatur in negotio, & quid Patres Bursfeldenſes in ipſorum privato diffinierint Capitulo, utrumne unionem ſanctam cum cæteris velint ſubire, ac inſuper quid veſtra Paternitas cum ſuis Collegis, dum

nuper

nuper vice altera congregati fuiſſent, in re ipſa pariter decreverit fieri &c. Hæc etenim veſtra Paternitas mihi ſuo tempore inſinuare promiſit: quod quidem opportunè ut fiat, etiam atque etiam exopto. Quibus agnitis eadem Domino Mellicenſi reſponſurus aliquid certius valeam renuntiare.

Dignetur itaque veſtra Paternitas mihi reſcribere, & ſiqua poterit, ſano cum conſilio ſolamina præſtare, ut ſaltem poſt feſta Paſchalia Patrum fieri conventio poſſit. Nec forſitan locus aptior dari poterit quàm Auguſta, cùm a nobis nimiùm diſtet civitas Nürenberga. Ego pro ſancta unione & Ordinis totius neceſſaria reformatione, quod mea intereſt, negligere nec debeo nec volo. Puto etiam hucusque meam bonam voluntatem ſatis cum effectu oſtendiſſe.

Scribit Dominus Mellicenſis, quòd ex noſtris pauciſſimi ſint, qui velint, nec tamen alii multi hos paucos impedire poſſint. Huic addo ego, quòd ex his pauciſſimis, qui velint, ſint forſitan jam nulli, qui poſſint. Nam ad præſens in partibus Auſtriæ per omnia malè [eſt] & deterius quàm unquam. Rediit unus de fratribus meis, dudum ad vindemias miſſus, ex cujus relatione, ſi fides in Deum non eſſet, humanitus ſequi deſperatio poſſet: qui pluribus vicibus in itinere manus violentas, Deo eum tenente, evadere potuit difficulter. Clerus præcipuè deprimitur, exactionatur, profligatur & exoſus habetur a cunctis. Monaſteria devaſtantur, ſpoliantur, deſolantur, nec eſt, qui eripiat, aut piè condoleat miſerendo.

Noſtrum quoque Monaſterium in Auſtria hoc anno

anno damnificatur in mille florenis & aliquantulum ſupra. Deo gratias! Sed heu nondum finis. Præterea quidam Patres Religioſi cum ſuis Conventibus totalem a ſuis ædibus & Monaſteriis quotidie cum gemitu expulſionem exſpectant. Ecce hi quomodo ad ſanctam unionem ſe dare poterunt nunc vel deinceps, niſi forſitan pius Deus novum benedictionis & benignitatis annum ſuis famulis dignetur propitius elargiri. Quod ut faciat, oremus pariter quotidie devoti. Ipſe veſtram Paternitatem feliciter conſervet per tempora multa amen.

Datum ex Tegernſee die octava menſis Novembris anno 1464.

Frater Conradus Abbas
Monaſterii Tegernſee.

Ejus-

Ejusdem Conradi EPISTOLA Ad Joannem Abbatem Mellicenſem. (a)

De eadem re.

Reverendo in Chriſto Patri, Domino Johanni, Abbati Monaſterii Mellicenſis, amatori ſuo & amico ſingulari, JEſum Patris unicum Virginis partum, mentis jubilum, in quo ſeipſum cum affectu & orationibus devotis.

REverende Pater, & utì confido, amator ſingularis. Dudum veſtra Paternitas mihi ſcripſit ſupplicando pro Priore meo, quatenus eundem circa feſtum Mariæ Magdalenæ, veſtræ Paternitati & aliis quibusdam Reverendis Dominis Abbatibus in civitate Khrembſa præſentem facerem ob cauſas &c. Sed quoniam id fieri tunc temporis non potuit, & ex poſt varigenis infauſtisque occurſibus, rebus in diverſa mutatis, major eundem mittendi dilatio intervenit, tandem fratribus duobus vindemiarum tempore ad Auſtriam euntibus ipſum Priorem cum eisdem miſiſſem, ſi pro tunc de actis & conclu-

(a) *Ex eod. Cod.*

ſis Patrum quorundam Provinciæ Maguntinæ citiùs informatus fuiſſem. Nam Dominus Abbas S. Udalrici mihi vice altera tunc ſcripſerat, qualiter ipſe cum aliis Patribus, ſibi adhærentibus eſſent conventuri ad ſimul tractandum & conſiliandum de mediis congruis & modo ſe cæteris uniendi, mihique per eos conſiliata & ut ſic diffinita quantocyus inſinuare promiſit. Quod quia facere neglexit, me animo hærentem diutiùs in ſuſpenſo reliquit. Unde & Priorem meum retinui, quouſque certiùs agnoſcerem, quid facere Patres jam dicti decreviſſent.

Cùm verò veſtræ Paternitatis ſcripta aliàs circa feſtum S. Michaëlis miſſa, nuper in feſto Omnium Sanctorum ad me veniſſent, in quibus iterum Veſtra Paternitas Priorem meum ad ſe mittendum precabatur: quod quia tunc fieri non poterat, & tempus jam aptum tranſierat, mox eundem ad Auguſtam transmiſi, ut ibidem apud Dominum Abbatem S. Udalrici de ejusdem & aliorum ſibi conjunctorum intentione ſe pleniùs informaret, & quod melius mihi foret agendum, conſequenter edoceret. Qui etiam redeundo ſecum attulit varia ſcripta, ex quibus inſtructus de futuris agendis majori, quàm antea, ſum dubio conſtrictus. Transmitto autem veſtræ Paternitati ſcripta hæc ipſa, quibus ſe ipſam informare, mihique iis perpenſis ſanius conſulere valebit. Siquidem non magnæ efficaciæ, immò neque multum utile video, Priorem meum vel ſolum vel cum alio ex me vel nomine aliorum ad intentionem Domini Abbatis prætacti ad Auguſtam ac deinceps Nürnbergam transmittere, cum nos ipſi in noſtra Provincia,

vel

vel ſaltem aliqui ex nobis ſimul hucusque convenire & efficaciter colloqui, mutuasque intentiones & conſilia, prout utique optatum & expediens fuiſſet, ad invicem conferre nequivimus. Et forſitan ex noſtris nimis ſunt pauci, qui ſanctam hujusmodi velint unionem amplecti. Quare cum Patribus Provinciæ Moguntinæ ad finem, quem intendunt, in negotio tam arduo utiliter & cum effectu tractare, utrum nobis conſultum & multum utile, Veſtræ Paternitatis ſaniori judicio hìc & in aliis me pleniſſimè ſubmitto.

Ego quidem Ordinis intuitu & pro bono communi ejusdem, obque rogatum quorundam Venerabilium Patrum in negotio hoc ſancto collaborando hactenus, quod potui, etiam cum mei detrimento fideliter ac ſolicitius effeci. Inſuper ſiqua per me reſtarent in futurum fructuosè facienda, paratum me redderem, non parcerem perſonis nec rebus. Quin immò ſi res ipſa expoſceret pro Ordinis exaltatione, perfectaque & uniformi ac ſtabili ejusdem reformatione, meipſum impenderem & offerrem ad laudem Dei Omnipotentis, qui nos pariter in idipſum ſalvet feliciter & conſervet amen.

Datum in die S. Nicolai anno Chriſti 1464.

Fr. Conradus Abbas Monaſterii Tegernſee.

Melchioris Abbatis
Sanct-Udalricani
Ad
Johannem Abbatem
Mellicenſ.
EPISTOLA (a)
in eadem cauſa.

Venerabili in Chriſto Patri, Domino Johanni Abbati Mellicenſi, in Chriſto Jeſu ad ſacram Religionem devotum affectum, atque ipſius ſalubre incrementum [&] *ſincerum effectum pro ſalute.*

VEnarabilis Pater. Transmiſit ad me Reverendus Pater, Dominus Abbas Tegernſeenſis religioſum Patrem Bernardum, Priorem ſuum cum ſcriptis, inſinuando, Patres nonnullos, potiores tamen, Provinciæ Salzburgenſis anhelare ad unionem ſive uniformitatem obſervantiæ Regularis cum Patribus Provinciæ Moguntinæ, qui etiam expoſuit affectum Veſtræ Paternitatis & cæterorum Patrum, licèt paucorum Provinciæ Salzburgenſis ad dictam unionem Patrum Provinciæ Moguntinæ, ſimul etiam ſtudioſiſs inquirens de his, quæ

(a) *eod. Cod.*

quæ interim Patres Provinciæ prætactæ de hujusmodi uniformitate tractârint. Cui expoſui ea, quæ mihi conſtabant, prout idem Pater Prior Veſtræ Paternitati latiùs enarrare ſtudebit, unum præſertim ſibi pandens, quòd videlicet Patres Provinciæ Moguntinæ ſtatuerint iterum pro eo negotio tractando ſimul convenire ad Nürnbergam ad proximam Dominicam *Jubilate* poſt Paſcha. Unde motus laboravi ſerioſiùs & inſtiti, quantum potui, apud præfatum Patrem Dominum Tegernſeenſem, ut ad me mittat ad Auguſtam adhuc ante Dominicam Palmarum antedictum Priorem ſuum Bernardum, ut mecum ad eandem convocationem eat ad Nürnbergam: qui etiam aliàs pluries mecum fuit in Congregationibus, ubi de hujusmodi uniformitate tractatum fuit.

Propter quod etiam valde optarem Paternitatem Veſtram unacum aliis Patribus, ſaltem aliquibus, Provinciæ Salzburgenſis aliquem nobilem & rationabilem Patrem vel Fratrem de Provincia Salzburg. transmitti ad Monaſterium Tegernſee, qui unacum Priore præfato veniret ad me ad terminum prædictum, Dominicam vid. Palmarum, ubi ambo mecum expectarent adventum cæterorum Patrum Provinciæ noſtræ, præcipuè de obſervantia Mellicenſi, qui antequam ad præfatam Convocationem veniant ad Nürnbergam, ſtatuerent priùs convenire in Auguſta ad colloquendum antea ac conferendum de his, quæ in Nürnberga tractanda erunt, ubi expediens apparet fore etiam præfatos Patres Veſtræ Provinciæ.

 Itaque

Itaque ſi ſic expedire viſum fuerit Paternitati Veſtræ, poterit facere, quod optimè noverit faciendum. Ego ſi quid facerere poſſem pro ſancta religione noſtra, paratus eſſem neque corpori neque rebus parcere ad laudem Dei Omnipotentis, qui eſt benedictus in ſecula, cui me & mihi commiſſos commendet, oro, pro nunc in tribulationibus conſtitutos, qui teſte B. Martino, nunquam ſic prope eſt hominibus, ſicut in periculis conſtitutis.

Datum in Auguſta in die S. Catharinæ V. & M. Anno 1464.

Frater Melchior Abbas ad S. Udalricum Auguſtæ.

Conra-

Conradi Abbatis Tegernſeenſis EPISTOLA (a) Ad Melchiorem Abbatem Sanct-Udalricanum.

Reverendo in Chriſto Patri & Domino Melchiori, Abbati Monaſterii SS. Udalrici & Afræ Auguſtæ, amatori ſuo ſingulari, in JEſu Chriſto orationes cum ſincero affectu, nec non complacendi voluntatem cum effectu, pro poſſe ſcilicet, & firmiter proſequi dudum pro ſancta unione ſalubriter incepta usque in finem.

REverende Pater, amatorque ſingularis. Nuper ante tempus Adventus, ad Paternitatem Veſtram miſi Priorem meum ob cauſas, prout conſtat. Qui rediens Veſtræ Paternitatis intentionem litteris Ejusdem ad me miſſis, ſcilicet & verbis propriis ſufficienter expoſuit. Grata erant omnia. Sic fieri optabam, quemadmodum narrata eadem ſonabant & ſcripta. Unde mox hac & alia occaſione fratrem Cellerarium meum miſi ad Auſtriam, cum quo Domino Abbati Mellicenſi Veſtræ Paternitatis litteras transmiſi: Eum quoque meis ſcriptis unacum Prioris prætacti pleniſſimè, prout potui, de ſingulis informavi.

(a) *Ex Cod. Cod.*

Verùm cùm frater prætactus veniſſet in Strenberg, a fide dignis aviſatus, progredi ulteriùs nec valuit nec debuit. Subſtitit itaque in Achleüttn repauſans, [&] laico cuidam noſtro familiari Monaſterio, & in partibus Auſtriæ undique benè noto negotia circa Imperialem Majeſtatem & alios ejusdem patriæ potentes peragenda commiſit. Cui ſimiliter litteras prætactas & ſcripta ad Dominum Mellicenſem deferenda commendavit. Quibus ut ſic præſentatis jam dictus Dominus Mellicenſis pro dando reſponſo tunc deliberaturum ſe dixit & reſponſa daturum per nuntium eundem, quem juxta pollicitationem ſibi factam ſperabat rediturum ad ſe. Quia verò certis infortuniis obſtantibus nuntius expeditis negotiis in reditu Monaſterio Mellicenſi applicare non potuit, & ſic frater prædictus jam in craſtino Feſti S. Scholaſticæ ad nos reverſus, nullum reſponſum ſecum reportavit. Hoc autem refert, quia non malè nec pejus, ſed peſſimè res agitur in partibus prædictis, & non alicui de loco ad locum tranſitus patet ſecurus. Nam & nuntius prædictùs evadere non potuit: quin bina vice captivatus & tortus pœnas non immeritas luere fuit coactus.

Hæc Veſtræ Paternitati ad præſens ſignificare curavi, ut, quantum ad negotium unionis & ſanctæ reformationis eadem Veſtra Paternitas juxta ſapientiam deſuper ſibi datam & gratiam ſatagat, ut nihilominus, quod intenditur, proveniat Deo ad laudem & toti Ordini ad majorem profectum. Nam quamvis ex parte Patrum noſtræ Provinciæ nunc

rebus

rebus ſe taliter habentibus, ut vobiſcum juxta placitum concurrant, poſſibilitas non adſit, venient forſitan aliquando tempora feliciora, quando ex impoſſibili facile, immò neceſſarium fiet.

Ego hucusque quod potui facere, non neglexi, & ignoro, quid amplius reſtet faciendum per me. Unde de cætero me abſolvens Veſtræ Paternitati, quia potens eſt, ipſum ſanctum negotium ſinceriſſimè recommendo, ſimul & me ipſum in Chriſto devoté, qui nos pariter ſalvet & conſervet feliciter amen.

Sumus propter noſtros Principes in magna tribulatione. Forſitan Veſtræ Paternitati de eorum diſcordia conſtat, quia publica. Unde de hoc ſcribere utile non eſt. Orationes a Veſtra Paternitate & a veſtris devotis pro nobis fieri obnixè precamur. Datum Julianæ Virg. anno Chriſti 1465.

Fr. Conradus Abbas Monaſterii in Tegernſee.

Johannis Abbatis Mellicenſis EPISTOLA V.

Ad Conradum Abb. Tegernſ.(a)

In eodem negotio.

Reverendo in Chriſto Patri Domino Conrado, Monaſterii in Tegernſee Abbati emerito, Patri & amico ſuo præcipuo, in Chriſto JEſu ad S. Religionem ſalubre incrementum, & in eodem ſe cum affectu & orationibus devotis.

REverende Pater, amicorum præcipue. Suſcepi Paternitatis Veſtræ, mihi ſinceriùs percolendæ, ſcripta aperientis cauſas in iis omiſſionis miſſionis Domini Prioris veſtri, utì optârunt certi Domini Patres Abbates Ordinis ad Auſtriam, ac Domini Abbatis S. Udalrici & aliorum ſibi conjunctorum intentionem, deſiderium & mutuam conventionem, eligensque in his hærere parvitatis meæ judicio, paratus inſuper pro Ordinis exaltatione & uniformi ac ſtabili reformatione nec parcere perſonis ſive rebus, immò tanquam verus paſtor & animarum ſolicitus rector ſemetipſum impendere.

Pro quibus altiſſimo referens gratias, ac zelo Ordinis noſtri ſancto congaudens, effectualiter, prout ſcirem

(a) *Ex eod. Cod.*

ſcirem & poſſem volenti animo concurrerem tam ſancto operi una cum aliis Dominis & Patribus Abbatibus Provinciæ noſtræ, ſi ipſa tempora & patriæ negotia unà cum certis circumſtantiis infauſtis ad opus tam ſanctum & arduum non tardarent. Equidem ſicuti etiam Paternitas Veſtra Reverenda ſentit, absque mutuis Dominorum Patrum Abbatum Provinciæ noſtræ, vel ſaltem illorum, qui in obſervantia regulari utcunque nobiſcum concurrunt, aggregatione, collocutione, tractatu & concordia nihil uniformitatis concluſivè fieri poterit cum Reverendis Dominis & Patribus Provinciarum aliarum, & potiſſimè Moguntinenſis, propter nimiam ad invicem differentiam in rubricis, cerimoniis & pluribus aliis, etiam certis Regulæ impertinentibus, ſed plus obſervantiam onerantibus, ùt apparet. Nec facile debemus transgredi terminos Patrum noſtrorum, quia nova aliquando ea facilitate deſeruntur, qua & acceptantur.

Unde Patrum Percolende, conandum videtur, ne leviter moveamur a noſtris introductis, quæ longæva & matura deliberatione acta, continuata & originata ſunt a Patribus doctis, peritis ac religioſis, profeſſis in locis, ubi a tempore Sanctiſſimi Benedicti, Legislatoris noſtri creditur viguiſſe regularis obſervantia. Nihilominus omnimodis expediens videtur, ut certi Domini Patres Provinciæ noſtræ ſaltem circa Feſta Paſchalia ad interloquendum ſe in loco apto convenirent. Ideo dabitur opera poſſibilis, quatenus circa eadem tempora Dominus Pater & Abbas in Cella Mariæ cum

aliis

aliis ſibi adjunctis iter ad Paternitatem Veſtram Reverendam in Tegernſee arripiant, in aſcenſu declinantes ad Monaſteria Ordinis noſtri viciniora, ibidem exploraturi mentes Dominorum Patrum eorundem, offerentesque, ſi unà cum eis certos mittere placeat.

Inſuper ſi viſum fuerit, nacta opportunitate circa Dominum Metropolitanum Provinciæ noſtræ aut ſuos, attentabitur promoveri negotium pro poſſe. Apparet ſiquidem opportunum fore, ſi quo modo Patres Ordinis Provinciæ noſtræ, vel ſaltem aliqui ſe mutuò intelligerent. Ex poſt efficaciùs in negotio unionis agi poſſet, quia fortè certæ obſervantiæ noſtræ etiam in aliis Provinciis nobiſcum ex poſt concurrerent, ac ſic efficaciùs finis præintentus obtineretur. Quapropter unacum Paternitate Veſtra Reverenda apparet, interim ſuſpendendam miſſionem eſſe circa Palmarum ad Auguſtam, ſicut etiam Reverendo Domino Patri Abbati S. Udalrici ibidem in præſenti ſcribo juxta tenorem copiæ hìc incluſæ, obnixiùs petens, quantocyùs unacum ſcriptis ſuis mittere ad Auguſtam dignetur.

Demum Patrum amantiſſime, Veſtræ Paternitati Reverendæ & Veſtrorum devotionibus ſimus interim nos in tribulationibus poſiti recommiſſi, ut Domino Deo nobis aſſiſtente, qui propè eſt tribulatis, in omnibus ſic agamus & procedamus, ſicuti ſuæ beneplacitum fuerit voluntati, & neceſſarium ac utile noſtræ ſaluti amen.

Datum in Monaſterio Mellicenſi Dominica poſt Converſionis S. Pauli Apoſtoli anno 1465.

Fr. Johannes Abb. Mon. Mellic.

Ejusdem

Ejusdem EPISTOLA VI.

Ad Melchiorem Abbatem S. Udalrici Auguſt.

Cujus in priori ſit mentio.

Reverendo in Chriſto Domino Melchior (a), Monaſterii SS. Udalrici & Afræ in Auguſta Abbati emerito, Patri ſuo ſincerius percolendo, in Domino JEſu orationes devotas, atque in religionis noſtræ zelo incrementum & unionem proficuam.

PAter Reverende. Receptis ſcriptis Paternitatis Veſtræ Reverendæ de data S. Catharinæ, & cæteris copiis ac litteris Reverendi Domini Abbatis in Tegernſee atque Prioris ſui intellexi, Reverendam Paternitatem Veſtram & Dominorum Patrum Abbatum noſtri Ordinis Provinciæ Moguntinæ conatus & commendabilem ac multigenam ſolicitudinem pro inductione uniformitatis obſervantiæ regularis. Et quia bonum quantò communius, tantò præſtantius, ideo placeret concurrere cum Paternitate Veſtra Reverenda ad hoc ipſum Dominum Prio-

(a) *ita Cod. Tegernſ.*

Priorem in Tegernſee, ac aliquem expertum Provinciæ noſtræ circa Dominicam Palmarum in Auguſta. Quod & ego judicarem opportunum valde & neceſſarium propter variam & multiplicem diſſidentiam cerimoniarum & rubricarum in obſervantia noſtra, in tantum, quia vix pauca reperiuntur Monaſteria in præfatis uniformia. Inſuper introducta per Dominos Patres de Bursfeldia in multis valde a nobis differunt, propter quæ non ſine notabili labore & experientia multiplici conandum eſt Dominis Abbatibus ac Patribus Ordinis, ut talia aſſumant, concludant & approbent ſolerter, ne in inductione ad unionem aliquem contingat rationabiliter gravari, ſed reſpectus habeatur generaliter & conſideratio ad perſonas, tempora & loca, ut nemo terreatur, aut juſtè ſubterfugium petat.

Inde videretur conandum, quantum poſſibile foret, ad ſequendum ipſam Regulam noſtram & practicam ejusdem derivatam immediatiùs a Monaſteriis Legislatoris noſtri, diſcretam ſatis, & ad profectum accommodam, ne ſi a principio nova & varia conſtituerentur, minùs voluntarios reſipiſcere faciant. Equidem conſiderata nunc temporis fragilitate humana, diſcretione præcipua opus eſt talia ordinare, quæ veriſimiliter continuari poterunt. Unde cuncta cerimonialia obſervantiæ noſtræ indifferentia moderari poſſent, ne nimia corporis fatiga in talibus ſpiritum extinguat. De his utinam daretur, ſicut veriſimiliter expediret, latiùs os ad os conferre!

Interim

Interim tamen, quantum patriæ noſtræ negotia, dura & minùs proſpera admittent, habebitur opera poſſibilis circa Dominum Metropolitanum Provinciæ noſtræ, atque Dominos Patres Ordinis dictæ Provinciæ, ſi quo modo aliqui ex Patribus Ordinis, ſaltem circa Feſtum Paſchæ venire poſſent ad Tegernſee, aut ad locum alium aptum, & conſequenter, ſi opus fuerit, ad Paternitatem Veſtram Reverendam ad interloquendum ſe de præfatis. Siquidem Patribus Provinciæ noſtræ ſatis dubium eſt aliquid concludere de mittendis communiter, eò quòd non plenè conſtat de modis & mediis aliisque per Paternitatem Veſtram Reverendam & cæteros Reverendos Dominos & Patres Provinciæ Moguntinæ.

Dei miſericordia dirigat utrimque Dominos Patres, ut ſic procedant in re tam neceſſaria & ſancta, quatenus Dei honor, animarum ſalus, & Ordinis noſtri exaltatio votivè & feliciter proveniant. Demum Patrum Colendiſſime, ſimus invicem commendati, ſicut confido. Datum in Monaſterio Mellicenſi Dominica poſt Converſionis S. Pauli Apoſtoli anno Domini 1465.

Fr. Johannes Abbas Monaſterii Mellicenſis.

Mel-

Melchioris Abbatis S. Udalrici Auguſt.

EPISTOLA.

Ad

Conradum Abb. Tegernſ. (a)

Reverendo in Chriſto Patri ac Domino, Domino Conrado Abbati Monaſterii Tegernſee, ſuo amatori & amico præcipuo, JEſum Chriſtum, in quo omne bonum ſuum, cum orationibus affectum ſincerum, & ad omne beneplacitum animum paratum.

REverende Pater, amator & amice ſingularis. Celebravimus proximè in Bamberga juxta morem & Ordinis ſtatuta Capitulum Provinciale cum ſolemnitatibus & ritibus ſolitis, ubi fructum fecimus majorem, quàm in retroactis Capitulis multis. Interfuit eidem Pater Bernardus Veſter, qui Paternitati veſtræ multa conſolatoria narrabit. Nam tractatibus & actibus ſingulis, ſicut unus noſtrûm, interfuit, quæ ibi ſunt geſta, prout vidit & audivit, latiùs poterit & plenius voce viva enarrare, quàm ego ea calamo valeam in charta enarrare.

Veſtræ

(a) *Ex Cod. Tegernſ.*

Veſtræ Paternitatis zelum bonum, quem oſtendit, & deſiderium ſanctum, quod ad unionem & Ordinis veram reformationem habet, Patres plurimùm commendant, & laus Veſtræ Paternitatis & fama exinde major accreſcit. Immò Pater ſuaviſſime, fidem maximè bonam & famam permagnam apud Patres noſtræ Provinciæ obtinuiſti. Unde mihi maximum eſt gaudium, quòd præfatum Bernhardum ad noſtrum miſiſti Capitulum. Idcirco & hortor & moneo cum omni charitate in ſincera veràque confidentia, ut veſtra Paternitas perſeveret, atque pro bono communi totius Ordinis & reformatione ejuſdem nobis cooperetur. Quod quidem efficaciùs fieri non poterit, niſi conformes in obſervantiis efficiamur, & ſanctam unionem, pro qua jam diu laboravimus, reformati inter nos faciamus, prout etiam Patres trium obſervantiarum (a) jam finaliter conſenſerunt, & in votis concordes fuerunt. Deus omnipotens nos dirigat, & noſtris cordibus inſpiret, atque perficere concedat, quæ ſuæ ſunt placita voluntati, & noſtræ proficiant ſaluti amen.

Veſtra Paternitas cum Monaſterio Tegernſee a Conſulatu Civitatis Nürnbergenſis eſt magnificè honorata cum ſpeciali *propina*, Patri Bernhardo, tanquam Priori ſeorſim ſoli, ſingulariter oblata, quod etiam mihi & cæteris ſolatium fuit & gaudium ſingulare. Benè valeat Paternitas Veſtra, & conſtans permaneat. Nam

(a) ni fallor, Mellicenſis, Caſtellenſis, & Bursfeld.

finem, quem diu quæſivimus, Deo donante tandem in brevi aſſequemur ipſi ad laudem & gloriam, qui bonorum & omnium largitor & auctor. Datum anno 1467.

Fr. Melchior Abbas Monaſterii.
SS. Udalrici & Afræ in Auguſta.

Abbatum Provinciæ Moguntinæ EPISTOLA (a)

Ad eundem Conradum Abb. Tegernſ.

De actitatis in ſuo Capitulo Provinciali.

Reverendo in Chriſto Patri ac Domino, Domino Conrado Abbati in Tegernſee, Patri & Domino ſibi in Chriſto ſemper ſinceriter præamando, in JEſu omnium vero Salvatore, veram & æternam nobiſcum optamus conſequi ſalutem, affectum inſuper, quem amor ſanctus ferventiorem efficit, offerimus cum pace devota.

REverende & Religioſiſſime Pater. Quòd Ordinis & ſanctæ unionis intuitu vice tunc tertia Veſtra digna Paternitas Virum, Religionis

(a) *Ex eod. Cod.*

nis zelum habentem, beneque meritum ac nobis perchariſſimum, Fratrem Bernhardum nobis fecit præſentem, unacum cæteris Patribus univerſis optimè commendatum gratumque recepimus & tenemus.

Penſavimus altè & penſamus Veſtræ Paternitatis ſanctum propoſitum & animum, quem geritis ad obſervantiam ſanctam. Hinc non modicùm lætificati ſumus, & plurimùm ædificati. Fratrem prætactum præter morem & contra Capituli ſtatutum ad intereſſendum noſtris tractatibus & Capitularibus actibus ſponte admiſimus, ei veluti cuique ex noſtris locum aſſignantes eidem. Et quoniam, uti libet Veſtræ Paternitati ſcribere: multa nec tempus nec facultas indulget, præſumimus de fratre prædicto, quòd referenda ſuo tempore non negligat latiùs referre, portantes interea ex ſuperabundanti, & manentes cordibus ſinceris Veſtræ Paternitati, ut ſuum fervorem ſanctum continuando retineat, & interim ex narratis per fratrem Bernhardum conſolationem recipiat, permaneatque conſtans & firma. Nam negotium ſanctum fini, qui quæritur, ad noſtram ſanctam, veram piamque intentionem jam magis magisque approximat: quamquam Sathan cum ſuis, qui ejusmodi nunquam abeſt ſuis machinationibus, nunc iterum ſe palam ingerendo tranſitum ulteriorem præpediat: ſed Deo auctore eò major nobis profectus inde accreſcit, quò illo contra nos acriùs ſæviente in perſeverando conſtantiores fuerimus reperti. Non ſinunt occupationes graviores, quibus nunc premimur, calamum extendere ad ampliora.

 Domi-

Dominis Præſidentibus in Capitulo publicè eſt facta commiſſio de ſcribendo Veſtræ Paternitati & cæteris de Provincia Salzburgenſi Patribus & Dominis prædignis. His & præſens bajulus fidelis noſtram inſufficientiam ſupplebit. Deus autem Omnipotens nos unum facere dignetur, atque uniat in ſe, & ſecum feliciter faciat in æternum vivere & regnare.

Valeat Paternitas Veſtra Reverenda in ævum in JEſu cum omnibus veris obedientibus filiis. Datum ex Monaſterio Montis Monachorum anno Domini 1467. feria V. poſt *Jubilate.*

Fr. Eberhardus Abbas Montis Monachorum.
Fr. Sebaldus Abbas S. Ægidii.
Fr. Martinus Abbas in Münſter Schvvarzach.

VEN.

VEN. PATRIS
JOHANNIS
DE WEILHAIM
PRIORIS MELLICENSIS
VITA,

A duobus Benedictinis Tegernſeenſibus coævis conſcripta.

Ex MS. Cod. Monaſterii Tegernſ.

INCIPIT VITA VEN. PATRIS JOHANNIS DE WEILHAIM.

In Chriſti nomine amen!

ANno Domini MCCCCIII. ex patre Udalrico, Slitpacher cognomento, ac ejus conjuge Dorothea, de Murnau oriunda, in feſto Sancti Udalrici Epiſcopi Diœceſis Auguſtenſis, in civitate Schongau, naſcitur eorum primogenitus, quem Johannem vocaverunt, qui ab eis in puerili ætate ſcholaribus traditus eſt diſciplinis.

Anno Domini MCCCCXIII, defunctis utrisque parentibus infra octo dies ſub Adventu Domini, ſequenti anno translatus eſt ad civitatem Weilhaim ad maternos amicos, ibidem educatus: unde ſæpe dictus eſt *de Weilhaim*, quanquam frequentiùs juxta cognomen paternum *Slitpacher* vocaretur.

Anno verò Domini 1421. ad Ulmam veniens, annis duobus, non tamen integris, illic in ſcholis

moratus eſt. Reverſusque ad Weilhaim ſub anno Domini 1424. poſt feſta Paſchalia deſcendit ad ſtudium almæ Univerſitatis Wiennenſis, [&] ibidem ad annum uſque undecimum incompletum demoratus eſt. Quibus ſub annis quantum profecerit, quidque egerit, causâ omittimus brevitatis.

Deinde ſub anno Domini 1434. acceſſit Monaſterium Mellicenſe, aliquot Fratres ejusdem ſub ſalario annuo taxato eruditurus. Qui ſæpius ſecum retractans, ad qualem ſtatum ſe vellet convertere, tandem propoſuit ad vitam clauſtralem ſe donare. Hinc ſubſequenti anno 1435. in Vigilia Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ aſſumpſit tonſuratus habitum probationis ſive Novitiorum. Qui anno ſequenti, videlicet 1436. die 19. Aprilis votum emiſit Profeſſionis ſecundùm Regulam B. Benedicti.

Poſt paucos lapſos annos ad ſuggeſtionem Fratris Conradi de Geiſenfeld, Magiſtri Artium, Dominus Abbas Chriſtannus, tertius in reformatione præfati Monaſterii Mellicenſis, injunxit ipſi Fratri Johanni, ut *Expoſitionem Regulæ S. Benedicti* compilaret. Qui obedientia obſtrictus, licèt invitus, aſſumens laborem, & continuans, usque ad Capitulum XLV. vel circiter, ſenſit opus nimis grave fore ſibi, vires & ſcientiam ſuam excedere. Ideo humiliter petiit a tanto onere ſupportari. Et exauditus fuit abſolutus.

Rurſum antedictus Frater Conradus, poſtea in noſtro Monaſterio S. Quirini Martyris in Tegernſee ex cauſis incorporatus, non ceſſans inſtigavit Dominum Chriſtannum Abbatem, ut iterum ipſi Johanni injungeret, quatenus talem laborem ſuſciperet. Quo

 facto

facto tunc ex voto ſuæ profeſſionis adſtrictus obedientiâ, pro exſecutione Operis aſſumpſit pro themate Abrahæ à Domino Gen. XVII. dictum, & ab Apoſtolo ad Rom. c. 4. allegatum, ſcilicet: *Patrem multarum gentium conſtitui te.* In cujus laborioſo proceſſu, extenſo quàm plurimùm, gravatus, a labore Conventuali, Divini videlicet cultus, nullam habuit, nec habere deſideravit exemptionem, quia laborem ſuum latere voluit, nec quisquam præter Dominum Abbatem & prætactum fratrem Conradum rem agnovit. Cui ipſe frater Johannes, dum perfecit ex integro, eundem ad emendandum ſeu approbandum exhibuit. Et ita usque ad Capitulum Regulæ S. Benedicti LII. pervenit.

Nam ſub anno Domini 1441. cum duobus collegis ſibi adjunctis ad Monaſterium SS. Udalrici & Afræ in Auguſtam causâ reformationis transmiſſus fuit cum triſtitia & lachrimis tempore Quadrageſimali. Dehinc æſtivo tempore ſupervenit dictus frater Conradus, quodam alio fratre aſſociato ſibi. Primi autem duo fratres adjuncti fratri Johanni ante hiemem ad Mellicum redierunt.

Deinde ſub anno Domini 1442. ad inſtantiam Illuſtris Principis Domini Alberti Ducis Bavariæ, & epiſtolis pluribus repetitam, duo fratres Conradus & Johannes vix inducti, profecti ſunt ad Monaſterium Beatiſſimæ Virginis Mariæ, *Ettal* nuncupatum, a Sereniſſimo Principe & Domino, Domino Ludovico, Divæ memoriæ Romanorum Imperatore ac Bavariæ Duce ex mirabili viſione ſibi in Italia oſtenſa fundatum & conſtructum. Ad quod Mona-

ſterium in Vigilia ſive Profeſto Dominicæ Aſcenſionis applicuerunt; ubi permanentes ultra quadraginta hebdomadas, ſæpe dictus frater Johannes advertens prolixitatem Operis, cœpit aliud *brevius* colligere multa omittendo, & pauca adjungendo, atque ad prænominatum Capitulum LII. Regulæ procedendo.

Anno autem Domini 1443. ad Monaſterium ſuæ profeſſionis in Quadrageſima reverſus idem Opus ſive *Gloſſam Regulæ* ibi ad finem perduxit. Ne tamen prima Expoſitio ex toto incompleta foret, eandem ſtylo curſorio & brevi perfecit. Succeſſivè verò valde multa conſcripſit Opuſcula, aliorum exarando, & quædam compilando, prout inferiùs aliqua exprimentur.

Poſt hæc ſub anno Domini 1451. aſſociatur Reverendis Patribus, Dominis Abbatibus Martino, Monaſterii B. Mariæ V. ad Scotos Wiennæ, necnon Laurentio Cellæ Mariæ, poſtea ad Gottwicum translato, Magiſtris Artium, vice Domini Reverendi Patris ſui Abbatis Stephani, etiam Artium Magiſtri excellentis, necnon Baccalarii Sacræ Theologiæ, ad viſitandum Monaſteria Apoſtolica auctoritate Provinciæ Salzburgenſis Ordinis Beatiſſimi Patris Benedicti ſexus utriusque. O quantos timores, labores, fatigas & pericula itinerum cum prædictis duobus Abbatibus toleraverit, quis queat enarrare? Neque opus eſt commemorare.

Denique ſparſim & diverſis temporibus fuit directus ad quatuor Monaſteria, in quibus officium geſſit Prioratus, quæ clauſtra ſunt Cella Mariæ, Formbach, Gottwicum & Eberſperg. Tandem ex Eberſperg

ſperg accedente conſenſu Domini Abbatis ipſius ad inſtantiam & petitionem Reverendi Patris & Domini, Domini Sixti Epiſcopi Friſingenſis per medium ejus Vicarii, utriusque Juris Doctoris, altera vice perrexit ad Monaſterium Ettal quatuor menſibus ibidem exiſtendo. Deinde ad cœnobium S. Sebaſtiani in Eberſperg; prout Dominus Prælatus ſcripto manus ſuæ deſideravit; revertitur. In quibus quinque cœnobiis quis hæſitet non ſine labore ipſum habitâſſe?

Sed in Monaſterio Mellicenſi ter fuit Prior Clauſtralis, pluries Subprior, bis quoque Vicarius Generalis, donec duo electi Abbates auctoritate Sedis Apoſtolicæ, cui dictum Monaſterium immediatè ſubjectum eſt, confirmarentur. Haud dubiè in dictis Obedientiis, & aliis nobis ignotis non pauca gravamina ſuſtinuit. Nunc tangamus Opuſcula, quæ compilavit proſaicè & metricè, licèt non ſemper ſervato ordine temporis.

Inprimis *Excerptum* ſatis utile fecit *ſuper Quarto Libro Sententiarum ex Lectura egregii Sacræ Paginæ Doctoris Magiſtri Nicolai de Dinckelſpühel*, quam idem in Mellico compoſuit. Quod Excerptum fuit ignorante fratre Johanne cum multa admiratione in Studio Wiennenſi ad pennas ſcribentium pronuntiatum.

Compoſuit & tertium breve Opuſculum ſuper Regulâ S. Benedicti præmiſſo themate: *hoc fac & vives*, quod *Memoriale Viaticum Regulæ* attitulavit, & in multis repetitur locis, quod occaſione Schiſmatis inter ſacrum Baſilienſe Concilium, cui adhære-

bat, & Dominum Papam Eugenium pro ſuo itinere ad cautelam compoſuit.

Collegit & *Gloſſam textualem ſuper Novo Teſtamento*, interlineares Gloſſulas inſerendo.

Conſimile Opus fecit ſuper Libro Pſalmorum, nec non Expoſitionem titulorum, qui ſolent Pſalmis præferri: & illud *Claviger Pſalterii* nuncupatur, quia per titulos materia Pſalmorum quaſi per *clavem* oſtium domorum aperitur.

Etiam parvum Opuſculum de continentia cujuslibet Pſalmi, quoad ejus materiam, breviter perſtrinxit, ùt ſibi tunc videbatur, & hoc *Materiale* (a) *Pſalmorum* vocitatur.

Item grande Opus ſuper Biblia collegit cum magno labore de continentia cujuslibet Capituli, quoad ſenſum litteralem, & ipſum *Extractiones Bibliæ* attitulavit, & in noſtro Monaſterio Tegernſee de ſua manu retinetur: & præter ſuam intentionem fuit nomen ejus notificatum, & conſcriptum de bona littera ad ſuum Monaſterium Mellicenſe tranſmiſſum fuit.

Confecit aliud ſimile compendioſius ſub themate: *Quæcunque ſcripta ſunt* &c. quod *Summarium de continentia Bibliæ* attitulatur.

Dictavit Opus Metricum ſuper Biblia ſub themate: *Colligite fragmenta*, quod *Fragmentum Bibliæ* nominavit, ubi pro quolibet Capitulo unum Verſum dictavit ſecundum ordinem litterarum Alphabeti usque ad *V*. incluſivè, ſic tamen, quòd loco litteræ *K*, a qua paucæ dictiones inchoantur, *J* conſona ponatur. Dantur & ſigna, per quæ *quota* Capitu-

(a) *f.* Memoriale.

pitulorum noſcitur ſingulorum non cum gravi labore.

Confecit rurſus aliud breve, quod *Gemma Bibliæ* dicitur, ſervato ordine litterarum alphabeti interpolatim, in quo unum metrum perſtringit materias quandoque duorum, aliquando trium Capitulorum.

Dictavit etiam metricè notabile *Opus ſuper Quatuor Libros Sententiarum*, ubi mira compendioſitate cujuslibet diſtinctionis quaſi tota materia comprehenditur.

Aliud breve dictavit pro qualibet diſtinctione, unum tantùm verſum fabricando ſecundùm ordinem litterarum Alphabeti juxta formam omnino in Fragmento Bibliæ obſervatum.

Compoſuit etiam *Memoriale metricum ſuper Regula beati Benedicti* pro quolibet Capitulo unum metrum juxta ordinem alphabeti litterarum, ſicut in Fragmento Bibliæ obſervavit.

Confecit & alterum *brevius* ſecundùm modum in Gemma Bibliæ tentum.

Confabricavit quoque *Memorialia metrica de vita S. P. Benedicti* ſecundùm tenorem Libri II. Dialogorum B. Gregorii Papæ, unum *latius*, ſecundum *brevius*, & tertium *breviſſimum*.

Item *Speculum Humanæ Salvationis*, a quodam rhythmicè cum figuris aptis compilatum, pro quolibet capitulo originaliter exemplaris octo verſus dictat, & id *Compendium humanæ ſalutis* appellavit.

Compilavit *Tractatum brevem de felicitate Beatorum.*

Tracta-

Tractatum de aſcenſionibus cordis.

Expoſitionem Officii Capitularis.

Gloſſam ſuper Myſticam Theologiam S. Dionyſii ex Commentis Domini Linconienſis & Vercellenſis collectum.

Excerpſit etiam *Conſolatorium Viatoris ex Summa Galenſi*, aliàs Collectionum, valde bona: nec non aliqua *exempla brevia de vita SS. PP. antiquorum.*

Plures quoque fecit *Collationes* ad Conventum Mellicenſem ex obedientia *de cunctis feſtis* ſibi injuncta.

Et Quæſtionem determinavit, *an Monachis Ordinis B. Benedicti ſanis & fortibus ſit eſus carnium conceſſus per Conſtitutionem Domini Benedicti Papæ duodecimi*, & clariùs oſtendit, quòd non ſit eis indultus, ſed partim reſtrictus.

Excerpſit *Tractatulos ex Libris Venerabilis Richardi de S. Victore de SS. Trinitate & Contemplatione Majori, ſervato ordine competenti:* etiam de eisdem *libris ſex*, ſcilicet *de Trinitate, & Quinque de Contemplatione Majori:* nec non & de *Minori*, quæ aliàs *de Patriarchis* vocatur, *breves ſententias* ſive auctoritates excerpſit.

Quanta dictamina, alia proſaicé, & præcipuè metricè fecerit, ignoramus, neque ipſum ſcire arbitramur, quamvis de nonnullis nomen ignoretur.

Plures etiam libros magnorum auctorum exemplariter ſcripſit, de quorum numero eſt Expoſitio notabilis Domini Cardinalis ſuper Regula S. Benedicti, Johannis de Turrecremata appellatum.

Dictus

Dictus etiam frater pro quodam conſanguineo ſuo, Canonico Regulari Ord. S. Auguſtini collegit *Brevem Gloſſam textualem ſuper Regula ejusdem S. Auguſtini.*

Item *Aviſamentum Prælatorum.*

Item *Formulam Metricam Vitæ Chriſtianæ.*

Item *Tractatulum metricum de Quantitate Syllabarum cum Commento*, & *de Figuris Generalibus ex Doctrinali* tractus.

Item *Tractatulum de præparatione ad Miſſam*, in Cella Mariæ collectum.

Item *tres Tractatulos de Charitate*, *Humilitate & Hoſpitalitate.*

Item *multas Reſponſiones ad dubia* ſibi propoſita.

Item *Tractatulum reprehenſivum cujusdam ſcripti a Cartuſiano contra Regulam S. Franciſci & Fratres Minores* facti.

Item egregias & ſufficientes fecit *Reſponſiones ad plurimas Quæſtiones* varias & difficiles.

Item fecit *Excerpta ſuper novem Libros Reductorii Moralis Magiſtri Petri Berchorii de Pictavia.*

Denique pro cultu Dei ſcripſit Miſſalia tria, Gradualia, Nocturnalia & Diurnalia pro ſuo & uſu aliorum.

Hæc pauca nos Fratres N. & N. in noſtro Monaſterio Tegernſee pro memoria viri conſignavimus & noſtrorum ſucceſſorum. Nam ad Cœnobium noſtrum affectum habuit ſingularem, prout rebus effectualiter & multiformiter oſtendit, a quo etiam faſſus eſt multa percepiſſe beneficia charitatis, quæ nolumus causâ humilitatis commemorare. Extra Viſita-

ſitationem generalem Monaſteriorum Provinciæ Salzburgenſis Ordinis noſtri, tribus vicibus nos ex charitate viſitavit cum noſtra non minima congratulatione & gaudio: ubi etiam, veluti humanum extat, ad certos habuit notitiam & affectionem plùs familiarem.

Inſuper Venerandi Patres & Prælati noſtri fuerunt ipſi valdè favoroſi, ſcilicet Dominus Abbas Caſpar Aindorffer, felicis recordationis, noſtri loci Reformator, vir prudens & Zelator vitæ Regularis. Similiter Dominus Conradus, de Weilhaim oriundus, diligens Monaſticæ obſervantiæ conſervator & manutentor. Quamplurima prætermiſimus & omittimus, ne adulari cenſeamur.

Obiit autem dictus vir Johannes Slitpacher tempore Domini (a) Martini Papæ V. anno Domini 1418. auctoritate ejus Profeſſus reformati Monaſterii, ſub anno Domini 1482. vigeſima quinta Octobris. Cujus anima in ſancta pace requiescat. Amen.

(a) *Ita apographum mecum communicatum.*

APPEN-

APPENDIX,
In qua nonnulla, quæ Vitam Johannis de Weilhaimampliùs illuſtrant exhibentur.

I.
Petri de Schaumberg, Cardinalis & Epiſcopi Auguſtani EPISTOLA (a) ad Chriſtannum Abbatem Mellic.

Quem rogat, ut de ſuis quoſdam Fratres mittat, qui regularem diſciplinam in Monaſterio SS. Udalrici & Afræ ſuo exemplo ſuſtentent.

Venerabili in Chriſto Patri ac Domino Chriſtanno, Abbati Monaſterii Mellicenſis, Patavienſis Diœceſis, amico noſtro in Chriſto ſincerè dilecto, ſincerum affectum in ſingulis complacendi cum deſiderio omnis boni.

VEnerabilis & Religioſe Pater, in Chriſto Jeſu nobis dilectiſſime amice. Ad aures veſtras non ſine ingenti jubilo cordis & claritate ſpi-

(a) *Ex Cod. Mellic. G. 2.*

rituali deducimus per præſentes, vepres & zizanias, quæ prô dolor in ſato agri Dominici, Monaſterio ſcilicet SS. Udalrici & Affræ, civitatis noſtræ Auguſtenſis, nobis pleno jure ſubjecto, procurante ſatore malorum operum pluribus retroactis temporibus pullulârunt, per gratiam Spiritus Septiformis, cooperantibus nobis ad id quibusdam notabilibus Prælatis veſtri Ordinis, quos ad ipſum laudabiliùs perficiendum vocavimus, aliquantulùm excidimus, & in culturam redegimus, ùt ſperamus, Deo gratam.

Cùm autem in præfato Monaſterio paucitas ſit Suppoſitorum & fratrum Religioſorum, ſaltem Monaſticæ diſciplinæ & regularis obſervantiæ expertorum: & ne propter penuriam agricolarum Deo placentium, ſcientiumque malas ſegetes a bonis evellere, contingat prædictas zizanias periculoſiùs pullulare, & fundamentum poſitum demoliri: ideo ad vos tanquam ad hortulanum prædignum ſacræ plantationis hortuli Patris veſtri Benedicti beati recurrimus, cum exauditionis fiducia vobis obnixiùs ſupplicantes, quatenus ſine temporis morula velitis aliquos de veſtris fratribus, quos noveritis ad dirigendam & irrigandam iſtam novellam plantationem & ſurculos non ex integro virides, habiles & idoneos, & in Monaſtica diſciplina & ſacra reformatione moribus & ſcientia exercitatos, ad præfatum noſtrum Monaſterium deſtinare feſtinetis, ut ſupra fundamentum ſolidè poſitum poſſint ædificia ſpiritualium virtutum ſolidiùs ædificari, in perpetuas æternitates permanſura. In quo exhibebitis pro-

pria

pria vobis dictante conſcientia obſequium Deo gratiſſimum, & nobis charitatem & benivolentiam noſtris mentibus pro condigna retributione, ſiquando poterimus, conglutinabiliter imprimendam.

Datum ex civitate noſtra Auguſtenſi in craſtino Epiphaniæ anno MCCCCXLI.

II.

Johannis Abb. Monaſterii SS. Udalrici & Afræ EPISTOLA (a)

Qua vita transmiſſorum ſibi Fratrum Mellicenſium commendatur.

Univerſis & ſingulis Venerabilibus in Chriſto Patribus, Abbatibus Prioribus, Conventibus Ord. S. Ben. præſentes inſpecturis, ſinceram fraternamque in Domino Charitatem.

VObis & cuilibet veſtrûm harum tenore refulgeat, quòd dilecti nobis in Chriſto Fratres Conradus de Geyſenfeld, & Johannes Slitpacher Presbyteri, & Johannes de Ulmæ Subdiaconus, ſinguli ſuorum officiorum executionem haben-

(a) *indidem.*

EPITAPHIUM

Ven. FF. Henrici & Johannis Mellic. O. S. Ben. hujus Monaſterii SS. Udalrici & Afræ Reformatorum.

SAnguis, conditio, quos ætas officiumque
 Junxerat, hos pariter nunc humus una tegit.
Nam genuit fratres Carinthia terra gemellos,
 Queîs laudis titulum vita probata dedit.
Henricus primo nomen, reliquoque Johannes,
 Atque Prior primus, Subprior alter erat.
Hi duo virtutum plantas ſeruêre ſalubres:
 Unde celebre ſibi nomen uterque tenet.
Namque Monaſterium hoc recto de tramite lapſum
 Inſtauraverunt auxiliante Deo.
Mille, quater centum quinquaginta dedit & ſex
 Natalis Domini, cùm moriuntur ibi,
Prima dies Maji primo fuit ultima vitæ,
 Alterius quintâ mors fuit ante die.

IV.

IV.

Johannis de Weilhaim

Brevis narratio (a) de tentata anno MCCCCXLII. reformatione Monaſterii Ettalenſis O. S. Bened.

DOminus Albertus Bavarorum Dux impetrata a Concilio Baſilienſi facultate reformandi Monaſteria ſui Dominii, audiens duos Monachos (b) Monaſterii Mellicenſis, de ſuo principatu oriundos, Auguſtæ in Monaſterio SS. Udalrici & Afræ conſtitutos, ſcripſit illis ſucceſſivè quatuor epiſtolas invitando eos ad terram ſuam. Qui primùm diſſimulantes, poſt ſecundam litteram Principis reſcripſerunt, humiliter eum rogantes, quòd permitteret ipſos Auguſtæ demorari, quia conſolationem jam de Mellico acceperant ſuper ſcrupulis ſuis, occaſione ſchiſmatis habitis. Cùm verò tertiò reſcriberet, unus dictorum fratrum vadens Monacum, petiit, ut ſineret eos cauſis expreſſis ſtare in dicto Monaſterio S. Udalrici, ad quod ſub expenſis ejusdem miſſi fuiſſent. Qui non acquieſcens viva voce deſiderium ſuum confirmavit, & id ipſum Auguſtæ, cùm Dominum Fridericum Romanorum Regem illic comitatus fuerat, replicavit.

(a) *Ex Cod. Mell. H. 45.*
(b) Johannem de Weilhaim & Conradum de Geiſenfeld.

Tandem dicti Fratres ejus petitioni annuentes, deducti ſunt ad Principem, eo vecturam providente ad Monacum, & inde tranſvecti ad Monaſterium Beatæ Virginis in Etal Friſingenſis Diœceſis, quò in Vigilia Dominicæ Aſcenſionis applicuerunt. Cùm autem poſt multos labores & diligentiam parùm proficerent ob omnimodam Abbatis inutilitatem locum deſerere deliberârunt, præſertim quia idem Abbas ipſis violentiam inferre niſus eſt. Dominus verò Dux, ipſorum diſceſſionis audiens voluntatem ipſo Abbate referente, ſed cauſas obticente, infra octo dies per nuntios tres miſit præfatis fratribus litteras, deſiderans, ut ibidem perſeverarent. Qui habita deliberatione, ad nullum tamen terminum, ſe obligantes, in loco usque medium Quadrageſimæ perdurârunt, & tunc abſceſſerunt, unus (a) ad Tegernſee; alter (b) ad Mellicum redeundo.

Ex præmiſſis patet, quàm cautè eſt Monachis, reformaturis aliquem locum, agendum, cùm dictus Dux, plurimùm fervidus ad Monaſteriorum reformationem, non habens collaterales, negotium promoventes, paulatim rem reliquerit infectam. Tandem tamen fundavit novum Monaſterium Ord. S. Ben. in monte Andechs, qui vulgariter *Sanctus Mons* nominatur, ubi moriens in capite Quadrageſimæ in civitate Monacenſi eſt adductus & ſepultus, prout vivus locum elegit. Cujus anima requieſcat in pace. Defunctus eſt anno Domini 1460.

V.

(a) Conradus. (b) Johannes.

V.

Angeli Rumpleri Teſtimonium de Joanne Slitpacher de Weilhaim, *Hiſtor. Formbacenſis Lib. II. in Theſauro Anecdotor. Noviſſ. Tom. I. Parte III. col. 447.*

HUjus (*Caſpari Abbatis Formbacenſis*) temporibus quid acciderit, compertum non habeo: tradunt tamen, alteram reformationem ſub eo accidiſſe. Verùm non alia ſtatuta tradita ſunt quàm in prima, nec alii reformatores affuerunt. Abbas tamen vix nomen retinuit. Nam in pluribus negligens fuerat: unde & increpationes non evaſit. Ut tamen diutiùs perſeveraret, *Joannes Schlitpacher*, homo religioſus, & ſummæ in rebus Divinis prudentiæ, anno Prioris officium tenuit, cui adjunctus fuerat Frater, quem *Jacobum* vocitabant. Huic non tantam laudem adſcribunt ùt Joanni. Nam, quod reprehenſibile eſt, Joanne Lectioni regulari operam dante, is cum cæteris fratribus gulæ & Baccho indulgebat. Unde quod ille ædificabat, hic deſtruebat. Nam ajunt, *Schlitpacher* ſemper quatuor horas legere ſolitum. Verùm peracto anno ad proprias ædus reverſi ſunt, & Frater Georgius Prioris officium ſuſcepit.

JOHANNIS
HOC NOMINE TERTII
EPISCOPI EYSTETTENSIS
HISTORIA
REFORMATIONIS MONASTERII SANCTÆ WALPURGÆ
Ord. S. Bened.

Ex MS. Cod. Bibl. Mellicenſis.

INCIPIT HISTORIA

Johannes Dei gratiâ ſanctæ Eyſtettenſis Eccleſiæ Epiſcopus devotiſſimis Chriſti Virginibus, cariſſimisque Sorori ac filiabus Sophiæ Abbatiſſæ, Walburgæ, Katherinæ & Margarethæ ſanctimonialibus Monaſterii ſanctæ Walburgis Civitatis noſtræ, reſtauratæ Sacræ Religionis perpetuum ſtabilimentum, & ad coronam laboris thalamum introire Chriſti ſponſi veſtri.

Deus, qui glorificatur in Concilio Sanctorum, magnus & excelſus ſuper filios hominum, vocat, quos eligit, relictisque paternis ædibus in terram peregrinationis abire jubet, & quæ illic ſuper firmam petram ædificavit, ſolidiſſimo incremento juxta Divinum promiſſum confirmat, ùt nec iraſcentibus ventis, aut jaculis antiqui hoſtis collabi queant. Hæc vobis conſolatio ſit Dilectiſſimæ Soror, & Filiæ, ne tœdio vincamini, exiviſſe terram nativitatis veſtræ ac de domo paterna, Monaſterio ſcilicet Montis Beatæ Mariæ Virginis apud Bodardiam, in qua dulcibus

cibus amplexibus Iſſengardis prudentiſſimæ fœminæ Matris veſtræ in omni Regulari diſciplina educatæ eſtis. Neque terreamini in terra aliena procellis adverſantibus, ſive laboris magnitudine, Sponſi veſtri Salvatoris noſtri imitantes veſtigia, qui de ſummis cœlorum deſcendens, in hujus exilii valle peregrinatus eſt, non alia utique, quàm noſtræ ſalutis causà, cujus amore, ſi verè illum diligitis, omne exilium præſentisque ſeculi ærumnas, & miſerias pro nihilo ducetis. Quin imò libenter portabitis, quando rependere ei gratitudinem rectè cogitatis, à quo & æterna gaudia, immenſamque remunerationem conſequi ſperatis, cùm ipſe pro vobis ſuſtulerit majora, quibusque nihil dignum retribuere valetis.

Sed & ſi actus atque merita præclariſſimæ & Illuſtris Virginis Beatæ Walburgæ Patronæ Veſtræ conſideraveritis, cujus vitam & geſta legentes, ejusque ſtillantes & miraculis coruſcantes cottidie cernentes, hoc ipſum compertum habetis, reliquiſſe ipſam pro Chriſto parentes, honores, divitias, &, quæ mundi hujus ſunt, contempſiſſe, univerſam exiviſſe potentiſſimam Anglorum Regiam domum, ac in terram alienam penè deſertam aſſumpto ſacro velamine in Religionis habitu, magnos Chriſti Confeſſores, Germanos ſuos ſecutam, quorum primus Willibaldus Epiſcopus, alter Wunebaldus Abbas ſub Regularis militiæ cenſura ipſam Chriſto famulantem diligentiſſimè inſtruxere. Quæ cùm tam ampliſſimo regno, ſplendidiſſimæque gloriæ Chriſti amore ſe ſubtraxerit, diſtrictioni monaſticæ corpus nobile & delicatè nutritum ſubjiciens, magnum imitatio-

tationis, virtutum & ſanctimoniæ vobis præſtat exemplum, ut tranſitoria ſingula reſpuentes, cupiatis terrena pro cœleſtibus commutare, ac mundi gloriâ, univerſisque concupiſcentiis carnis abjectis velitis cum illa in Chriſti thalamo æternaliter conregnare.

Multæ, ùt arbitror, hujus ſeculi Virgines ſunt, & utinam paucæ, quæ ſi ſcirent, poſt annales & ampliùs carceres reginas ſe futuras, aut in magnis potentatum divitiis ſeu honoribus regnaturas, facile pœnas omnes pro gloria tranſitoria tolerarent: quantò magis decet Chriſti ſponſam afflictiones, moleſtias, & quæcunque ſponſus in ea permiſerit, ſpe æternæ gloriæ perpetuò manſuræ, patientes ſuſtinere, cùm certa ſit, quòd fidem is non fallat in cœlis, cui fidem ſervavit in terris, atteſtante Apoſtolo: *Quia Deus fidelis eſt, & verax*, quæ repromiſit, fideliter & obſervat?

Ad hoc non parum movebunt vos Dei in vos collata beneficia. Virginitatis namque candore ab illo decoratæ eſtis, quæ cum ſuper excellens Divinumque munus ſit, hanc ſe duntaxat conſecutas fatebuntur, quibus cœleſti donô largitum fuerit. Præterea ajebat ſapiens neminem continentem, niſi Deus det, eſſeque Sapientiam ſcire, cujus eſt hoc donum. Admiranda etenim virtus corporis integritas tum Angelicæ comparticipat naturæ, cum vim conſuetudinis vincit, ardentem in membris flammam extinguit, amorem conjugis, liberorumque dulcedinem contemnit, ac ſi quid reliquum eſt carnalium voluptatum, deſiderio cœleſtium ſuperat. Quæ

cum

cum corporis vires excedant, non ſuis meritis uſurpet humana fragilitas, quod ex gratia cœleſtis poſſidet largitoris, ſciatque, quæcunque hanc cuſtodierit illæſam, tam ſe gratam Deo, ut jam inter Angelicos cenſeatur concives computari.

Eſſe autem virginitatem Deo placitam, & quaſi Divinæ amicam naturæ, ipſe non ſolum poſtquam Unigenitus æterni Patris filius humanam in terris Matrem Virginem, Virgo in ævum permanens delegiſſet, multosque utriusque ſexûs virginitatis flore à ſe ditatos, alios quidem miraculorum prodigiis inſignitos, alios verò Martyrum coronâ perſeverante conſtantiâ laureatos, cœleſtis regni fecerat hæredes & conſortes, oſtendit: verùm etiam in retrò ſeculis, & apud Hebreos, & illos, qui Divinæ Religionis fuerunt ignari, portentis quibusdam, & ſignis demonſtravit. E quibus ſcimus quosdam prophetiæ ſpiritu polluiſſe, nonnullos contra naturæ curſum exhibuiſſe miraculum. Et ut illas, quales Divinæ literæ commemorant, prætereamus, fuêre apud Romanos Veſtales Virgines, quarum una, Æmilia nomine, dum in templo Veſtæ pro imperii ſui officio lampadem accendere tentaret, extincto foculo carbonem adjiciens emicantem ſtatim ignem accepit. Altera ejusdem Ordinis Virgo Veſtalis aquam in miniſterium hauriens, dum repentino impetu cribrum pro vaſe arripuiſſet, aquam ipſam in cribro deferens non effudit.

At illa corporis integritas Deo perfectè grata atque placens comprobabitur, quæ in voto perpetuæ continentiæ, voluntate ſpontanea conſecratur. Quod hinc comprehendere poteſtis: quoniam ſi rem alie-

næ

næ poteſtatis, quamvis pulchram aut pretioſam admiremur, placeatque hæc pro tempore aſpectu, nusquam tamen ex integro diligitur, niſi in veſtrum dominium fuerit translata. Quod ſi etiam uſu illius accommodato parumper perfruamini, non cenſebitis propterea, quin imò expleto commodi uſu omnis ad eam ceſſabit affectus. Sic & Chriſtus in ſibi duntaxat deſponſatis virginibus, & quæ ſe illi perpetua caſtitate dedicârunt, admiratur ac diligit virginitatem, in tantumque complacet, ut nihil gratius ſibi offerri potuiſſet; quamquam ad tempus fortaſſe contineas, veluti ſeculi virgines, quæ vel ob inopiam, aut aliàs fortuitò ſæpè continent, non magni hujusmodi continentiam Dominus exiſtimabit. Hinc fructuoſiora opera dicimus, quorum exhibitioni votum ſive obligatio in Deum ad ea perficienda præcedit, illaque minora, quæ quis ſua ſponte Deo præſtat, faciatve vel ne, ſuo arbitrio reſervans: veluti majorem mercedis gratitudinem, conſequitur, qui arborem ſimul & fructus donat, quàm is, qui ſolos fructus alicui offert. Propterea Dominus & Salvator noſter, dum in Evangelio Diſcipulum ſuum deſcripſiſſet, illum eſſe dicebat, qui, poſtquam ejus amore parentes, agros & domum reliquiſſet, etiam ſe ipſum abnegaret, hoc eſt, voluntati propriæ renunciaret, tollens crucem & ſequens Chriſtum.

Nec idcirco dicitur minùs ſponte Chriſtum ſequi, quia obligatus voto, quod promiſit, explevit. Nam ut cum effectu ſatisfaceret, Deumque tanquam legitimum creditorem de ſolutione certum redderet, ad promiſſum conſtitutum ſua ſponte ſe obligavit ſuper-

erogans

erogans obligationem, ad quam non tenebatur, & quod ſui erat arbitrii ſe privans, ut ne perſuaſore inique, etiam ſi vellet retrocedere, creditorem ſuum fallere poſſet: Denique & videmus ſic homines agere in ſeculo, ut quos ex amore beneficiorum capiendorum certiores reddere volunt, promiſſionibus obligationibusque firmioribus ſecuros conſtituunt, ac ſi quid illis his præcedentibus donatum fuerit, multò gratiùs acceptant, & inter chara beneficia computant. Et ſi quidem promiſſor debitum fallat, licèt aliud munus liberaliter tibi offerat, parvam utique gratiam referes, ſed ſolutum debitum gratiùs te accepiſſe affirmabis.

Ad promiſſorum verò evidens teſtimonium glorioſiſſimæ martyres, ac Chriſti ſponſæ Beatæ Agnes & Lucia non immeritò adducuntur, quarum virginitatem Eccleſiæ Hiſtoria plus cæteris, pari etiam martyrio laureatis, commendat: non alia utique de cauſa, niſi quia cœleſti ſponſo continentiæ votô aſtrictæ, terrenum ſponſum contempſerunt. Unde utraque præter miraculorum virtutem prophetiæ ſpiritum meruêre, quo & pacem Eccleſiæ à Deo datam, quave corona in æterna gloria cum Chriſto decorandæ forent, quaſi jam accepiſſent, prædixerunt. Hinc præclariſſima Agnes ait: *Induit me Dominus cyclade aurô textâ, & tanquam ſponſam decoravit me corona, poſuitque ſignum in faciem meam.* Cujus quidem coronæ meritum ſibi duplicandum à Domino affirmabat Lucia Virgo Chriſto devota, ſi vim etiam in corpore paſſa mentem incorruptam retineret. Hanc reor coronam ſeminis illius, quod jactans Evan-

gelicus

gelicus agricola centeſimum fructum profert: & ſignum in facie poſitum conteſtor illorum, qui non coinquinaverunt veſtimenta ſua, ſuntque ſine macula, ac ſignati in frontibus ſuis ſequuntur Agnum, quocunque ierit. Quod itaque Agnes Beatiſſima in vita prædixerat, poſt mortem apparens in veſte ſplendida & gemmis ornata parentibus demonſtravit, ſequens Agnum nive candidiorem per omnes cœleſtis aulæ manſiones, locum & nomen ſempiternum melius à filiis & filiabus in domo Domini, veluti Regia ſponſa jam conſecuta.

Quas quidem connubas veſtras vobis exemplum proponite devotiſſimæ Chriſti Virgines & ſponſæ, certas vos reddentes, ſi Sabbata atque mandata Domini cuſtodieritis, lucidiſſimas manſiones, locumque & nomen melius in domo ejus recipietis. Non fallit cœleſtis promiſſor, ſi fidem obſervaverit humanus conſtitutor. Novit legem conjugii, quam ſtatuit, ut mutua & reciproca ſit in matrimonio obligatio, tantumque debeat maritus fidei, quantum obſervaverit uxor. Si fidem integram Chriſto tenueris in terris, reddet tibi coronam, quam deſcripſit Agnes futuram in cœlis.

Sed ne vos fallat opinio: non blandiamini, quaſi ſola corporis integritate hanc poſſe conſequi exiſtimetis. Certè conjunx legitima, quamvis caſta, etſi omni obediat corporis officio, diſſentiat autem voluntati mariti, juſſionibus illius minimè parens, garrula fuerit fortaſſe, ſemper renitens, quietisque impatiens, nusquam perfectè ab illo diligetur, charave habebitur; quoniam amor magis animorum

concordiam deſiderat quàm corporum. Conſenſu namque contrahitur matrimonium, & individuam vitæ conſuetudinem teneri vult. Quin imò hoc inter carnale conjugium, & ſpiritualem deſponſationem diſtat, quòd, ùt de primo inquit, *erunt duo in carne una*, & de altera ait Apoſtolus: *qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*; ſicque neceſſe habes, quæcunque Chriſto deſponſata es, ut unus ſpiritus, uniusque voluntatis cum illo exiſtas, nunquam ab illo diſcordes: quæ prohibuerit, evites: quæ mandaverit, exequaris. Præterea idem Apoſtolus Virginem Deo placentem aſſeruit *cogitare, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu*. Non denique magni exiſtimavit Dominus carnalem etiam parentum cognationem, quaſi illi affectiones præbere videretur, ſed cùm ſe quærerent; *quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* reſpondit: *qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, hic meus frater, ſoror & mater eſt*, huic omnes affectiones dandas conteſtans, qui Divinæ pareret, ſatisfaceretque voluntati, non ei, qui ſola carnis ratione niteretur, ob quod & matrem non primo ſed ultimo loco expreſſit. Oſtendit & hoc facto, dum lectiſſimæ Martyri ſuæ Agathæ in tabula meritorum taliter deſcriberet inſignia; *mentem ſanctam, ſpontaneum honorem Deo, & patriæ liberationem*, ùt quæ mentem ſibi ſanctam, honoremque ſpontaneum Deo exhibuiſſet, patriæ liberationem ſuis precibus obtinuiſſet.

Mentem igitur ſanctam, dilectiſſimæ filiæ exhibete Chriſto. Diligit namque corda pura Dominus, hisque ſe oſtendit, quemadmodum & in Evangelio

ait:

ait: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Hinc Propheta exoptat: *Cor mundum crea in me Deus.* Mens illa ſancta eſt, quam vir gentilis Tullius in ſuis Officiis (a) deſcripſit dicens: *Mente pia nihil divinius dedit homini Deus ipſe.* Hac contemplamur Deum, in corpore poſiti, ad cœleſtia ſurſum erigimur, ipſum adoramus, cum ipſo confabulamur. De hac mente ſancta reor Apoſtolum Joannem dixiſſe: (b) *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & quæ ſunt placita coram illo, facimus.* Hæc, inquam, mens eſt ornatus ille præcipuus ſanctarum mulierum, quem definit Apoſtolus Petrus, ſummus Eccleſiæ Paſtor, ut ſit (c) *ſancta converſatio earum in timore, non extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritûs, qui eſt in conſpectu Domini duplex.* (d) Interior ergo homo eſt, quo ſpiritu vivimus, ſpirituque coram Deo per fidem ambulamus; qui ſi quietus & modeſtus fuerit, erit in conſpectu Domini meritò duplex; ſi rectus & ſimplex, totum corpus lucidum reddet. Si autem nequam, hoc eſt, perverſa fuerit mentis intentio, totum corpus tenebroſum erit. Videte igitur chariſſimæ, ne lumen, quod in vobis eſt, tenebræ fiant: quin imò per rectam intentionem in interiore homine Chriſto

(a) *Lib. III.* (b) *I. Joan. III. 21. & 22.* (c) *I. Pet. III. 2. &c.* (d) *ita Cod. Vulgata:* locuples

per fidem & lucis opera cohabitare ſtudete, ne in ſola carnis puritate glorianteſ, neglectô oleô bonorum operum, extinctiſque lampadibus famæ laudabilis vitæ à thalamo ſponſi veſtri, quod abſit, cum fatuis virginibus excludamini.

Sed dicetis fortaſſe: cur nobis præ cæteris tantum (a) commemoras Walpurgam & Agnetem Virgines Sanctas? Ad quæ ego: certè, quia illarum apud Deum obtentu puto vos ad hunc locum deſtinatas. Indicant hoc clariſſima omina, ſi poni debeant, quæ oſtenderunt. Nam cùm ſæpè mecum cogitâſſem, ducerem que noctes inſomnes, quibus mediis abuſus noxius, & deteſtatæ vitæ enormitas inſolentium mulierum, quæ locum ſacrarum ſtillantium Reliquiarum occupabant, è medio tolli poſſent, reviviſceretque regularis vitæ ſanctitas, jam penè pedibus conculcata, maximas recuperandæ ſalutis reperimùs inſtantias. Imperitum etenim vulgus, quod id plurimùm vano errore ducitur, hanc rem, uſum videlicet, longævo tempore uſurpatum mutari impoſſibile judicabant. Ex hinc animatæ Moniales diſſolutæ ac magis reſiſtentes, quæcunque monita ſalutaria pro nihilo ducebant. Concurrebant & his parentum, cognatorum, affiniumque præſidia dicentium, quia nobilibus ortæ parentibus, religionis aſperitatem ferre non valerent. Hinc adverſus renitentium contumaciam Eccleſiaſticâ cenſurâ proceſſum eſt, reſque ad ſummi Pontificis audientiam deducta. Nec defuêre minæ, quòd cauſa perni-

(a) *Cod.* tanti.

pernitioſa malique exempli armis defenderetur. Sed quia Dominus eſt diſſipans conſilia gentium, & reprobat cogitationes populorum, remittit Pontifex Maximus cauſam Epiſcopo, mandatque, ut juxta officii debitum evellat & diſſipet, plantet, & ædificet. Intelligunt ſanius cognati de ſalute agi cognatorum, animosque laxant iratos. Interea, ut ad cor revertantur induratæ permittit Dominus unam ex his affligi puſtula in facie, quem morbum cancrum appellant, vitamque miſerabiliter cruciatæ extinxit. Aliæ inſolitè laſcivientes, ſcandalis ſubactæ, cum dedecore plurimo evagantur. Verum ne quæque opportuna obmitterentur, vocati ſunt Patres Religionis, viri probatiores, qui locum & perſonas circumſpicientes ſtatuêre, quæ diſciplinæ monaſticæ aptiora videbantur.

At incaſſum acta ſunt omnia. Simulatæ nonnullæ obtemperavêre, ut ficta fide cautius fallere poſſent. Aliæ relicto loco in viam alienam abierunt. Non minus tamen curæ nobis fuit, quomodo perſonis in vita regulari exercitatis collapſam religionem repararemus vagabaturque mens non parum ad diverſa. Inſpirato autem conſilio cum fama inſignis monaſterii Montis Boppardienſis ubique crebreſceret, per venerabilem, probatiſſimumque virum Rudolphum Decanum Wormacienſem Religioſiſſimam fæminam Iſengarden, Matrem veſtram, accerſiti obtinuimus. Quid plura? quod Deo auctore agitur, ſanctorum precibus facilè impetratur. Factum eſt, ut, dum illa mittendas vos delegiſſet, reluctante maligno hoſte, quæ locum ſanctæ Walburgis

contumaciter occupabant, non modicè ad malum agitabantur. Obſeratis nempe oſtiis, dejectis muris dum obeditioni reſiſtere tentarent, ea die quaſi victæ, armis depoſitis ad fugam omnes ſe converterunt, malitiæ ſuæ reliquias gravi Monaſterii jactura relinquentes, cui omnia munimenta jam abſtraxerant.

Conſolatio verò Divina veſtro adventui quàm plurimùm præſidiata eſt. Adveniſtis tutè, nullis moleſtatæ inſidiis. Sed & fato quodam pro veſtro ſtabilimento, quæ Romanus conceſſerat Pontifex, illico ſupervenêre. Necdum tamen his conſenſerat ex antiquis Monialibus Abbatiſſa Elizabeth ſuperſtes, mulier utique prudens & circumſpecta, quæ quamvis inprimis renitens, divino tamen ducta perſuaſore facilè vobis aſſentiens, omnem monaſterii curam lætanter Sororis Sophiæ commiſit manibus. In Natalitio itaque Beatiſſimæ Agnetis ſacratæ Virginis locum ingreſſæ Angelum Domini præparatum inveniſtis, qui & ſordes præcedentium purgaret, ſequentibusque mundatum relinqueret. Incepiſtis dehinc dirutas reficere officinas, ut juxta Apoſtolum, *non quod ſpiritale, ſed quod animale prius eſſet, deinde quod ſpiritale*, jaciendisque fundamentis grandis ſubacta eſt profunditatis moleſtia, ut ſuſpicatus ſit nemo tantam laboris difficultatem ſuperventuram. *Quod* verò *difficilius*, *hoc præclarius*, inquit Cicero. Meritis caſtiſſimæ Chriſti Sponſæ Beatæ Walburgæ Patronæ veſtræ ad conſummationem felicem perducentur ædificia & officinæ neceſſariæ.

Supereſt

Supereſt autem, ut ad ſpiritualis ædificii opus manus apponatis: propter id enim priora inchoata ſunt, nec dicitur quicquam geſtum, dum reſtat aliud faciendi. Ad reerigendam, reformandamque ſuffocatam regularis vitæ diſciplinam nobis elaborandum eſt. Quod tum difficilè fortaſſis putatis, quia de loco quietis ſecretique otii dulcedine exîſtis, pugnam adverſus indomitas, inſolentes, impatientesve Monachas ſuſcepturæ, quæ nec ſubeſſe, aut diſciplinam ferre norunt; quin imò abjecto jugo Domini, ſuavem contemplationis cibum fel & amarum dicunt, auribus percipere ſalutis verbum contemnunt, emendationem vitæ aſpernantur, correctionem vitiorum non ſuſtinent, nullis Superiorum præceptis obediunt, Regulam & quicquid juſte ſancitum, ſi transgrediuntur, levifaciunt pro libito propriæ voluntatis, etiamſi indecens, indecorum impudicumve ſit, agere volunt, ſtudent corporis delitiis, carnis voluptates ſectantur, nec aliquod obſcœnitatis genus obmittunt, ſi non loci oportunitas prohibeat.

Porrò luctamen hoc acre ſuſpicemini, amantiſſimæ, ſi quæ ex præcedentibus ad vos revertantur. Neque tamen bellum recuſabitis Chriſti amore, ac ſpe confortatæ æternæ gloriæ, memores, quod ait ſcriptura: *Nemo coronabitur, niſi legitimè certaverit.* Exiſtimatisne, magnum vos in monaſterio ſub quiete & tranquillitate præſtitiſſe obſequium Deo? Fateor quidem non parvum hoc eſſe fructum labiorum veſtrorum confitentium nomini ejus: ſed nunc excellentiorem viam vobis demonſtro, quoniam majora pro laude ipſius vobis debentur certamina,

bus, reformandisque perverſis moribus operas impendunt, quàm ſi loca pia & religioſa pro his, qui juſti ſunt, erigerent: ſicut & lex imperatoria laudabiliorem illum judicat, qui opus non benè factum reformat, quàm illum, qui primus adinvenit.

Quod ſi laboris magnitudini conferre velis, hoc ipſum comperies, multò graviùs onus pro tollendis abuſibus, renovandisque bonis moribus tibi incumbere, quàm ſi bonum aliquod aut ordinatum ex novo ſtatueres, ſive benivolos animos ad recta ſectanda induceres. Inprimis namque pugnandum tibi erit adversùs repugnantes defendentesque diu uſitata; etſi abſurda ſint. Nemo enim de ſe malè ſentire vult, pauci ſuos errores cognoſcunt, quin & errata ſæpè defendimus, & ſi meliora proponantur, veterum uſu allecti abhorremus, dicente Evangelio: *Nemo bibens vinum vetus, ſtatim vult novum. Dicit enim, quia vetus melius eſt.* O quàm benè attendunt ſcripturam hanc utriusque Eccleſiaſtici ſtatûs homines noſtri temporis, qui benè agere recuſant, & perversè vivere quærunt! Quot gloſſis veteres abuſus defendunt, non reminiſcentes, quid doceat Apoſtolus: *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio.* Et alibi: *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt.* Difficile eſt valde in his deſtruere corpus peccati, ut ampliùs non ſerviat peccato, ſed tamen non impoſſibile: poteſt enim Dominus de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ: Et vineæ cultor nunc novas vites ponit, veteres verò præcidit, ſuffodit, ſtercus apponit, quo reducat,

ut fructum plus afferant. Sic omnes nos Dominus vult adhibere diligentiam, nihilque incultum in ſua vinea remanere.

Ad hanc culturam in terra aliena vos poſuit idem Dominus, Religioſiſſimæ Soror & filiæ, ut & antiquas ſterileſque arbores diligenter colendo fructiferas reddatis, & novas plantando recens & nobile germen ſuavium fructuum Chriſto relinquatis, ſicque in theſauro ſpiritualis lucri veſtri nova inveniat & vetera. Non vos terreat in hoc delectabili labore alienæ patriæ aſperitas: quoniam à mundo ſecluſæ omne ſolum patriam exiſtimare debetis, quæ nihil proprium in eo poſſidetis. Mementote, quòd ſemper electos ſuos Dominus peregrinari juſſit, ſicut ipſe ad nos peregrinatus eſt. Et ne longiores petamus, Illuſtriſſima Patrona veſtra vobis teſtis exiſtit. Minores forſitan proſpexit Dominus fructus veſtros, antequam exiretis; hinc vult, ut planta transplantata fortius creſcat, qui ait, Prophetam non eſſe acceptum in patria ſua. Si igitur ſummis electis ſuis pares vos hoc munere conſtituit, videte, ne ingratæ tanto beneficio reperiamini, neve in vacuum gratiam Dei accipiatis. Ipſe vobis aſſiſtet, qui dicit: *In tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te.* Non patietur labores veſtros incaſſum ire. *Adminiſtrat* enim, ùt ait Apoſtolus, *ſemen ſeminanti, & multiplicabit ſemen veſtrum, augebitque incrementa frugum juſtitiæ veſtræ*, ac tandem reddet vobis mercedem laborum Sanctorum ſuorum.

Non tædeat vos, neque abhorreatis habitare cum perverſis & malis: quoniam hæc eſt probatio fidei

fidei veſtræ. Non enim ſatis bonus cenſetur, qui cum bonis bonus eſt, ſed, qui inter malos nihilominus bonus perſeverat. Inde beatus Job teſtatur dicens: *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum.* Legitur & Loth in Sodomis cum malis bonus extitiſſe, qui fugiens, de ſecuritateque confidens graviter peccavit. Denique ſic ſæpè Dominus bonis malos aſſociat, ut per eos latentem virtutem illorum exerceat. Sic beato Martino Bricium adjunxit, patientiamque ejus per illum comprobavit. Unde minimè Religioſos illos, ſive quoscunque alios approbamus, qui, cùm perſecutionem, quamvis modicam apud fratres, aut ſocios ſuſtinent, ſtatim fugæ remedium quærunt, putantes in locis aliis poſſe Deo ſecuriùs, quietiusque ſerviri, non animadvertentes, quòd *ſi deſit animus, non adjuvat locus*, ùt inquit Gregorius. Nec te putabis in loco alio ſecuriorem futurum, qui hoſtem habes illicò te ſecuturum. Quòd ſi ad Dominum te converteris, hic tibi auxilium præſtabit, cujus oculi in omni loco contemplantur bonos & malos.

At non inficior, quin imò & affirmo, in ſanctis Deoque ſacratis locis, præcipuè autem circa Sanctorum venerandas Reliquias poſſe illorum patrocinio multa gratiarum dona impetrari. Hi enim loca pia ſanctificant, in quibus & Deus glorificatur, virtutes & miracula Chriſti fidelibus oſtenduntur, ipſique interceſſores continui apud Altiſſimum pro his exiſtunt, qui niſi nos defenderent, & tuerentur, iram Dei, quam peccata noſtra provocant, graviori vindicta ſæpè ſæpiusque haud dubium ſentiremus.

Igitur

Igitur dilectiſſimæ Chriſti Virgines & ſponſæ, glorificate nobiſcum Dominum, qui in hoc conſilio Sanctorum ſuorum, Patronorum noſtrorum Willibaldi Epiſcopi & Walburgæ Virginis huc vos perduxit, & ad reformandum locum iſtum, inſtituendumque ſanctæ Regularis obſervantiæ atque monaſticæ vitæ normam poſuit, [Eundemque] devotè invocate, quatenus ſic mentes veſtras illuminet, vires perſeverantia corroboret, ut illorum interceſſionibus adjutæ valeatis opus Domini bonum, quod incepiſtis, ad ſuam laudem, multorumque ſalutem feliciter conſummare, recepturæ [ad] hujus finem vitæ cum virginitatis corona præmia veſtri laboris ſempiterna, quæ vobis ſponſus veſter Chriſtus pariterque nobis præſtare dignetur regnans cum Sanctis omnibus in ſecula benedictus Amen. Datum Eyſtett in caſtro noſtro Montis S. Willibaldi VII. die menſis Februar. Dominicæ Incarnationis anno MCCCCLVII. ſub Pontificatu Sanctiſſimi Domini noſtri Calixti Papæ III. & Imperio Invictiſſimi Cæſaris Friderici III. Romanorum Imperatoris feliciter regnantis Amen.

ANO-

ANONYMI CARMEN RHYTHMICUM VETUS DE MISERIIS ORDINIS MONASTICI.

Ex Cod. MS. Mellic.

OLim Ordinem noſtrum Principes ama
Et Romani Præſules ipſum honora } bant.
Grata privilegia gratis nobis da
Et præter ſuffragia nihil poſtula

Nunc eſt tributarius idem Ordo fac
In communem hominum ſortem eſt redac } tus.
Servituti ſub jacet totus, & confrac
Pro ſubventionibus ad uſuras trac

Plures domus Ordinis debitis gravan
Et ex hoc pericula magna generan } tur.
Nam, ut debitoribus debita ſolvan
Oportet, quod reditus vel terræ vendan

Bona noſtra tradita Ordini jampri
Succeſſores filii auferunt ei } dem.
In factis hujusmodi peccant multum qui
Primam eleemoſynis non ſervantes fi

Olim dum ſimplicitas Ordinis vige
Nos laudabant homines, nullus nos læde } bat.
Collectas ab Ordine nemo require
Sed Ordo pacificè Deo ſervie

Nunc videntes homines grandes appara }
Equos, & Sammarios, ſplendidos orna } tus.
Dicunt: niſi locuples eſſet horum Sta }
Non valerent ducere tales equita }

Propter terras etiam, vineas & pra }
Quæ ſunt à fidelibus nobis quondam da } ta.
Nos rodunt, lacerant, dicunt nimis la }
Sunt bona, quæ poſſidet gens hæc cuculla }

Ipſi non conſiderant, quando labora }
Non ut nos tantummodo, ſed multos paſca } mus.
Supervenientibus bona noſtra da }
Et exinde modicum nobis reſerva }

Nos ſumus in pluribus ſimiles jumen }
Cui dantur paleæ excuſſo frumen } to.
Suſtentamur etenim pane & pulmen }
Servato hoſpitibus lauto nutrimen }

Nos ſumus agricolæ, ſed noſtra cultu }
Sæpe fit inutilis nobis propter plu } ra.
Jam corrupti äeris turbata natu }
Modò lædit vineas, modò lædit ru }

Ea, quæ pauperibus ſolebamus da }
Et in uſus varios hoſpitum apta } re.
Cogemur de cœtero nobis reſerva }
Ne nos hæc benignitas cogat mendica }

Quid

Quid prodeſt tot vineas, tot agros tene
Laborare jugiter, & ſemper ege } re.
Mendicis Ordinibus melius eſt ve
Quàm nobis, qui talia videmur habe-

Papa nihil appetit ab his ſibi da
Quia nudus aliquis nequit ſpolia } ri.
In hoc ſolent Ordines iſti gloria
Quòd poſſeſſionibus nolunt onera

Ipſi nihil poſſident, non ſunt indigen
Colunt enim divites, frequenter poten } tes.
Apud eos comedunt nihil reſpuen
Quæ ſibi conveniunt, dapibus uten

Surgentes à prandio, remotiſque men
Benedicunt Dominum manibus exten } ſis.
Retributis hoſpiti gratiis immen
Recedunt, non computant de factis expen

De iſta materia plura non loqua
Sed omiſſis aliis ad nos reverta } mur.
Pœnas hujus temporis lætè patia
Ut bonis cœleſtibus frui merea

Signum eſt, quòd Dominus non vult nos peri
Qui nos tanquam filios non ceſſat feri } re.
Ipſe per hæc triſtia det nos hinc tranſi
Quòd ad vera gaudia poſſimus perveni

Amen.

INDEX.

A.

Abbas laudatus 589 ejus electio 597 officii gravitas 602
Abbates quales eſſe debeant 517 reformationem declinantes ibid.
Abſtinentiæ exempla 51 ſq. 79 258 297 382 390
Adelheidis de Apiaco 206
— — de Briſaco 436
— — de Munzenheim 213
— — de Rhinfelda 168 347
— — de Singolzheim 340
— — de Toroltzheim, Sororum ſubtilienſ. vitæ 218
Ægroti vid. Infirmi.
Agape quid? 367
Agnes de Apiaco 261 266
— de Blozenheim 336
— de Herckenheim, fundatrix Monaſter. Subtilienſ. 26 ej. vita 148
— de Ochſenſtein 77
— dicta Wallaria 210
Amor Dei 161

Angeli apparent cuidam Sorori 286 eorum muſica auditur vid. *Muſica cœleſt.*
Anima Monachi à beatis Spiritibus ſuſcepta 478
Animæ ex purgatorio liberatæ oſtenduntur cuid. Sorori 180
Anna de Wineck 231
Anniverſaria quomodo celebrandam 545
Apparitiones vid. *Viſiones.*
Aqua in vinum mutata 342
Aranea in Miſſa ſumta 479
Arca lignea per ſomnium viſa 153
Aſt, *(Conr.)* Generalis Mag. Ord. Præd. 419
Aufmüllen 26 30
S. Auguſtinus in honore habitus 415
Avis importuna imprecatione Sacerdotis moritur 479

B.

Balnea an Benedictinis conceſſa 538 communia eis non frequentanda 540 Jo. Capiſtrani hac de re Epiſtola 567
Benedicta de Egensheim 70
— — de Mulhauſen 64
Benedictini Ordinis reformatio ad conformitatem in obſervantia regulari p. 531 ſeqq. 581 ſeqq. 603 ſeqq. vid. *Reformationis.*
Bernhardus de Wahing 595
Bertha de Rubeaco 139
P. Burchardùs, Dominicanus 128

C.

Cantricis Officium 87 264 neglectum punitur 92 ſq.

Cantus Sororis jamjam morientis 259
Capitis dolores miraculo curati 294
Carnes, pro piſcibus habitæ 485 earum abſtinentia neceſſaria Benedictinis 521 ſeqq. eſus an concedatur Conſtitutione Benedicti XII. ibid. cur prohibitus à S. Benedicto 522 an omnibus infirmis concedendus 525 an lapſum carnis cauſet 526 528 ab iis quidam continuo abſtinent 526
Caſparis Abbatis Tegernſeenſis epiſtola 586 obitus 589 595
Caſtitatis exempla 113 119 149 228 341
Catharina de Gebeswiler 3 13 14 34.
Cellæ Monachorum Sublac. 498
Ceremoniæ Monaſter. Ord. S. Ben. 547
Certitudo de ſalute æternâ 152 159 267 299
Cervical ſanctæ cujusd. Sororis capitis dolores ſanat 294
Charitas mutua 53
Chriſtannus, Subprior Waldſaſſenſis 475 ſq.
Chriſtus vid. *JEſus*.
Circatricis officium 94 ſq.
Claritas corporum in Reſurrectione 254
Colmaria, urbs deſcripta 6 obſidionis periculo liberata 164
Columba candida ſuper caput 417
Congregatio Benedictino-Bavarica 556 ſeqq.
Cogitationes vanæ 229
Conjugium ſanctum 402
Conradus V. Abb. Tegernſeenſ. electus 597 ſeqq. ejus Epiſtola 601.

Converſatio bonorum cum malis 668
Converſio duobus fratribus precibus Sororis impetrata 109
Conſolationes divinæ in morbis, tentationibus &c. vid. Vit. primar. Soror. Sub Tilia per tot.
Cor mundum Deo placet 658
Coronæ tres, Virginitatis præmium 324
Crudelitas in Virginem 120 ſeqq.
Crux plumbea miraculo per aërem delata 33
Curioſitas victa 371.

D.

Decimæ exactæ 126 remiſſæ 127
Defectio Monachi viſione impedita 473
Defunctorum ira in cœnobitas negligentes viſione oſtenſa 486
Dentium dolores miraculo curati 295.
Devotio ergà B. V. Mariam 59 112 241 302 323 ſingularis 166
DEUS loquens in corde 73 ejus pietas in homines 15 viſio externa & interna 425 ſq. Sermo qualis, 429 præſentia in anima unde cognoſcatur 430 Timor ibid. ſolus cor poſſideat 432 ei quomodo placere queamus 433
Diabolus apparet 110 in ſpecie porci 98 221 monialis 298 matronæ 300 Clerici deformis 372 piis non timendus 430 orantem illuſionibus ſuis impetit 475
Diſciplinæ rigidæ exempla 81 155 240 298 345

E.

Electio Abbatis 597. ſeqq.
Eligenta de Sulzmat 295
Eliſabetha de Eycken 446
— — de Junckholz 223
— — Kempfin 412
— — de Neuſtat 424
— — de Rubeaco 325
— — de Senheim 291
Epiſtola Abbatum Provinciæ Moguntinæ 626
— Bernhardi de Wahing 595
— Burchardi Dominicani 129
— Caſpari Abb. Tegernſeenſis 586
— Conrad. ejusd. Monaſt. Abb. 601 605 609 615
— Encyclica cœnobii Mellicenſ. 578.
— — — Tegernſeenſ. 589
— Johannis, Abb. Waldſaſſ. 467
— de Weilhaim Prioris Mellicenſ. 574
— de Welming Abb. Mellicenſ. 581 603 618 621
— Melchioris Abb. S. Udalricani 612 624
— Petri de Schaumburg Card. & Epiſcopi Auguſtani 641
— Sigismundi Religioſi, Cœnobitæ S. Udalricani 644
Erneſti Monachi Waldſaſſ. mors beata 481.
Extaſes. 75 84 85 136 151 157 178 184 187 249 254 271 274 277 329 352 393 408 437

F.

Fratres Sororis precibus converſi 109 duo diſcordes reconciliati precibus Sororis 165

G.

Gerhardus Monach. Waldſaſſ. aquam leviter congelatam cum equo tranſit 484 carnes pro piſcibus habet 485
Gertrudis de Bruck 214
— — de Columbaria 89
— — de Girsberg 224
— — de Hattſtat 376
— — de Herckenheim 195
— — de Rhinfelda 251
— — de Saxonia 348
Giſelhilde Soror. Monaſt. ſub Tilia 227
Godefridus Comes de Habsburg 284
Gratia cœleſtis extraordinaria 242 ob deſertionem ægrotantis 237 ob potum vini melliti 243 item ob verbum incautum ſubtracta 248 influxus, illuminationis & conſolationis divinæ. vid. Vit. primar. Soror. ſub Tilia per tot.

H.

Habitûs uniformitas in eodem ordine neceſſaria 531 deſcriptio 535
Hedwig de Gewiler 380
— — de Gundelsheim 118
— — de Laufenberg 269

Hedwig de Logelnheim 133
— — de Steinbach 102
Heilradis de Horburg 306
Helwigis de Wigenheim 115
Herburgis de Herckenheim 154
P. Hermannus de Havelberg 381
Horæ Canonicæ 495
Hoſpitalia tria in mente conſtructa 238
Hugo de S. Charo 29
Humilitas 403 vid. Vit. Soror. primar. Subtil. paſſim.

I.

Jejunium Sublacenſ. Monaſt. 497
JESUS apparet ſororibus devotis 246 277 289 in ſpecie pueri 109 188 197 212 327 350 480 489 patiens 171 449 ejus crebra memoria 421 apparet in ſpecie leproſi 196. juvenis decori 199 Sacerdotis Miſſam celebrantis 277 418
Imago miraculoſa 215
Incendium Monaſterii Sanctimonialium Admontenſ. deſcribitur 456
Infirmorum cura ſingularis 234 ſeqq. relicta cauſa gratiæ ſubtractæ 237
Innocentia exempla 104 257
Inſpiratio divina 374
Invidia, peccatum grave 104
Johannes Baptiſta Patronus Monaſterii ſub Tilia 31 125 288 ejus imago miraculoſa 32. ſeqq. impetrat pecuniam egentibus 125 item decimarum remiſſionem 127

Johannis Capiſtrani Epiſtola ad Univerſit. Viennenſ. 562
— — Carthuſienſis Spiritus propheticus 483
— — de Ellenbogen, Abb. Waldſaſſ. 467
— — de Weilhaim Prior Mellic. Epiſtola 574 Vita 631 narratio de tentata Reformatione Monaſterii Ettalenſis 647 de eo teſtimonium 649
— — de Welming Abb. Mellicenſ. Epiſtola 581
Iracundia deploratur 197

L.

Labores Monachor. Sublacenſ. ſpeciales 498 generales 508
Lacrymandi deſiderium 441
Leupoldus, Monach. Waldſaſſ. 189
Liber Catharinæ de Gebeswiler ſigno quodam comprobatur 14 34
Liberi propter Deum relicti 313 549
Lucas Evangeliſta, Medicus 293

M.

Magnes per ſomnium viſus 153
Manus refulgens 252
Margaretha de Briſaco 387
— — Kentzingenſis 400
Maria B. V. devotè culta 59 112 241 302 323 apparet Sororibus quibusdam devotis 201 209 246 253 277 & Monacho 289 Hoſpitio

ſpitio quosdam pegrinantes excipit 361. lactat Monachum 478
Maritus propter Deum relictus 313 349
Martyr (*Petr.*) Ord. Præd. 281
Mater orans pro filii morte 250
de Mazen *Nicol.* Abbas Mellicenſ. 579
Mechtildis de Columbaria 331
— — de Stans 448
— — de Wincenheim 106
Mens pura Deo placet 658
Miracula 32 116 215 294 342 484
Monachi ad ſeculum redeuntes 461. Waldſaſſienſes, 467 negligentes officia defunctorum 486 profugi & vagi 542
Monachus mortem ſuam prædicens 472 ab apoſtaſia viſione retractus 473 imprecatione avem occidit 479 araneam in Miſſa ſumit ibid. puerum JEſum deoſculans 480 490 ejus definitio 506
Monaſterium ſub Tilia 3 ſeqq. Adelhuſanum 439 Sanctimonial. Admontenſ. 459 Waldſaſſ. 488 Sublacenſe 493 Burſfeldenſe 553 Cornelii Münſter 559 Braunvillere 560 Etalenſe 647 S. Walpurgæ reformatum 651 ſeqq.
Monaſteriorum S. Benedicti reformatio 505 ſeqq.
Mors prædicta 104 225 256 335 418 472 476 483 filii à matre abſente viſa 249 filio matris precibus accelerata 250 ſonitu arcæ reliquiarum nunciata 470 beata Erneſti Monachi Waldſaſſ. 481
Mortis beatæ exempla. vid. in Vit. primar. Sor. ſub Tilia paſſim.

Mortuus loquitur 477
Muſica cœleſtis audita 143 236 293 308 310

N.

Nativitatis Chriſti hora revelatur 207 ſeqq.
Nomen Jeſu 366.
Novitiarum inſtructio 45.
Novitiatus Monaſterii Bursfeldenſ. 557

O.

Obedientia regularis 401 506 diverſimodè accipitur 508 ſeqq. habet terminos ſuos 511
Obſidio urbis precibus averſa 163
Odor ſuavis ſanctitatis index 14 34 69 112 114 138
Officii divini frequentatio 47 uniformitas neceſſaria 542
Opera bona Déo annuatim oblata 239
Oratio ſanctæ Sororis pro longiore Vita 244 421 pro religioſo accuſato 255 matris pro filii morte 250 pro ſpe ſalutis æternæ 267 ſemper exaudita 303 pro defunctis 384 396 ſeq. illuſionibus diaboli impedita 475
Ordinis monaſtici tria ſubſtantialia 506 uniformitas neceſſaria 531 542 miſeria carmine rhythmico deſcripta 672

P.

Parentum in filiam crudelitas 120 ſeqq.

Paſſio

Paſſio Chriſti oſtenſa piæ cuidam Sorori 217 339 ejus Memoria in mente & corpore 288 ex ejus meditatione vulnus contractum 440
Patientia in morbo 411
Patriarchæ Veteris Teſt. apparent cuidam Sorori 273
Paupertas voluntaria Religioſor. 507 regularis 557
Paupertatis amor, 66
Pecunia, ejus defectus ſublevatur 125 deprecatur 304
Peccatorum remiſſio revelata 193 promiſſa 279
Peſtis viſione prænunciata 480
Petrus & Paulus Apoſtoli apparent 99
Petrus Abbas Aulæ Regiæ 467
Prædones, ab illis pios conjuges Deus defendit 306
Præguſtus vitæ æternæ 161 ſeqq. 188 249 259 271 275 329 393 vid. *Ecſtaſis. Viſio.*
Prioriſſæ officium 56
Proceſſiones quatuor in anno 546
Prophetæ, circa eorum Deopneuſtiam ſcrupulus 83
Propheticus Spiritus Joh. Carthuſienſis 483
Purgatio animæ à peccato 183
Purgatorium in viſione 177 ſeqq.

R.

Raſura Monachorum Sublac. 554
Refectionis modus Monaſter. Sublacenſ. 497. tempus 498
Reformatio Ordinis S. Bened. 505. quænam ſit de neceſſitate ſalutis 509 eidem reſiſtentes in quo ſtatu

ſtatu ſint 510. ad ſola ſubſtantialia non poſſibilis? 505 ſeq. 519 vel dato hoc, ſaltem incaſſa 511 ejus difficultas unde 514 ſubdole petita 515 519 neceſſaria eſt 520 variæ de eadem re Epiſtolæ 531 ſeqq. 603 ſeqq. Monaſterii Ettalenſis tentata 647 item S. Walburgæ Eyſtatt. 660 ſeqq. difficilior quam nova alicujus boni inſtitutio 667

P. Reinerus *Ord. Prædic.* 11

Remiſſio Peccatorum revelata 193 promiſſa 279

Revelationes vid. *Ecſtaſis* & *Viſio.*

Reſurrectionis Chriſti Feſtum celebratum 199

Rinlindis de Biſeck 190 313

Riſus morientium 191 230 317

Rokiczan (*M. Joh.*) Huſſitæ Diſputatio cum Joh. Capiſtrano 564

Rudigerus Prior Waldſaſſ. à B. Maria lactatus 478.

Fr. Rudolphus de Rhinfelda è purgatorio liberatur 177.

S.

Sacramentum altaris gratia ſpeciali à quibusdam acceptum 73 203 311 ſcrupulus circa illud 82 per angelos miniſtratum 163 175 illud perceptura ignoſcit hoſtibus ſuis 211 ab ipſo Chriſto diſtributum 276 289

Salutis certitudo quibusd. revelata 152 189 299.

Sanctimoniales vid. Sorores.

Sepulturæ locus ſomnio prædictus 153

Silentii ſtricta obſervatio 43 107 173 in Monaſterio Sublacenſi 500
Sitis ægrotanti Sorori divinitùs levata 327
Somnia divina 242 334 369
Sophia de Rhinfelda 256
Sorores primæ Monaſterii ſub Tilia 35 earum perfectio 39 ſilentii obſervatio 43 Novitiarum inſtructio 45 in B. V. Mariam devotio 59 Orationes aſſiduæ 47 Charitas mutua 53 ſpecialiter à Deo conſolatæ 64 Vid. Vit. ear. per tot.
Stella ſupra caput viſa 416
Stephania de Phirreto 112
Superbia Deo maximè diſplicet 431.

T.

Taulerus *Joh.* 405
Temporis obſervatio 68
Tentationes variæ 170 267 300 417
Sub Tilia *Monaſterium* ejus Abbatiſſa de Gebeswiler 13 primordia 24 fundatrices 26 confirmatio papalis 28 Sororum primarum perfectio 39 Prioriſſæ 45
SS. Trinitatis Myſterium oſtenſum cuidam Sorori 275
Tuda de Columbaria 245
— de Egensheim 97

U.

Vigiliæ Monachor. Sublacenſ. 496

Virginitas mirè conſervata 113 119 in matrimonio 341 aliquo modo recuperata 437 coronata 324 laudata 653 corporis non ſufficit 657 ejus firmum propoſitum 120 321 331.
Viſio Dei interna præſtantior externâ 425 de hac variæ quæſtiones 426 ſeqq.
Virginum colloquia crebra cum viris Deo diſplicent 431
Virtutum omnium exempla vid. in Vit. prim. Sor. Subtil. per tot.
Viſitationes Monaſter. 558
Viſitatores contemti 512. ſeqq
Viſiones glorioſæ & aliæ 75 85 91 96 99 108 111 125 135 137 144 147 153 171 174 176 181 184 188 192 196 207 209 212 217 221 246 249 252 259 271 273 282 285 289 318 320 323 325 329 337 339 347 350 372 378 393 480 482 486 489 499
Vita precibus prolongata 244 421
Vita Joh. de Weilhaim Prior. Mellicenſ. 631
Vita primar. Sororum Monaſterii ſub Tilia 35 ſeqq. Sororum Monaſterii Adelhuſani 439 Admontenſis 459 ſeqq. Monachorum Monaſterii Waldſaſſ. Ord. Ciſterc. 467
Underlinden Monaſterium 8
Unctio extrema Chriſti manibus morienti collata 289
Unio animæ cum Deo 186
Vox mortui audita 477
Vulnus in pectore ex meditatione paſſionis Chriſti 440.

B. Wal-

W.

B. Walburga 652
Fr. Walter *Ord. Præd.* 26 65
Fr. Wernerus de Erlebach 318 368
de Wintelnheim *Agnes* fundatrix Monaſterii ſub Tilia 26

FINIS.

DUE DATE

	201-6503		Printed in USA

933.2
B47
8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
0038449919

BUTLER CIRCULATION

22 1964